37 B 3
MAG 1098
Digitized by Google

Digitized by Google

JO: VINCENTII LUCCHESINII

PATRITII LUCENSIS

PONTIFICI MAXIMO

A

BREVIBUS AD PRINCIPES

HISTORIARUM

SUI TEMPORIS

AB

NOVIOMAGENSI PACE.

TOMUS SECUNDUS.

ROMÆ, MDCCXXXVIII.

Typis, & Sumptibus Hieronymi Mainardi.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

Sanctissimo Domino Nostro

CLEMENTI XII.

PONTIFICI MAXIMO

JO: VINCENTIUS LUCCHESINIUS

Fœlicitatem.

QUÆ duo, Beatissime Pater, mortalium mentes in obſequium atque admirationem quammaxìme rapiunt, & unde ad poſteros manavit eximia clariſſimorum virorum fama: ornata videlicet ſummis honoribus virtus, quo latius majeſtate fulgeat;

Digitized by Google

eaque non ſibi ſolùm complacita atque indulgens, ſed pro communi bono in apertum prodiens ac ſuas exercens vires: hæc in SANCTITATEM TUAM ingenti noſtri ſeculi fœlicitate conveniſſe, meritò nobis gloriari licet. Cùm enim ab ineunte ætate in eos te mores formaſſes, iiſque ſaluberrimis inſtitutis, diſciplinarum ſtudio ac bonis artibus imbuiſſes egregiam indolem animi tui, quæ ad conſulendum omnium ſaluti plurimùm valent, non tibi laborandum fuit, aut per ambages diſcurrendum, ut huic graviſſimo gerendo muneri admovereris. Ipſa ſtatim reſpublica tibi advenienti occurrit, mandatiſque præcipuis magiſtratibus ope tua carere noluit. Nec ſua illam fefellit opinio. Siquidem, ut de reliquis taceam, in duodecemvirûm curando Principis patrimonio Collegium cooptatus, renunciatuſque deinde Quæſtor maximus, nullas tibi reliquas feciſti ſolertiæ, juſtitiæ, ſedulitatis partes, quibus peragendis non modò commotam tui expectationem ſuſtinuiſti, verùm etiam privatorum gratiam cum publica utilitate conjunctam, eximiumque tibi nomen comparaſti. Hinc ad ſublimem Cardinalatus honorem celeriter evocatus potuiſti magis magiſque effundere virtutum tuarum lucem, atque in te non leviter adumbratam, ſed altis expreſſam lineamentis Eccleſiaſtici Principis imaginem exhi-

exhibere. Stetit in omnium conſpectu illa tua ſingularis humanitas, qua ſemper cujuſcumque ordinis cives ad tui venerationem *il*lexiſti. Se longius præbuit conſpiciendum perpetuus æqui bonique amor, quo præcipue deperire animus tuus viſus eſt. Nemo literarum ſtudio commendatus tibi in clientelam ſe dedit, quem dignitate aut beneficiis augendum non ſuſceperis. Quot naufragi patrimonio tua liberalitate ex adverſæ fortunæ fluctibus emerſerunt? Implorantibus patrocinium tuum præſto eras; quique in eo ſpem ſuam collocabant, experti didicerunt, quantùm auctoritate valeres, quantùmque gratum tibi eſſet, cunctos benignitatis tuæ compotes facere. Extollitur frequentiſſimo omnium ſermone comitas illa jucundiſſima, qua te adeuntes complectebaris; memoria viget magnificentiæ, quæ, quicquid agendum aggredereris, nunquam non ſe tibi comitem præbuit. Hinc enimvero quæ tuæ domus celebratio quotidiana, qui Procerum nobiliumque advenarum concurſus, quod tuum in iis excipiendis magna conſperſum urbanitate eccleſiaſticum decus! Retuliſſe videbaris illuſtrium veterum Romanorum conſuetudinem, dum florente republica, qui ceteris potentia & auctoritate præſtabant, nihil ſibi æque jucundum reputabant, ac undique circumfundi atque obſervari maximis civium exte-

exterorumque clientelis, unde ſua in ipſos plena officii ac benevolentiæ voluntas, aliorum erga ſe ſtudium oſtentataque præſidii ſpes in omnium oculis verſaretur. Age verò commemorem aſſiduitatem, qua litibus ordinandis forum agebas, ſagacitatem in Procerum diſſidiis componendis; ſapientiam in tractandis publicis negociis; gravitatem in ſenatorio munere peragendo, ſive publice rem ſacram faceres, ſive ſententiam in Senatu diceres, ſive in Pontificiis magiſtratibus rempublicam adminiſtrares; pietatem denique in probatiſſima exigenda vita, ac ſanctiſſimis religionis officiis obeundis. Nec tacitus prætermittam abs te fultas eximio ſtudio ingenuas artes ac diſciplinas, paratamque ad eas fovendas ſplendidiſſimam bibliotecam, immortale documentum, quantùm illas uſque a prima adoleſcentia diligenter colueris atque adamaveris. Itaque jam olim nemo erat, qui te Pontificem maximum animo & communi plauſu non deſignaret. At ſerò quidem voti compotes facti ſumus; idque dolenter ferebamus, ignari, quò moleſta procraſtinatio, ſeu potius divinum conſilium evaſurum foret. Expectanda erant ea reipublicæ tempora, quæ ad illius ſalutem egregio ſapientiſſimoque moderatore opus haberent. Liceat hoc loco mihi, ut tragici poetæ ſolent funeſtos caſus, ex omnium oculis tacen-

tacendo abripere luctuoſiſſimam tempeſtatem, quæ non uno procellæ genere exagitata graves huic Imperio moleſtias attulit. Tantùm dico: niſi ad eam ſedandam accurriſſet incredibilis SANCTITATIS TUÆ prudentia, ſolertiſſimi ingenii magnitudo, & robur animi invictum, non ita facilè adverſos concidere ventos, conquieſcere commotos fluctus potuiſſe. Vidimus autem celeriter inductam tranquillitatem, teque ea inſigni gloria fulgentem, quæ non e ſecundiſſimo rerum curſu, quem tenere nemini non promptum eſt; ſed e præcipiti atque arte cohibito ſummopere celebratur. Ille enim plerumque fortunæ tribui conſuevit; hìc tantùm virtuti, rerumque gerendarum ſubactæ cumulatæque prudentiæ. Simul verò te auſpice viguit in foro juſtitia, mos vetuſtus, & inveterata gubernandæ reipublicæ norma luculenter invaluit. Salutares ad comprimendam populorum ferocitatem leges conſtitutæ; refrænata graſſantium ſcelerum protervitas; tuaque illa vel in artuum dolore numquam intermiſſa cunctos audiendi ſedulitas quàm grata civibus accidit, quàm turbulentis ingeniis formidoloſa, quibus perperam agendi viam hoc celebratiſſimo inſtituto penitus obſtruxiſti. Quòd ſi ad magnitudinem animi tui, auctamque ſplendidiſſimis ornamentis ac beneficiis Romam, nobilioreſque Pontificiæ di-

ditionis urbes me convertam, quæ mihi non ſe offerunt dicenda, quæ non illuſtri laude condecoranda? Miramur Ancone maximum valetudinarium ad explorandam navigantium ſalutem mediis in fluctibus conſtructum, datamque illic naviculariis ad frequentanda commercia portorii immunitatem. Ravennæ in omnium oculis adeſt diſtractus immani pecunia gemini amnis curſus, extremam illi perniciem minitantis. Bononiæ multo ære tuo recreata manet inſignis Academia ad naturæ leges inveſtigandas, & ſyderum cœlique motus fauſtis ominibus conſtituta. Nullum facerem dicendi modum, ſi ſingulis recenſendis immorari vellem. Satis ſit commemoraſſe: vix aliqua reperiri poſſe ſubjecta imperio tuo ſplendidiora loca, ubi non ſint beneficentiæ ac liberalitatis tuæ altius impreſſa veſtigia. Alibi Templa inſtaurata, alibi pontes ſuffulti, ubique conſtratæ viæ, munitum iter, redditus deſertis agris cultus, miſertum inopiæ civium, datumque grandi pecunia levamentum. Quid verò in hujuſmodi argumentum gloriæ a Sanctitate tua Romæ non geſtum? Longum eſſet cuncta ſcribendo peragrare, quinimmo ſupervacaneum. Satis quippe ſe ipſa produnt illuſtri fama atque omnium admiratione. Quamquam e clariſſimis hìc pariter affluentius editis munificentiæ tuæ monumentis unum

ſilen-

ſilentio præterire Capitolium nequeo, immenſo prope ſumptu abs te exornatum erudita rerum varietate ad locupletandam antiquitatis notitiam, excitandaſque imitatrices fingentis naturæ artes, capto ex eorum operibus exemplo, qui, favente huic ſtudiorum amœnitati Græcia, floruerunt. Nemo ſiquidem ejus aulas ingreſſus non dat illico SANCTITATI TUÆ ingentes plauſus, uno intuitu conſpicatus, te celebrioris vetuſtatis vindice, in unum collecta tot priſcorum Cæſarum ſimulacra pectore tenus expreſſa; tot ductas e marmore Philoſophorum imagines, aliaque præſtantiſſima ſigna, ac tantas inſcriptorum lapidum divitias. Quæ cuncta plurimum licèt ſplendoris habeant, & ſint clariſſimum SANCTITATIS TUÆ nomen poſteris traditura; tamen propemodum obruuntur uberiori luce rerum ad Pontificiæ majeſtatis decus abs te geſtarum, quas ex hominum memoria nulla umquam delebit oblivio. Amplificatum grandi pecunia ſacrum patrimonium ad veræ Fidei propagationem, unde ſempiternæ ſuæ ſaluti proſpectum fuit, numquam exteræ nationes, remotiſſimæque gentes oblivisci poterunt. Erit in omnium ſermone Eccleſiæ dignitas te auſpice atque auctore alibi obliteratis injurioſis decretis aſſerta, alibi ſapientiſſimis legibus conſtabilita. SANCTITATI TUÆ debet Cleri diſciplina novis ubique

inſti-

inſtitutis additum ſibi robur. Compreſſa ſeverioribus monitis morum licentia ſtatuet in omnium conſpectu documentum illuſtre pietatis tuæ. Quæ verò umquam ætas ſummis non extollet laudibus diremptas moleſtiſſimas controverſias, quæ diu multumque Pontifices maximos ſolicitis curis atque ancipiti animorum æſtu divexarunt; & modò tuo conſilio ac ſapientia, potentiſſimorumque Regum moderatione nullo Eccleſiæ vulnere penitus conticuerunt. Quanta hinc utriſque veſtrûm obvenerit gloria, quanta eas gentes lætitia inceſſerit, non ſatis aſſequi dicendo poſſem. Id tantùm ſufficit indicaſſe: cetera licèt ſplendidiſſime geſta patere obtrectantium dicacitati, & numquam non comiti virtutis invidiæ; ſervata Religionis jura, ſive Principum pietatem ſpectes, ſive ſummi Sacerdotis munus, ſive populorum utilitatem, omnium veluti in communi victoria incendere ad gaudium mentes, lætiſſimoſque plauſus excitare Et hæ quidem SANCTITATI TUÆ acclamantium voces ea quoque maxima cumulantur laude, quòd in ſupremam Sedem quas adduxiſti admirabiles virtutes, domeſticis exemplis, Avorumque recordatione altius infigi atque hærere animo tuo potuerunt. Natura ſiquidem comparatum eſt, ut quiſque monſtratum ſibi a Majoribus ad virtutem iter, lubentius

ten-

teneat ac perſequatur . Enimvero a ſanctiſſimo illo , quem aris feſtiſque diebus veneramur , Andrea gentili tuo fovendæ optimis inſtitutis eccleſiaſticæ diſciplinæ & paſcendi Gregis artem diſcere potuiſti. Tibi Petrus quinque ante ſecula , & Nerius patruus tuus non ita multo ante in ampliſſimum Cardinalium Collegium cooptati, documentum dedere, quomodo ſacri Principis decus & munificentia cum animi facilitate ac moderatione conjungi debeat . Ad conſtruenda ornandaque Templa uſque ab ineunte ſeculo decimo quarto te præivere illuſtres atavi tui Nerius primùm, mox Thomas, epiſtolarum conſuetudine cum Diva Catharina Senenſi celebris ac decorus . Nec defuere , qui editis jam olim conſpicuis ingenii ſui monumentis, & familiari veſtræ Genti inſtituto colendas tuendaſque bonas literas Philippus & Carolus, & alter Philippus germanus SANCTITATIS TUÆ frater te admonerent . Quod ſi ad eos , qui tibi ad bene ſapienterque adminiſtrandam rempublicam, ad ſolerter obeundos magiſtratus, & ad moderanda imperia facem prætulerunt, me convertam , quot quantique nominis mihi ſe offerunt enumerandi? Petrus, jam tum clariſſimæ Familiæ dignitatem referens, ab ſexcenteſimo amplius anno ad fines agri Senenſis jura populis dedit ; & vicaria poteſtate

Urbinati provinciæ Philippus a quarto Carolo Imperatore Germanici Imperii Princeps renunciatus; Rhodiis Joannes ab Galliæ Rege in equeſtrem Procerum Ordinem virtutis merito aſcriptus. Prætereo a pluribus Epiſcopales infulas geſtas, honorificentiſſimas ab aliis Romanas legationes, ab aliis ſplendidiores Urbis honores. In iis conſiſto, qui ab ipſa naſcente Patriæ tuæ libertate ſupremos dignitatis gradus, & conſulare omnium præſtantiſſimum Vexilliferi munus quàm ſæpiſſime adepti, iiſque ad civium fœlicitatem egregie defuncti, neminem latere voluerunt, quæ ſibi ineſſet conſilii vis, quæ agendi prudentia, qui vigor animi ac magnitudo. Horum inſtructus exemplis, avorumque diſciplina luculenter edoctus, maxime CLEMENS, ad tractandum Eccleſiæ gubernaculum acceſſiſti; non ea tamen contentus gloria, quæ ſplendet alienis laudibus, ac veluti hæreditate percipitur; ſed quæ in Familiæ fundo enata, & procerius eximiis factis educta, ſingulis proprios edit virtutum fructus. Quocirca ſingulari ſapientia tua, maximiſque rebus geſtis recreata republica, ac præterea in ſpem erecta, te vindice, citò reliqua ſua vulnera curatum iri; mirum non eſt, ſi quotquot virtuti non invident, nec ſunt huic Imperio inimici, de ſumma te beneficentia, conſervatoque inter undique in-

ingruentes procellas incolumi civium ſtatu quammaxime celebrent, geſtiantque, ut ut liceat, aliquo tributi genere devinctum optimo Principi gratumque animum teſtari ſuum. Horum non ſequi exemplum, SANCTISSIME PATER, religioni duxi; idque ingenuæ timiditati, qua tuam reveritus majeſtatem deterrebar, diſſolvendæ fuit; præſertim cùm non communis ſolùm particeps utilitatis, ſed privatim ampliſſimis tuis beneficiis ornatus, quicquid in me eſt (quod ſentio quàm ſit exile) in ære tuo cenſeri debeat. Igitur ad tuos pedes provolutus, qua maxima poſſum veneratione alterum Hiſtoriæ noſtrorum temporum a me conſcriptæ volumen offero SANCTITATI TUÆ, munuſculum quidem levidenſæ, nec tua ſane dignum amplitudine, niſi quidpiam glorioſiſſimo nomine tuo, quod in fronte gerit, honeſtaretur. Illud autem, ſi qua ſoles clementia, excipere non abnueris, ad tua reliqua liberaliſſime collata in me beneficia cumulus accedet. Siquidem honeſto viro unum hoc maximum reputandum eſt: ut, cum tibi pro tua ſuprema omnium Dignitate nequeat eorumdem referri gratia; hac ſaltem habenda & prædicanda (quod numquam profectò deſinam, cujuſque iſtud me dare poſteris teſtimonium, vehementer gaudeo) ſatis habuiſſe videaris.

RE-

REVERENDISSIME PATER.

AMpliſſimam illam ſummi ingenii ac ſolidæ eruditionis laudem, quam clariſſimus Vir Joannes Vincentius Luccheſinius Patricius Lucenſis de litteraria republica optime meritus apud eruditos homines, æquoſque veræ ſapientiæ æſtimatores cum ob præclariſſima opera græcis ac latinis litteris in lucem edita, tum præſertim ob primum Hiſtoriarum ſui temporis volumen præſtantiſſimarum Academiarum judicio & calculo abſolutiſſimum jamdiu conſecutus eſt, hoc ſecundo & tertio Hiſtoriarum Tomo, quem, te jubente, Reverendiſſime Pater, tota animi cum attentione tum jucunditate perlegi, ornatiſſimè cumulari poſſe ſentio ad decus ſui nominis immortale. Tanta enim doctiſſimus Præſul in aperiendis ſummarum maximarumque rerum conſiliis, explicandiſque memorabilium bellorum cauſis ſubactæ prudentiæ argumenta, tantam in bellicis artibus, eventis fortuniſque exponendis rei militaris ſcientiam cum latini ſermonis nitore copia ac varietate conjungit, ut mihi hæc ſedulo expendenti nihil ætas noſtra, vel ex hoc uno opere aureis illis romanarum rerum Scriptoribus invidere poſſe videatur. Nemo quippe in eo aut acre Salluſtii judicium ubi de difficillimis ferenda ſententia, aut caſtam perſpicuamque Cæſaris orationem ubi militare aliquod facinus graphicè deſcribendum, aut ubi res memoratu digniſſimæ poſteris cum celebritate commendandæ, Livianæ facundiæ majeſtatem deſiderare jure poteſt. Neque tamen horum alicujus veſtigiis ita hæret (quod pleriſque contigiſſe ſcimus) ut non ſuo ſed alieno pede incedere videri queat ſervilis aliorum jejunuſque imitator, ſed liberali potius gradu ingenuoque ſtylo procedens, ſibi propria atque in ſui compendium facit quæcumque in illorum ſcriptis peculiari digna laude æqua poſteritas judicavit. His accedit (quod ad præcipuum Hiſtorici munus maximè pertinet) animi ab omni prorſus ſtudio partium liberi ac ſoluti, verique tantùm tenacis clara ubique ac plurimis documentis expreſſa ſignificatio, qua dictis ſuis fidem vel ab invitis extorqueat. Quæ cum ita ſint, nihilque præterea hoc in utroque volumine reperiatur, quod chriſtianæ pietatis moribus aut inſtitutis adverſetur, quin potius multa, nec exi-

gui

gua ad fovendum religionis ſtudium argumenta, ubi per occaſionem datur, mirificè expoſita in illo ſint, dignum profectò cenſeo, quod juris publici fiat, ut ex eo litteraria reſpublica ornamentum, commodum, fructumque uberrimum capiat. Dabam Romæ ex Ædibus S. Bartholomæi in Inſula Tyberis die 25. Novembris 1736.

Joannes Antonius Bianchi Frater Minorita.

JUſſu Reverendiſſimi P. Jo: Benedicti Zuanelli Sac. Pal. Apoſtolici Magiſtri volumen alterum ac tertium Hiſtoriarum legi clariſſimi Præſulis Jo: Vincentii Luccheſinii Patricii Lucenſis, in quo cum nihil contrà Fidem Orthodoxam, aut bonos mores deprehenderim; ſummum verò ſermonis ornatum & elegantiam, ſententiarum gravitatem, civilium bellicarumque rerum ſcientiam; miro in iis pertractandis ingenio & prudentia conjunctam, edi poſſe cenſeo, utpote opus egregium, & ejuſmodi, quod non minùs Authori ſuo laudis, quàm literariæ reipublicæ utilitatis ſit allaturum.

Ex Collegio Romano Idib. Sept: MDCCXXXVI.

Contuccius Contucci Soc. Jeſu.

IM-

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro ſacri Palatii Apoſtolici.

Philippus Spada Epiſc. Piſauren. Viceſg.

I*MPRIMATUR*

Fr. Joannes Benedictus Zuannelli Ordinis Prædicatorum ſacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

HI-

Digitized by Google

HISTORIARUM
TOMUS SECUNDUS
Liber Septimus.

ME juvat in parte Operis mei, ut qui longo ex itinere ſalebroſa aſperrimaque loca ſubituri ſunt, nonnihil, facto voluminis intervallo, reſpiraſſe. Major enim ſe offert rerum copia literis conſignanda, major exantlandus labor; quem modò, quaſi recenti robore confirmatus, obiturus alacrius mihi videor. Bellum hoc anno inter Chriſtianos Principes ortum atrox, atque omnium, quæ unquam, prope dicam, geſta ſunt, maxime memorabile, barbaricum alterum, cùm debellari e ſententia poſſet, debilitauit. Recruduere ſiquidem veteres inter ipſos inimicitiæ, quæ licèt aliquandiu intermiſſæ, nunquam tamen prorſus extinctæ, quin & recentibus injuriis, querelis, 1688.

1688. ſuſpicionibus identidem irritatæ; compreſſæ autem, cum nemini tempeſtivæ adhuc forent ad exercendum, nunc tandem in apertas diſcordias eruperunt. Armorum initium ab Ludouico Rege. Culpam quiſque in hoſtem rejecit, veritus nomen ſubducti ab ſe ingenti periculo Turcarum Imperii, Chriſtianæ Reipublicæ hoc nouo diriſſimo vulnere dilaceratæ. Ego quæ fuerint diſſidendi ſemina, & quibus aucta incrementis, in medium proferam. Quo verò auctore ſata, & modò in ſtirpem educta, æqua Poſteritas, ubi conticuerit Partium ſtrepitus, eæque deſierint incenſo nimis ſtudio præoccupare ſibi Mortalium animos, rem ſuo momento expendens, tutiùs judicabit. Vixdum inierant pactæ cum Gallis vicennales induciæ, Cæſar, Hiſpanus, aliique Germaniæ Reguli, ut ſuperiori volumine dictum eſt, fœdere ſe conjunxerant, ſpecie quidem ab ſe propulſandæ communibus armis, ſi quæ inferretur, injuriæ: conſilio re vera ſatis aperto coercendæ Gallorum potentiæ; Argentoratum, Luxemburgum, & quicquid Metenſi, & Briſiacenſi Judicio ereptum ſibi fuerat, recuperandi. Batavi in ſocietatem vocati diu dare nomen abnuerant, otii cupidi, nec ullo incommodo, quamobrem arma appeterent, laceſſiti. At crebris Arauſionenſis monitis, ut ſibi proſpicerent, ſolicitati, denique & ipſi in fœdus coierant, metu præſertim, ne atra nubes, quæ procul in Anglia concreſce-

Initium belli inter Chriſtianos Principes.

Cauſæ.

Qui eorum illud differri cupiunt, qui ſtatim moveri, & quare.

ſcere videbatur, poſtquam illic dediſſet imbrem, 1688.
Gallicis ventis circumlata, in ſe fulgura atque ignem præcipitaret. Nec res ab fide abhorrebat. Nam cùm Jacobo Regi compertum eſſet, turbida ſuorum Civium ingenia, Batavorum atque Arauſionenſis fiducia, inteſtinis diſcordiis novandiſque rebus ſtudium atque operam impendere, nemo non reputabat, hos illum, ne Britannico inſidiarentur otio, conterendos conſtituiſſe. Quin & opinio erat, in id conſpiraſſe cum Galliæ Rege, ejuſque viribus fretum, quæ modò averſante ſuæ Gentis Concilio gereret, gerenda ſuſcepiſſe; & huc pertinere, quòd ictum dudum Auguſtæ Vindelicorum fœderi aſcribi noluiſſet, licèt acerrime pertentatus, tanto præſertim ſtudio a Petro Ronchillo Hiſpanienſi Oratore, ut ſponderet, ſe illi hoc pretio Legatorum Aulam conciliaturum, ne relaxare adhibitam hactenus in Catholicos ſeveritatem amplius abnueret; majori ſane promiſſo, quàm quod præſtare aut credi poſſet. Nec diu poſt Germani, finitimique Principes, qui a Romana Religione diſſident, Magdemburgi inter ſe conjuraverant, daturos operam, ne qui per Britanniam eadem cum ipſis placita ſectarentur, ab Catholico illic Rege ſibi, ſuiſque Sacris timerent: neue Calvinianorum Secta, ut dudum juſſa fuerat, penitus ab Gallia exularet; quod ſibi communi maxime probro ducebant eſſe. Quamquam huic ſtudio non Religionis amor, ſed ſi quis iſthic fieret ani-

1688. morum motus, moderaturus videbatur. Non tamen, etſi omnibus idem in Gallos odium, ſe ſeque ulciſcendi voluntas; eadem & rei gerendæ ſententia erat. Cæſar, ut induciæ manerent, enitebatur, utiles ſibi ad Turcicum interea bellum profligandum. Hiſpanus, ut illico diſſolverentur, ſuadebat, æger animo ob acceptas injurias, & damno auctus. Huic Octovir Palatinus aſſentiebatur, ſpe, minus ſibi in communi periculo, dum bellum arderet, ab iratis Gallis pertimeſcendum. Batavis in animo erat, cunctari quouſque adulta in Britanniæ Regem conjuratione nullum ex ea parte negotium exhiberi ſibi poſſet; Arauſionenſi, non ultra quàm matura illa foret ad erumpendum, verito inimicam temerariis inceptis moram; ceteris, quoad oblato ſibi rerum ſuarum diſcrimine provocarentur. Hæc Ludovico Regi haud ignota. Nihilo ſecius ab inferendis armis, quamquam prævertere Fœderatos, dum iis minus opportunum bellum foret, e re ſua reputaſſet, ſe ſuſtinuerat, adverſa primùm vetitus valetudine; mox Civium Calvinianorum ſedando penitus fremitu; denique, pudore quodam, ne ſe Germanis, Turcas fœliciter impellentibus, præcidiſſe victoriæ curſum, per hominum ora diſſiparetur. Inter hæc, evertendis Fœderatorum conſiliis, duo ſibi propoſuerat. Unum, ut Britanniæ Regem, ſecum jampridem non fœderis vinculo, quod nullum, ut vulgò cre-

Cur hactenus Galliæ Rex ab eo inferendo ſe continuerat.

Digitized by Google

creditum, intercedebat; ſed neceſſitudine atque amicitia conjunctum in ſuam prorſus voluntatem adduceret, qua ſibi invicem opitulantes, ille ſuorum inſidias, ipſe externos impetus enervaret. Alterum, ut Cardinalis Vilhelmus Furſtembergius, quem ſibi beneficiis addixerat, Colonienſis Pontifex renuntiaretur; unde ad belli gerendi rationem plura ex illo Imperio ſibi commoda, hoſtibus difficultates acceſſuræ forent. Sed utraque ſpes occiderat. Nam ut primùm de Furſtembergio dicam, illum paullo ante undeviceni majoris Templi (tres ac viginti aderant) Colonienſes Canonici ſucceſſorem Antiſtiti ſuo Maximiliano Henrico e principe Bojoariorum Domo deſignaverant. Verùm Collegii decretum Pontifex Maximus, cujus id erat auctoritatis, uti ratum haberet, nullis hactenus potuerat machinis expugnari. Quin Furſtembergio, ne inter Candidatos reciperetur, viam interſepſerat, prohibito abdicare ſe Argentoratenſi Pontificatu, nec ea lege ſoluto, quæ duplicem gerendum vetat. Hæc illi negata venia perculerat; inſuetum repulſæ, Regis animum eò vehementius, quò data Principi Clementi Bojoario, cui pariter ad alterum obtinendum Ratiſponenſis, Friſingenſiſque, quibus moderabatur, impedimento erant. Interea Colonienſis Octovir III. Non. Junias hoc anno moritur. Comitia ſucceſſori creando indicuntur. Tres petebant, Franciſcus Ludovicus Octoviri Pala-

1688.

Fruſtra conatur Angliæ Regem in ſuas partes adducere.

Et Card. Furſtembergium ad Colon. Archiepiſcopatum.

Hinc ejus adverſus Inn. XI. querela, & unde orta.

Octovir Colon. moritur.

1688. Palatini filius, Clemens Bojoarii frater, ac Furſtembergius ea ſuffultus lege, quæ vel alio devinctos Sacerdotio ſubire ſuffragia ſinit, dum tamen e tribus duæ ſuffragatorum partes in eorum quempiam conveniant. Ceteris eligendis, quicquid ſupra dimidium ſatis eſt. Hac duriori licèt conditione paleſtram ingreſſus, vincendi retinebat ſpem, certus, ſi nemo ex undevicenis fidem mutaret, plus æqua parte ſe habiturum. Eos autem jampridem ſibi ab Ludovico Rege conciliatos in officio manſuros arbitrabatur. Verùm Cæſar, aliique Germaniæ Reguli averſati Virum turbandæ provinciæ idoneum expertumque, cùm omnes contendiſſent nervos, ei ſenos ex eo numero abripuerant. In ſuffragium miſſi, tredecim Furſtembergium poſtularunt, unum tulit Palatinus, novem Bojoarius. Cùm alter non fuiſſet legitima, ut poſtularetur, ſuffragia; alter, ut eligeretur, aſſequutus, ad Romanum Judicium Cauſa defertur, eamque non ita multo poſt Bojoarius obtinuit. Hinc tantus Ludovico Regi dolor inuſtus, ut illam Romani aſyli plagam, de qua jam retulimus, exaſperaverit, cœperitque Auguſtano fœdere in ſe conjuratis indicendi belli occaſionem; quod, quippe ſua nimium intererat, non ultra differre, jam apud ſe non tacitus conſtituerat. Noverat enim, Turcas non una clade exanimatos pacem ab Cæſare quæſitum ire; & hunc vehementer ab Hiſpaniæ Rege, ab Socero

Qui ejus Octoviratus Candidati.

Diviſis ſuffragiis, cui adjudicandus ſit, Romæ decernitur.

Cauſam obtinet Clemens Bojoarius.

Oblata inde movendi belli occaſio Ludovico Regi.

Verito præoccupari.

cero Palatino, atque ab Arauſionenſi ſolicitatum, ut Gallicum gerendum bellum ſibi tantùm proponeret, honeſtas conditiones non rejecturum. At nihil æque Ludovicum ad arma urgebat, ac lubricus rerum Britannicarum ſtatus, provido complexus animo, ſi quid adverſi contigiſſet Jacobo Regi, eo fracto aut debilitato, in ſe ſtatim validas ejus Gentis vires contentum iri. Siquidem (ut iſthuc ſermonem referam, atque inde faciam narrandi exordium, ubi ſuperiori volumine deſitum eſt) poſtquam illic perpetuo Magiſtratu creati Judices, qui de Majeſtate perturbataque Republica in Præſules ac Myſtas inquirerent; factumque in Londinenſi Antiſtite ſeveritatis exemplum; & legitimis Judiciis comprobatum fuerat, in regia eſſe poteſtate, quoſcumque vellet, legibus ſolvere; Jacobus inducto in obloquentes metu, cohibitoque plurimorum animo, quidpiam remiſerat indictæ Britannico jure in Catholicos aſperitatis, horum alicui mandatis honoribus; permiſeratque privatim in ſuorum Conventu Sacra facere. Quin & prophanum illud anniverſarium Ludicrum aboleverat, quo Londinenſes ad Reginæ Eliſabethæ memoriam celebrandam quotannis contumelioſe circumlato per Urbem Romani Pontificis Simulacro atque igni tradito, ejus Majeſtatem ludibrio habebant, anili ac pene incredibili in ea cultiſſima Gente furoris genere; ſive hujuſmodi inep-

1688.

Et conjuratos in Regem ſuum Britannorum animos.

Britannicæ in Regem ſuum conjurationis obtentu.

Dati Catholicis Magiſtratus, facultaſque ſacra privatim faciendi.

InterdictumLudicrumRo. Pon. contumelioſum.

1688. ineptiis exaturare Civium in Catholicam Religionem odium, ſive excitare & confovere arbitrarentur. Romam quoque Legatum miſerat Comitem Caſtelmainum, acceperatque ab Innocentio Ferdinandum Abduam, contempta Civium ægritudine, quam, ex hoc publico Legationum commercio, triſti vultu, mæſtoque ſilentio præſeferebant. Illa deinde non ſine liberis querelis audita: inducti ſcilicet Catholici aliquot Diſciplinarum Magiſtri in Oxonienſem Academiam; Præſes ibi Magdaleneo Collegio Epiſcopus Giffordus, Prætor Hibernis Talbotus Tyrconelli Comes datus, juſſo leviro ſuo Clarentiæ Comite, eo Magiſtratu abire. Sic enim, ajebant, non obſcuris indiciis parari in ſe bellum, illic doctrina, hic armis; miſſo Catholicis, qui tunc in Hibernia reliquos Cives numero præſtabant, duce, ut ex occaſione colligeret ipſorum vires, intenderetque. Et in ſermonem venerant præmiis quotidie adducti ad Romana Sacra Procerum aliqui, plures ſolicitati; quaſi conſilium foret, nudare potentiorum præſidio prævalidas in ejus Imperio Anglicanam, Calvinianamque Sectas, ab iiſque leniter Plebem abducere, hærentem plerumque Principum veſtigiis; illata proinde majori per hujuſmodi inſidias clade, quàm ex aperto bello. Quæ quamquam a rerum novarum cupidis, quibus nunquam Gentis indole, caret Anglia, in vulgus diſperſa dubias ad tumultuandum

Miſſa Romam Legatio.

Inducti in Oxonienſem Academiam Catholici Præceptores.

Tyrconellus Hiberniæ Prætor datur.

Proceres ad Cathol. Religionem illecti.

dum mentes impellerent, parum penſi ea Rex habere, fretus jure, atque exercitu, quem ſibi fidiſſimum reputabat. Quin ratus quo quiſque magis in adverſum tendat, eò vehementius dejicere obtrectantium animos, opinione virium, aut virtutis: longius proceſſerat, facta ſuperiori anno ſuis Civibus copia impunè ſectandi, quæcumque luberet, cultam ſeu Catholico, ſeu Lutherano, Calvinianove ritu Religionem, æque ſimul iis aperto ad gerendam Rempublicam & ad honores aditu. Quamquam ſimul edixerat, Anglicanis conſtitutam placitis, vel ſe vindice, ſua jura, ſua Templa, ac principem locum retenturam; dederatque fidem, nihil unquam de ſacris, privatiſque Catholicorum patrimoniis, quæ olim ſectione in aliena tranſiiſſent nomina, mutatum iri. Hæc Religionum impunitas cumulum mœroris attulerat Britannis de ſua ſolicitis, ac tandem expreſſerat ſeditioſas voces palam invocantium ſupremi Conventus opem, monentiumque extorres ab Romanis Sacris, errare, ſi crederent acceptam de rebus divinis, ut quiſque vellet, ſentiendi libertatem fore diuturnam; Catholicis, ubi ſe primùm corroboraverint, ceteros depulſuris. Eos quippe moleſte ab ſe diſcrepantium ſocietatem pati; dominari velle; & ſicubi agatur rerum ſacrarum ſcientia, nihil, quod ab ſua diſtet ſententia, moderate ac patienter ferre. Haud fruſtra ceciderant monita inclinatis in ſuſpicionem aberran-

1688.

Jacobus Rex hujuſmodi querelarum negligens.

Dat Catholicis, Lutheranis, Calvinianiſque liberum ſuæ Religionis uſum.

Et ad honores aditum.

Priſtino Anglicanæ Sectæ ſervato jure.

Quæ conceſſam Catholicis Sacris libertatem palam dolet.

1688. rantium animis, & nunquam non falſi comite, metu. Itaque jam nullo apud ipſos haberi pretio data illa e ſuo cuique ingenio de divinis rebus opinandi facultas; Potentiores, quantumvis religione diverſos, veluti in communi diſcrimine, adversùs Catholicum nomen conjurare in occaſionem intenti; iiſdemque ſuadentibus, Britanniæ, Scotiæque Senatus promulgando edicto moram interponere, & vix non palam obſiſtere; quamquam denique Regis, id ſevere imperantis, auctoritati ceſſerant; patebat autem, iſthuc obſequio, ingratiiſque adactos: & Anglicus aperte ſimul indixerat, non hinc veteres de rerum ſacrarum cultu abrogari leges, ſed connivendo tacituras. Concilia verò ambarum Gentium, quorum dumtaxat ſcito, quicquid Reges decernunt, perpetuò ratum manet, ad illud reijciendum ſe ſe obfirmaverant, non fracta incommodis, quibus Rex mollire obſtinatos animos pertentaverat, ſæpius comperendinando; nulliſque machinis expugnata. Eò ſiquidem uſque ille ſe demiſerat, ut Britannici Conventus, quem Scotos imitaturos non dubitaret, Proceres Legatoſque, ſingillatim ad ſe vocatos, obteſtari, ſuadere, in ſuamque pellicere ſententiam conatus fuerit; obnixos tamen eò magis, quò rogabantur: Quod cùm irrito eventu & infra majeſtatem egiſſet, pertæſus nimiæ facilitatis, quam tanto regii decoris impendio, clementiæ famam aucupaturus, adhibuiſſet, utrum-

Et cum reliquis Sectis adversùs Catholicos conjurat.

Mora interponitur promulgandæ Religionum libertati. Britanniæ Scotiæque Senatus id Regi jubenti parent.

Comitia non aſſentiuntur.

Fruſtra potentiorum pluribus ab Rege privatim ſolicitatis.

Quos tandem abire muneribus ab ſe pridem acceptis jubet.

utrumque Cœtum dimiſerat, ſpoliaveratque adverſantium plures publicis muneribus, quæ ſua liberalitate acceperant, fatus: non eos beneficiis ornandos, qui abnuant referre gratiam. Non tamen, renovato Legatorum Conſeſſu, rei obtinendæ abjecerat ſpem; quos ut æquiores haberet, minuerat (ut in Regis eſt poteſtate, ſi quando Reipublicæ nocumentum afferant) Civitatum jura, ne temere turbulenta, utcumque luberet, ingenia legare ſibi poſſent. Hinc querimoniæ, & ingens per hominum ora diſſipatus rumor: vim adhiberi. Interea per omni Delubra, dum ſacra fierent, datam celebrandæ, quo vellent cultu, rei divinæ libertatem denuntiari Populo juſſerat, non ſine maximo Anglicanorum Antiſtitum luctu certoque abnuendi propoſito. Dum alii cunctantur, conſilium ex occaſione temperaturi, palam affuere Regi Cantuariæ, Aſaphopolis, Bathoniæ, Ciceſtriæ, Helii, Briſtolii, Petroburgi Sacrorum Præfecti, liberis ſermonibus proloquuti, ſe, quominus ejus voluntati in re tanti momenti acquieſcerent, religione prohiberi. Accepti ferociter, veluti ſeditionis ſignum protuliſſent, juſſique ſponſionem facere: Si dolo malo. Cùm recuſarent, e Londinenſi Arce apud Tribunos Capitales (quorum judicium, tamquam ſibi Regni Optimatibus non adeundum, prius abnuerant) cauſam de majeſtate dicere coacti ſunt. Hanc verò cùm non ſatis explicare poſſent, eluſere, inficiati libel-

1688.

Conciliumque dimittit.

Minuit Civitatibus jura Legatos eligendi.

Jubet promulgari in Templis cujuſque ſectandæ religionis libertatem.

Qui coram Rege Epiſcoporum diſſenſerint.

In cuſtodiam traduntur veluti Maieſtatis rei.

Judicium eludunt, & quomodo.

1683. libellum ab ſe prodiiſse, quem ſcirent Regi oblatum remotis arbitris; & in Anglia Regis teſtimonium (quod prope ab fide alienum) dum ſua res agitur, perinde ac privati cujuſpiam non audiri. Itaque dimiſſi eo connivente. Id enim Jacobus habuit familiariſſimum: in rem ingredi ingenti conatu; & cùm e ſententia procederet, nervos remittere; incertum tædio an benignitate. Quo conſilio nullum in perturbata Republica periculoſius. Alit quippe ſeditiones ſeveritas mox deſitura, non minùs præſenti aſperitate quàm certa ſpe veniæ. Inveteravit opinio: Si fortiter in eos, fama ipſa redargutos, lege animadvertiſſet, & vi ceteros coercuiſſet, qui turbida exercebant ingenia, pacatum Regnum fuiſse habiturum. Neque id præter vires; fido exercitu, dum adhuc in ancipiti res erant, promptioraque ab ipſo præmia; nec Exteris, compreſſa Domi audaciorum temeritate, mare tranſgredi auſuris. Dum indulget, cunctaturque, animos & ſpatium dedit tumultuandi. Plures ſupererant Shafsburianæ factionis, quam perpetuò Arauſionenſis foverat officiis ac benevolentia, augebatque in dies, clam complexus, quotquot ab Rege alienabant Religionis diverſitas, erepti Magiſtratus, repulſæ dolor; nequaquam dubius, ſi tandem ad res novandas adjicerent animum, ſe unum, ut iis ope & conſilio adeſſet, oratum iri. Nec ſpes fruſtrata illum eſt. Nemo ſiquidem, vixdum concepto in

Liberantur falſo, ut fama fuit, conſilio, & quare.

Hinc nova turbarum occaſio.

Unde orta & à quibus enutrita.

Illam Arauſionenſis fovet.

in Regem odio, non ſtatim Arauſionenſem deſignaverat perturbandæ Reipublicæ potentem, avidum, & capacem. Nunc verò omnium votis, occultiſque & frequentibus nuntiis, ut in rem daret operam, ſolicitari. Et ipſe veluti eorundem miſertus, ſpem dare, ſe non defuturum, dummodo paratis antea Civium animis viam ſternerent ad rem gerendam. Irent proinde, recenſerent ſuas vires, ac meminiſſent: duo eſſe validiſſima ingentium facinorum præſidia, ſilentium, & celeritatem. Itaque ſeditionis capita per provincias, ubi præcipuas unuſquiſque clientelas haberet, dimiſſa, ad eam inflammandam faces ex uniuſcujuſque ingenio ſubiecere. Anglicanæ Sectæ cultoribus oſtentarunt imminentem ſibi, & mox primas acturam Romanam Religionem; Præsbyterianis gravem infeſtamque ſuis inſtitutis regiam auctoritatem; Sacrorum Præfectis, acceptas injurias; Optimatibus honores, imperia, Magiſtratus in Catholicum prorſus nomen traducenda; mediocris fortunæ Civibus, eligendi ad Concilium, quos vellent, Legatos ademptam libertatem; Cunctis, violatas ſacratiores leges, minutam Comitiorum majeſtatem, conſtitutam legibus religionem contemptui habitam, Romanam inductam, & mox pro legibus futurum Regis arbitrium. Hæc, addebant, qui negligeret, non eſſe Civem; non liberum, qui deſpiceret; non hominem, qui non videret. Ergo ingen-

1688.

Quid a Coniuratis contra Regem poſtulet.

Quid ab iſtis agitur.

Quo pacto inflammata ſeditio.

1688. ingenti animorum æſtu fluctuabat Anglia, & quotidie Procerum aliqui, diverſa ad trajiciendum cauſati, cum Arauſionenſe congrediebantur; alii per literas, ne maturam ſpem proſperi eventus dimitteret, quin & urgeret, ſuadebant. Ille ubi novit eò conjurationem progreſſam, ut conſpirantium numero, viribus, auctoritate ſuſtinere ſe poſſet, nec ſine ingenti conatu ambiguoque rerum diſcrimine refrænari; dignum facinus, in quod intenderet, arbitratus, adiit ſupremum Fœderatorum Ordinum Magiſtratum; retulit, quæ Britanniæ Regi procella impenderet; docuit, hanc ſi paullum impellere adniterentur; quam tempeſtatem Jacobus in eos concitaret, diſſipaturos. Non enim, quin occultis ille in Rempublicam flagraret odiis, ambigendum eſſe; nec præcaveri eam poſſe, niſi in ipſum turbo, quem in alios cieret, verteretur. Idque non multi negotii fore, tantùm ut aucta claſſe atque exercitu, Conjuratis facerent auxilii ſpem, qua illi ſe confirmarent. Decernerent proinde, utrum malint: perpetua affici ſolicitudine, quieſcente Britannia; an iſta inteſtinis diſcordiis exagitata, diuturnum ſibi otium parere. Arauſionenſis conſilium ſuſpenſis jamdiu metu Senatorum animis placuit, dataque illi in claſſem ac militum ſupplementum pecunia, juſſo tamen ad rem, quam ageret, ſimulandam, maritimum robur veluti ad Reipublicæ ſecuritatem, ſenſim colligere, & clan-

Ubi ſatis incenſam putat, Arauſionenſis conſilium ſuum Fæderatis Ordinibus aperit.

Amplectendumque ſuadet.

clanculum copias conducere ab Germaniæ Regulis, iter non antequam maturum foret, ingreſſuras. Quæ dum aguntur, Socerum Arauſionenſis cumulatis officiis effuſiorique amoris ſignificatione, ut cùm fallendo eſt, incautum reddere, atque in plagas inducere pertentabat. Non tamen Schultonum fefellit, qui Regis Legatus apud Fœderatos Ordines diverſabatur. Is enim cùm nunquam ab eo demitteret oculos, ejuſque Domum perpetuò ſpecularetur; novit frequentes ibi Anglorum Procerum; aliorumque identidem e Britannia advenientium occultos conventus fieri, ſuboluitque tandem, quid molirentur. Rex, ut caveret, admonitus; nuntium contempſit, mendaci fretus Generi obſequio, & quòd ejuſmodi conjurari in ſe vocibus aſſueverat. At cùm mox eadem ab Ludovico Rege renuntiarentur, præbuit aures, quanquam non ultra progreſſus, quàm ut fœderatos Ordines, quò hic tantus bellicus apparatus pacata circùm regione tenderet, ſciſcitaretur. Reſponſum: prius ipſe diceret; cur tot milites ſub Signis, inſtructamque claſſem retineret; eadem ſe verba redditurós. Superbo reſponſo aucta Regi ſuſpicio, nec mitigata, licèt per literas, & Collerſii Legati voce, nihil ab ſe Britanniæ timendum eſſe, palam ac ſæpius pro certo affirmarent ea fide, quæ in publicis negotiis, ſi pudor ac fama negligatur, bona an mala ſit, perinde habetur. Illud

1688.

Interea, ne ab eo caveat, Regi blanditur.

Detegitur a Schultona Legato coniuratio incredulo Regi.

Qui monitus iterum a Ludovico Rege Batavos interrogat, ab iiſque ambigue reſpondetur.

1688.

Tandem in ſuſpicionem inductus ab ipſis repetit ſex ſuas legiones, olim opitulatum miſſas.

Et eluditur.

lud ejus pariter acuebat curam, quòd ſe dudum ſex ſuæ gentis legiones, quas Batavis jam antea miſerat auxiliatum, repetentem eluſerant; facta iiſdem, ſi vellent, abeundi copia; clam verò Præfectis militibuſque, ut manerent, ſolicitatis. Et cuncti quidem præter ſex ac triginta Ordinum Ductores, merituri apud ipſos manſerant. Quamobrem Rex claſſem atque exercitum luſtrare; duces gregarioſque præmiis atque humanitate in ſuam fidem illicere; maritimis viribus addere decem naves, terreſtribus quatuor novas legiones; veteres ſtudioſo Catholicorum delectu, ſed veluti fortuito, ſupplere; qui tamen ubique ægre accepti, repudiati quoque a Borrovicenſis Legionis Centurionibus, & prolegato, ſed non impune, quippe ſtatim exauthoratis, quamquam timendum foret, id illos incorrupta reliqui exercitus fide nunquam auſuros, ac latius manaſſe malum, quàm quod ea pœna coerceri, quin etiam irritari poſſet. Hæc ubi proviſa, ſatis publicæ tranquillitati conſultum credere; licèt quos fruſtra per Provincias curatum miſerat, ut Legatos ad nova Comitia ex ſua ſententia deligerentur, renuntiarent, ubique Civium animos ſubagitari. Apud ſe ſiquidem conſtituerat, facilè externas vires claſſe, internos motus exercitu compreſſum iri; & ſi omnia in præceps ruerent, adhuc portum ſibi non defuturum, quò ab iratis fluctibus ſe reciperet: le-

Quocirca auget exercitum & Claſſem.

Conſcriptis Catholicorum pluribus, & alicubi repudiatis, ſed non impune.

Quomodo ſibi in omni fortuna cavendum putat.

legum ſcilicet abrogationem, quæ tantos ſuæ genti terrores facerent. Nondum enim ſuo periculo ſatis didicerat: præocupandos civiles tumultus; timida ſeditione, ſi non incœperit. At non eadem Ludovico Regi ſententia erat; qui propterea Britannum ſæpius per literas, ſemel etiam per Bonrepoſi Marchionem, quem alia cauſatus, ad eum legaverat, ut ſibi proſpiceret, ſuadebat, offerebatque auxiliares Copias, decem hominum millia; monebat quoque, ne fideret fallacibus ſuorum dictis, a quibus compertum ſibi eſſet, inſidias fieri. Neutrum acceptum. Non conſilium, ob inſitam Jacobo opinionem: neminem, quem beneficiis obſtrinxiſſet, non eundem obſtrictum fide ſibi fore; hanc verò deficere, ſi ſemel ſuſpectam habeas. Non auxilia, utpote apud æmulam Nationem nocitura potius, daturaque integris Civibus ſuſpicandi occaſionem, vacillantibus rebellandi. Qua quidem in re omnium conſenſu nihil erravit. Sed eò uſque proceſſit, ut cùm Schultonus, ejus negotia curaturus, Lutetiam veniſſet, interque familiares cum Ludovico ſermones ſententiam rogatus, qua ratione renuenti peregrinos milites ferri quidpiam auxilii poſſet; dixiſſet: Si Batavis Britanniæ pacem turbantibus Gallicum bellum, ni deſiſterent, oſtentaretur; nec Rex oſtentare deſiiſſet; Illis apud Jacobum rem conqueſtis, defendaque amicitia obſtringentibus iterum fidem ſuam;

1688.

Oblatum à Ludovico Rege auxilium recuſat, & quare.

Schultonum Legatum e Gallia revocat Batavis ſuſpectum.

1688. ſuam; hic Schultonum in Angliam redire, ac veluti odioſi conſilii reum in Londinenſi arce ſervari juſſerit. Quod poſtquam in Gallia compertum fuit, videretque Ludovicus, in ea lubrica Jacobi conditione ſi Britannicis rebus ſe ſe immiſceret, periculum fore, ne vel ipſo invito ejus gentis odium bellumque in ſe concitaret; ſimul verò, cùm e tanta ejuſdem fiducia argumentum duceret illum non facilè de ſtatu ſuo demoveri poſſe, ac ſibi ſaltem tempus ad opem ferendam, ſi qua indigeret, poſt Germanicam expeditionem ſuffecturum, hanc modò ſuſcipiendam ſtatuit, ratus præſertim e re ſua nimiùm eſſe, prævertere Fœderatorum irruptionem, atque ulteriore expedita Rheni ripa iter obſtruere Galliam mox invadere cogitantibus. Itaque vixdum a Villarſi Marchione, ſuo ad Cæſarem Legato, certior factus, Germanorum exercitum Danubio trajecto Albam græcam oppugnare aggreſſum, unde ad Rhenum citò accurrere & itineris prolixitate, & ſuſcepti facinoris magnitudine prohiberetur, ad ſexaginta hominum millia properare Delphino duce in Germaniam jubet, cauſa in vulgus edita: ne anteverterent hoſtes; utque Carlottæ fratriæ ſuæ Palatinam hæreditatem, Cardinali Furſtembergio Agrippinenſem Pontificatum vendicaret. Delphinus ſecum adducto Duratio Legato (Mareſchallum Galli vocant) cum equitum quindecim millibus, viginti

Quo cognito, Ludovicus Rex Germanicum bellum decernit.

Quam ejus cauſam adduxerit.

Delphino duce Philippoburgum oppugnatur.

gínti peditum Legionibus, reliquis Beuflerſio, & Monclario ad terrorem circumferendum diviſis, ſub æſtatis finem Philippoburgum petit. Jacet ad dextrum Rheni latus in Spirenſi ditione Oppidum, loci natura, munitionibus, & vario caſu celeberrimum. Nomen habet a Philippo Chriſtophoro Soetereno Trevirorum, Spiræque Antiſtite, qui illud principio hujus Seculi operibus cinxit, & falſo quidem conſilio tanti fecit, ut dignum potentiori Principe redditum, mox Epiſcopo ereptum, in Cæſaris, Gallorumque viciſſim poteſtatem conceſſerit. Heptagoni formam refert, ſeptem roſtrata protendens in angulis propugnacula. Interius aggere, exterius foſſa, quam brevi deductam ſpatio flumen interfluit, valloque munitur. Loricam, propugnaculis interiectam, protegit lunata parma. Lateri in Occidentem verſo jungitur coronarium opus; huic alterum cornutum, quod tredecim non amplius paſſus ab amne diſtat. Et aliud coronarium explicando trajectui conſurgit in adverſa ripa. Stagna circùm fere continua. Prope flumen, & ad Boream intermittunt. Præerat oppido Comes Starembergius. Duo Germanorum peditum millia, centum equites præſidio erant. Galli eò progreſſi, ciſrhenanum munimentum, vix obnitentibus Præſidiariis, in poteſtatem redigunt. Dein celeriter ad Vicum Julium ponte impoſito, fluvium tranſmittunt. Nec mora, triplex inſtitui-

1688.

Arcis & oppugnationis deſcriptio.

1688. tur militaris agger ; robuſtior atque operoſior adversùs duo borealia oppidi propugnacula, interpoſitamque parmam ; exiliores ab ripa ad utrumque Forcipis cornu. Magna militum alacritate producuntur, quam laudibus ac præmio Delphinus acuebat, ubique præſens non ſine ingenti animi robore, nulliſque fractus periculis. Operi ducendo non Præſidium, nunquam muros egreſſum, reſiſtebat; ſed, vix depreſſo udo ſolo, erumpentes aquæ. Nihilo ſecius quarto die ad Forcipis foſſam utrinque ſucceditur. Poſtridie tectum illic iter vi obtinetur non levi & mutuæ ſtrage. Bidui ſpatio fodiuntur ſcrobes, deducitur aqua, foſſa exæquatur, & jam utrumque munimenti cornu majora tormenta mœnibus denudaverant. Quare tentandum conſtituitur. Quatuor Pyrochytrophorum cohortes ruinas conſcendunt. Germani in margine ſe ſe objiciunt; pugnam conſerunt. Verùm ferociter impellentibus Gallis primò turbant ordines ; mox in coronarium opus, quod a tergo erat, fuga ſe proripiunt; paucis utrinque deſideratis, triginta Præſidiariorum captis. Inventæ ibi quatuor machinæ ſtatim in hoſtes directæ ; & a foſſæ quoque labro tria coronariæ munitionis propugnacula dilacerantur. Major hic fuit ſiccandæ implendæque foſſæ difficultas, quæ tamen improbo labori ceſſit. Re perfecta, apertoque per ſtragem murorum aditu, Legio Andegaven-

venſis cum aliquot Regiæ cohortibus trifariam diviſo agmine in ea propugnacula invadunt. Vix diſſipata vallorum ſepe in altum proſiliunt. Prælium non diu tenuit, pedem ordine referentibus Germanis, atqne intra oppidum ſe recipientibus. Starembergius ea munitione capta, deditionis illico ſignum dedit; quamquam adhuc intactis interioribus mœnibus, ac tolerata undeviginti ſolùm dierum oppugnatione. Sed cùm nulla in ſpe foret recipiendæ opis, & morbo conflictaretur, noluit inutili diſcrimine rem protrahere. Kal. Nov., natali Delphini die, duodeviginti Præſidiariorum centuriæ honeſtiſſimis conditionibus cùm quatuor æneis catapultis, ſed pacti in militiam ante Ver proximum non redituros, ne reliquas circùm urbes præſidio firmarent, diſceſſere, Ulmam deducti. Reperta quatuor ſupra centum muralia tormenta, commeatuum bellicique apparatus quantum ad longam obſidionem ſatis. Gallis arx munitiſſima non plus mille ducentis ſtetit gregariorum militum, paucis minorum ducum, majorum uno Bordagi Marchione exercitus Inſtructore. Quæ dum iſthic geruntur, Humiereſus Legatus cum viginti armatorum millibus Moſam legens, Dinantium atque Huyum, quæ conſtructis ibi pontibus aditum in ulteriorem ripam aperiebant, lubentibus Civibus, occupavit. Inde inflexo ad Rhenum

1688.

Oppidum in Gallorum poteſtatem venit, & quibus conditionibus.

Humiereſus Dinantium, & Huyum occupat.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

1688. num itinere, Bonnam aliaſque haud ignobiles Agrippinenſis Ditionis arces in poteſtate habuit, Cardinalis Furſtembergii munere, qui paullo ante Archiepiſcopi Maximiliani Octoviri mortem ipſarum imperium, ſucceſſor deſignatus, obtinuerat. Coloniam Agrippinam citato progreſſum agmine, clientelarum ope, quas idem Furſtembergius clanculum in id paraverat, illam ſurrepturum, Schombergius, dudum in gallica militia clarus Legati nomine, Arauſionenſis monitu, apud quem religionis cauſa exulabat, cum ter denis centuriis prævertit. Sub idem tempus Bouflerſius cis Rhenum, globo ſuorum militum circumducto, Cæſaropolim, Crucinianumque munita Palatinatus oppida, ſimul atque admotæ mœnibus machinæ jaculari cœperant, in deditionem accepit. Dein Moguntiam, Vormatiamque profectus, portas aperientibus Civibus, præſidium induxit. Confluentes, loci opportunitate non parvi momenti oppidum, cùm nihil pacati reſpondiſſet, fœde incendiariis ollis verberavit; oppugnare, quoniam hyems inſtabat, nequaquam auſus. Et per hos ipſos dies Monclarus ulteriorem Palatinatum infeſtis ſignis pervagatus, Spiram, Hailbrunamque liberas civitates, mox Haidelbergam Octoviri ſedem, vacuas præſidio cœpit. Atrox per omnem regionem vaſtitas eſt conſequuta; multati maximis pecu-

Bonnam quoque in poteſtate habet Cardinalis Furſtembergii arte.

A Colonia Agrippina excluditur, & quomodo.

Bouflerſius aliquot oppidis potitur.

Eique Moguntia, & Vormatia portas aperiunt.

Confluentes reſiſtunt, & verberantur.

Monclarus Spirem, Hailbrunâ, Haidelbergâ vacuas præſidio occupat.

pecuniis Cives, injuriis affecti; nudata ornamentis Templa; & Spiræ veterum Imperatorum ſcrutandis Sepulcris, ſi quid, ut fama ferebat, auri gemmarumve ineſſet, cineres exagitati; tanta ubique licentia militum, ut vulgo percrebuerit: ſatiando Ludovici Regis in Philippum Octovirum, Auguſtani fœderis auctorem, odio tam diram ejus regioni fuiſſe cladem illatam. Sed comites belli calamitates facile quiſque miſeratione aut ægritudine, cùm eas aliter ulciſci nequeat, in invidiam vertit. Delphinus, Monclaro cum mille centum equitibus ad invadendum Manhemium præmiſſo, non ita multo poſt cum omni exercitu illuc advenit. Sedet urbs ad confluentem Neccarum munitionibus circumvallata; arcem habet difficiliorem. Expeditis machinis, ad primam verberationem urbs Victoris fidei ſe permiſit. Prædæ inhiantem militem Delphinus coercuit, deditque argumentum, quæ dudum per id locorum nimis ferociter geſta fuerant, militari furore, non ſua nec Patris voluntate fuiſſe geſta. Præſidium (mille ducenti erant) in arcem conceſſit. Operibus oppugnari cœptum, biduo poſt ut honeſtis abire conditionibus ſibi liceret, petiit, impetravitque. Inde exercitus cis Rhenum reductus, Franchentalium munitum oppidum ſubiit. Nihil ei præter auxilii ſpem deerat ad reſiſtendum. Vix tamen bombardis concuſ-

1688.

Fœdiſſime Palatinatum populatur dejectis etiam veterum Imperatorum Sepulcris.

Manhemium obſidet, & obtinet.

Franchentaliū expugnat.

1688. cuſſum in hoſtium ditionem ſe permiſit. Ita bimeſtri expeditione Palatinatu finitimiſque regionibus in poteſtatem redactis Delphinus in Aulam remigravit, decorus Ludovici patris laude, Civium plauſu, & militari gloria. Milites per devicta loca hybernare juſſi, maximæque circum; vaſtitatis metu, imperatæ pecuniæ, ſollicita ſuſpenſaque Germania, ne longius procella ingrueret. Quamobrem, qui propius erant periculo, territi ad arma concurrere; remotiores de communi ſalute inter ſe conferre; Philippus Octovir, tetram felicíſſimi dudum Imperii ſui ſpeciem circumferendo, fidem opemque Fœderatorum implorare; ſe primum tantò vulnere confoſſum, dicere; mox reliquis eamdem calamitatem, ni caveant, adhæſuram. Eò præcipue verterat omnium cura, ut Cæſar cum Turcis pacem reconciliaret; utque Batavi, atque Arauſionenſis adversùs Britanniæ Regem facinus, quod jamdiu parturiebant, aliquando parerent. Nunquam enim, ajebant, Gallorum impetum perfractum iri, ſi Jacobus Rex domeſtica ſeditione liber, ipſis animos ac vires addat; Leopoldus Cæſar, ſi barbarico detentus bello, Germanicum robur augere nequeat. Jam Britannicus tumultus promptus erat Arauſionenſis non minus ſtudio, quàm rebellantium. Nam cùm XII. Kal. Quintiles Rex virili prole auctus fuiſſet, id enimvero, ut

Delphinus domito Palatinatu ad Patrem redit.

Britannica Arauſionenſis contra Jacobũ Regem expeditio deſcribitur.

Unde orta atque enutrita.

ut ſeditio in apertum prodiret, plurimùm valuit. Qui ab Catholica Religione abhorrentes adhuc incerto animo fuerant, illecti ſpe, Regem, qui mox Jacobo ætate jam provecto nec ſobolеſcenti ſufficiendus eſſet, a Romanis Sacris alienum fore. Nunc inſperato ſua fraudati opinione (quippe legitimo Succeſſore, qui modò natus erat, Parentum ſuorum cultam Catholico ritu religionem proſequuturo) ſe ſe hanc reſpuentes extra diſcrimen ponere, induxere tandem animum. Et qui odio aut ingenio jamdiu res novas moliebantur, Arauſionenſis præter cæteros, ſoliciti ne firmata regia ſtirpe, amor in eam populi reviviſceret, dare conſiliis tempus, in rem ſuam non eſſe reputarunt. Itaque frequentes ad Vilhelmum Proceres ire ſpreto Regis edicto, qui cunctis mare, niſi facta ab ſe navigandi poteſtate, vehementius per eos dies in ſuſpicionem adductus intercluſerat; illum hortari, ut ſtatim tranſmitteret; monere, nullam eſſe Reipublicæ partem tumultu vacuam. Sed ingentia facinora vel citò patrari, vel nunquam: moram iis inimicam eſſe, facilè ſubeunte metu, ſi ſe reſpiciant. His ille atque aperta fretus tot ex unoquolibet Ordine Civium voluntate, qui ſe ſuamque fidem datis literis veluti pignore obſtrinxerant, non amplius tardandum ſtatuit. Præſertim cum jam abiret autumnus, idque eſſet anni tempus, quo Batavis altum vul- 1688.

1688. nus ab Gallis inferri haud amplius poſſet. Ne verò facinus, ut cùm ex plurium voluntate, pendet, æmulatione aut nimia ſagacitate corrumperetur, ſupremum Fœderatorum Ordinum Magiſtratum rogatum adiit, ut, qua de re ſibi dicendum foret, uni aut alteri ipſorum clam, ceteris dici ſatis haberent: quorum ſententia, ſi bene conſtituta videretur, fulto ſibi Reipublicæ viribus gerendam permitterent. Quamquam inuſitata ſuſpectaque poſtularet, Magiſtratus annuit; datique duo, qui remotis arbitris rem perpenderent judicarentque. Renuntiantibus, videri cuncta, quæ ille meditatus fuerat, feliciter evaſura, dicto fides habita; datumque, quicquid ſibi ad rem patrandam opus fore poſtulaſſet. Diſcedentem, cùm in Curiam veniſſet ſalutandi cauſa, lætis ominibus proſequuntur. Iret, explicaret conſilium, quod ſibi propoſuiſſet. Se fretos ejus prudentia ac ſtrenuitate non dubitare, quin illud ita digeſſerit, ut redargui temeritatis nequeat. Ceterùm nihil magis inexpiabile, quàm ingens aliis inferre periculum irrito eventu; nihil æque glorioſum; ac maximum facinus pro miſerorum ſalute, Religionis tutela, Patriæ ſecuritate ſuſceptum felici exitu. Quæ dum illic jam non occultò geruntur, Jacobus Rex ad ingruentis vim tempeſtatis frangendam repellendamque ſtudiis omnibus adjecit animum. Armaverat ſagittariorum equitum mille, quinque mil-

Ab Arauſionenſi cum duobus ſupremi Fed. Ord. Magiſtratus communicatur.

Probata fulcitur viribus Reipublicæ.

Jacobus Rex ad eam repellendam accingitur; quo conſilio & viribus.

millia levis armaturæ ; Anglorum , qui pedibus merebant, viginti millia ; Hibernorum ſeptem, & horum agmen alterum Tyrconellus prætor parabat ; Scotorum quatuor . Quadragenas Hibernorum centurias excubare ad Conjugis Natique tutelam ; reliquos prope Salesburium caſtra metari juſſit . Cunctis Duratium Feverſami Comitem præfecit . Provincialibus mandatum , ut quicquid boum equorumque haberent , ab litore ultra vigeſimum lapidem retraherent, ne hoſtibus ad tranſuehendas machinas atque impedimenta uſui forent . Darmuthi Comiti claſſis præfecto, ut illam educeret , occurreretque adventanti Inimico, pugnam initurus, imperitatum . Erant bellicæ naves quadraginta , undeviginti incendiariæ , quibus ad certam victoriæ ſpem nihil deerat præter ipſius Præfecti pluriumque Navarchorum fidem . E Scotia accitæ aliquot legiones . Quinque hominum millia Perthiæ Comes, politicorum ibi negotiorum præſes, ad regni fines Carleolum miſit . Montanorum, gentis ſuo Regi fidiſſimæ, quindecim millibus Strevelinum accedere inditum, illinc, quò ferret occaſio, profecturis . Hæc adversùs externas vires . Civibus reconciliandis, quidquid tanta contentione ac ſtudio quadriennii fere ſpatio Catholicæ dederat Religioni , vix non penitus abrogavit . Vetitum, ne quis illam ſectantium ad Comitia deſigeretur , neve amplius in propatulo

1688.

Terreſtribus Copiis præficit Feverſami Comitem.

Claſſi Darmuthi Dynaſtam.

Quicquid ad Catholicorum utilitatem decreverat, abolet.

1688. Romana fierent Sacra. Quotque illa colebant, ab Oxonienſi Academia, ejuſque Magdaleneo Collegio abire juſſi. Inſtitutum Anglicanis Myſtis coercendis Tribunal, abolitum; Londinenſis Antiſtes muneri ſuo reſtitutus; priſtinæ Civitatibus, quæ non parum contractæ fuerant, redditæ immunitates; cogendi primo quoque tempore Concilii data fides, & nihil vel ſe vindice ad ejus libertatem defuturum. Quæ tamen, quia metu expreſſa videbantur, ad acuendam perfidiam ſuas ita monitam vires, valuere. Adeo vel ipſa beneficia, ſi non in tempore ac ſponte oblata, ſæpius nocent. Sacrorum Præſidibus, quotquot Londini erant, in Aulam vocatis, ceteris per literas dat negotium, ut ſuos in officio continere ſtudeant. Ad hæc factæ undique, acclamationes, fideſque eò promptius promiſſa, quò mox peritura. Scotiæ Senatus, complura Municipia, Procerum quot adhuc Londini verſabantur, militares duces, Societates, aliique Ordines, opem quique ſuam polliciti, ut bono eſſet animo, adhortabantur. Quin & Darmuthi Comes glorioſe renuntiavit, ſe modò e portu ſoluiſſe, velaque, cum hoſte congreſſurum, in altum dare; mox fore ut illum fuſum fugatumque, Regnum metu liberum referat. Tamen Antiſtites aliqui reperti ſunt, qui Regem de mutanda Religione, ſi otium vellet, admonuerint, tanta ipſius indignatione, ut palam ejuſmo-

Et quicquid ſeverius adverſus Anglicanæ Sectæ Epiſcopos, & Civitatum jura.

Plurima idcirco ei gratulatio & ſervandæ fidei promiſſio.

mo-

modi temeritate imminutam majeſtatem conqueſtus fuerit. Factam a reliquis ſpem gratam habuit, tantique reputare viſus, ut edicto promulgaverit, ſe fretum ſuorum populorum fidelitate externa repudiaſſe auxilia, ne quidpiam iis decedat gloriæ, ſi non ipſorum ſtrenuitate repulſus hoſtis; neve ignominiæ accedat, ſi veriti peregrinum militem ab eo ſuſcipiendo ſe continuiſſe, cenſeri poſſent. Quamquam jam tum denique interioribus amicis crediderat, Procerum Civiumque aliquos labare. Iis nihilo ſecius inquirendis abijciendiſque abſtinuit, ſeu paucos ratus & in plurium conſtantia nihil auſuros; ſeu tantæ moli tempus non ſuppetere, & ſatius eſſe in diſcrimen ſe permittere, quàm turbandis, pluſquam nunc eſſent, rebus anſam præbere. Unum tantummodo, ceteris deterrendis, & juſto dolori obſequutus, ab ſe ſe abegit Robertum Spenſerum Sunderlani Comitem, Senatus principem, arcanorumque participem ac prope arbitrum; cujus præſertim conſiliis in plagas Regem inductum nemo dubitat; illud incertum, perfidia an errore. Hunc Jacobus durum adverſarium expertus fuerat, cùm in Concilio de prohibenda ſibi ob Catholicam Religionem Regni hæreditate, viuo adhuc Carolo, ſermo fuerat. Deinde amicum, fautoremque acerrimum, ubi hac illum ſpe depulſum quærentemque in gratiam redire libenter acce-

1688.

Spenſerum Sunderlani Comitem in exilium pellit.

An is fuerit perfidiæ reus?

pe-

1688. perat, hominem magnis opibus magniſque fultum clientelis, majori præditum rerum agendarum dexteritate, & unde ingentes fructus, regnum aſſequutus, percipere ſe poſſe arbitraretur. Igitur ubi Fratri ſucceſſerat, confeſtim præcipuis muneribus honeſtatum ad intimas de Republica deliberationes adhibuerat, ejuſque præſertim auctoritate adactus, rem Catholicam, nullo adverſantium & futuri metu, ſtrenue ab tot ſuæ gentis injuriis vindicandam ſuſceperat; famaque tulit, ab eo propoſitum, quicquid vel ipſo ancipite quandoque Rege imperatum irritaverat præter cetera Civium animos. Quod cum Robertum, ſumma virum ſagacitate, longe proſpexiſſe dubitari non poſſet; contra verò pertinaciter contendiſſet non timendum a Batavis, quos nemini inſidiari ſciret ornanda claſſe; prorſus abigendum Britannici tumultus pavorem, cujus inanis increbreſceret rumor; nec præbendas delatoribus aures, ne ſuſpicaces animi ad ſcelus antea non cogitatum, ſibi cavendo, ruerent; argumentum dedit ſubleſtæ fidei; cum præſertim per id temporis frequentes ab ejus conjuge ad Mariam Arauſionenſis uxorem literæ commeaſſent; ejuſque avunculus Henricus Sydneus, Conjuratorum unus, in Hollandiam profectus, clam apud ipſum Arauſionenſem diverſaretur. Intercepta quoque ejus epiſtola, qua ſuum in Catholicam Re-

Vnde hujus orta auctaque ſuſpicio.

Religionem ab Anglicana digreſſum huic utilitati fore, quaſi melius alteri e propinquo nociturus, profitebatur. Eadem mox Religio ab ipſo, poſtquam ex Anglia ad Batavos deceſſiſſet, deſerta fraudis ſuſpicionem auxit. Nihilo tamen ſecius perfidiæ damnari, quia præmio caruit, non poſſe videtur. Nam plerumque ex emolumento ſcelus, rarum ex ingenio. Hoc rerum Britannicarum ſtatu Arauſionenſis III. Kal. Nov. collecta claſſe atque exercitu vela fecit. Quinque & quadraginta bellicis navibus, quindecim incendiariis, amplius quingentis onerariis traducebat equitum quatuor millia, peditum undecim, quos inter duo Scotorum millia, totidem Anglorum; armorum ingentem numerum; pecuniæ decies centena millia Coronatorum. Inſignia Naſſaviæ Gentis pro vexillo erant imperatoriæ navi, circumpoſito lemmate: pro religione ac libertate. Cum eo conſcenderant Scombergius extorris Gallia, Anglorumque Procerum Henricus Sydneus, Carolus Thalbotus Salopiæ, quam modò Shresburium vocant, Carolus Gerardus Marchelsfeldi Comites, Mordantius, Herbertus. Hic, ut dudum in Anglia, Legati munere ductabat primum claſſis agmen; medium Arauſionenſis; poſtremum Evertzenus maris præfectus apud Zelandos. Vix in altum progreſſis, ingenti procella inhorruit pelagus tumuitque adeo, ut naves,

1688.

Unde poſita.

Arauſionenſis in Angliam ſolvit.

Qua claſſe, viribus, comitatu.

1688. ves, cùm ſuſceptum inſiſtere, adverſante vento, iter nequirent, jactatæ diſiectæque tempeſtate, equis plus mille in profundum projectis, magno armamentorum & compagum damno ad Moſæ oſtium, & quò unaquæque proximum litus arripere potuit, redire coactæ ſunt.

Tempeſtate diſiectus redire cogitur.

Citò ſarcitur claſſis.

Celeriter ſarciuntur; & contulere ſtudium Fœderati Ordines ea ſedulitate, ut intra quintumdecimum diem inſtructæ iterum paratæque fuerint ad navigandum, auctæ inſuper ſeptem bellicis humilioris formæ (Fregatas vocant). Præceſſerat movendæ ſeditionis tuba, publicis conſignatum literis monumentum, quo Vilhelmus Scotiæ Britanniæque populis oſtentabat, ſe ab ipſorum clariſſimis genere ac dignitate rogatum evocatumque, & regni commotum ærumnis, opem afflictis rebus, priuſquam penitus corruerent, adducere. Qua quidem in re nullam privatim ſibi utilitatem propoſuiſſe, ſed rem ſacram ex Anglicanis inſtitutis tutandam; coercendam intra legum modum regiam poteſtatem, altiùs ſeſe efferentem, & mox, ut licentius irrumpat, ingenti Civium pernicie quicquid ſupereſſet aggeris diſſipaturam; celebrandum Gentis Concilium, cui quod lubeat, pro Patriæ bono & ſentire & agere liceat; Catholicorum arrogantiam, plures jam uſurpantium magiſtratus, præfecturaſque, reliquis inhiantium, comprimendam; regni hæreditatem ſubditi-

Quid ſuſceptæ expeditioni prætenderit.

dititiæ proli per ſimulatum partum quæſitam, 1688.
legitimo Hæredi conſtabiliendam. Monere ſimul ut, cùm Rex per eos dies fidem ſeu magis verba dediſſet, ſe cuncta, quæ ad Rempublicam ac Religionem pertinerent, e Civium ſententia moderaturum; haudquaquam fiderent fallacibus promiſſis, ejuſque voluntatem non ex præſenti metu, ſed ex præterita fiducia metiri vellent. De mutanda Imperii forma, exauthorando Rege, ac ſe in ipſius locum ſufficiendo tacuit, veritus ne in ſententiarum varietate, aliis alia exoptantibus, diſcordia obreperet. Rex, præoccupato ea novarum legum abrogatione ſuæ gentis deſiderio, cùm ſeditionem ſatis hinc exarmaſſe crederet, e vulgi opinione ſtolidam quoque ſuppoſiti Infantis fabulam extorquere voluit; publicis mandato literis tot Procerum Antiſtitumque teſtimonio, qui Valliæ Principem naſcentem viderant. Et nemo quidem per id quoque temporis ingenuo fuit animo, cui non ſtomachum moverit, eò ſtupiditatis aut inverecundiæ Britannos deveniſſe, ut hujſmodi commentum excogitaverint, crediderint, protulerint; haud reveriti regiam majeſtatem, quam tantæ fraudis damnatam vulnerarent; non tam illuſtres Viros, quos mendacii redarguerent; non ſui conſcientiam ſceleris; quippe, qui cùm ſæpius Reginam uterum geſtantem vidiſſent, negata oculorum fide

Jacobus Rex ſubdititiæ ſuæ prolis fabulam apertiſſime evertit.

1688. ſuffarcinatam iniquis ſermonibus divulgarent. Nec minor inuſta labes Arauſionenſi, qui nuper gratulatus Regi novam ſobolem, & huic deinceps ut reliquis propinquis, dum domi publice rem ſacram faceret, auſpicatus, illam modò, ambitioni potius quàm verecundiæ ſerviens, diffiteretur. Fabula ſuis confoſſa telis citò periit; manet aſſertæ pudor, & poſteritatis judicium. Vilhelmus ornata iterum ſuppletaque claſſe Id. Nov. e portu ſolvit. Altero die ad auſtralem Britanniæ oram pervenit. Expoſitis circa Limam Torbayumque prope Dermutham copiis, Exoniam Devoniæ provinciæ caput ire pergit. A Civibus receptus, aliquot ibi dies moram traxit, intentus, qui ad ſe populorum concurſus, qui motus ubique fierent. Magni confeſtim & frequentes orti, ſed non pari ſucceſſu. Primæ Devonia provincia Cornubiaque, ſolicitante Bathoniæ Comite, qui Devoniæ præerat, rebellarunt. Eboracum deinde cognominemque tractum in ejus fidem adduxit Danbigæ Comes. At Briſtolio inſidiantem cientemque per ea loca turbas cum globo militum Lovellatii toparcham Bedfordiæ Dux, collecta popularium manu, pugnantem cœpit, reliquis diſſipatis. Tumultus quaquaverſum pervaſerat, Conjuratis clientelas, & quos rerum novarum cupiditas illiciebat, ad ſigna vocantibus. At ſimul pro ſua in Regem fide plures conſilio aut armis, ne malum

Arauſionenſis iterum in Angliam navigat.

Appulſus alicubi excipitur.

Magni in Anglia ubique tumultus dubio ſucceſſu.

lum ſerperet, obnitebantur. Pars major ex eventu in alterutrum inclinatura videbatur. Hæc Arauſionenſem angebant, veritum inimicam ſeditionibus moram. Nec minor irrepſerat in Regem ſolicitudo, quòd perfidiæ lues ingredi exercitum cœperat. Tres legiones, quas ad invadendam prope Axam urbem hoſtium ſtationem acceperat, Cornburius tribunus militum in itinere, ut ſecum ad Arauſionenſem deflecterent, ſubornaverat, paucis manipulis, ne fidem mutarent, remeantibus. Exemplum graviora minitabatur. Nam defectionum initia, quia periculum & pudor obſtat, difficiliora. Si ſemel incipiant; ſæpe odio aut metu trahuntur alii, plures ſequuntur. Itaque Rex, ut quantum conſilio poſſet, ulcus ſiſteret tentaretque, an adhuc in aliorum animos penetraſſet, militares præfectos, quot ſecum retinuerat, ad ſe vocatos de Cornburii defectione certiores facit. Cùm quiſque tantam perfidiam deteſtaretur, paucis infit. Ita ſane veſtra mihi & animi & generis ſuadet indoles. Nec aliter ſuadere vobis poſſe videtur meus in Cives amor, quo, nulla mei habita ratione, quicquid ipſis diſplicebat, dudum delevi. Concilium quoque, ubi primùm, quieta Republica cogi poterit, cogam, in eoque meam nemo facilitatem inclinatamque in omnium ſtudia voluntatem deſiderabit. Quòd ſi hæc tanti eſſe non ducitis, ut veſtra & cujuſ-

1688.

Tres legiones ab Rege ad Arauſionenſem deficiunt.

Regis ad explorandos animos concio.

 que

1688. que Civium erga Regem ſuum maneat fides, liberis vocibus, quid in mente geratis, palam facite, ut vos ceteroſque ſacramento, quo mihi obligati eſtis, abſolvam; ne, quod quiſpiam ſcelus patrare induxerit fortaſſe animum, periurio violataque majeſtate cumulet. Sit hoc extremum benevolentiæ, ut minuendo crimini Cives malim ingratos quàm perduelles. Hæc dicentem omnium gemitus interrupit; ſubſequutaquè effuſis cum lacrymis vox affirmantium, nihil ſibi ea dubitatione moleſtius accidere: quaſi negligerent ignorarentve, tantum ab Rege ſuæ genti datum, quantum nemo unquam ſperare potuiſſet; proinde ſe colligeret, perciperetque ipſa re: virtutes reliquas optimo Principi gloriam parere; in una concilianda populi benevolentia ſecuritatem ineſſe. Ille conſtanter ab iiſdem aſſerta fide, acceptiſque a Fevershami Comite literis, quibus admonebatur, præter Cornburium, defectionem neminem infeciſſe, confirmatus, ire ad exercitum ſtatuit, prælio adversùs Arauſionenſem, priuſquam novis accreſceret viribus, dimicaturus. Adhuc enim lente ſerpebat per provincias flamma ſeditionis, hærebatque data Arauſionenſi ſpes, ad ejus adventum ſeceſſione regias copias diſſipatum iri. Is proinde per eos dies cum intimis conjuratorum egerat, ut capto per inſidias Rege, compendio rem abſolverent. Nec ad irritum ſermo ce-

Quæ plauſa excipitur.

cecidit. Primas agendi partes ſuſceperat Exoniæ Antiſtes, qui, ut perfidiam, quò plus noceret, vultu ac verbis tegeret, vixdum Exoniam Vilhelmum progredi cum exercitu noverat, vehementer Cives hortatus fuerat e ſuperiori loco, ut portas advenienti clauderent firmarentque urbem ſtationibus. Se celeriter, opem exoratum, in Aulam ire; modico ſtudio ac tolerantia parerent ſibi ſervatæ fidei decus, mox pretium ampliſſimum relaturi. Comiter ab Rege acceptus, ac ſtatim ad conciliandam oſtentato præmio reliquorum voluntatem, nobiliori Eboracenſi Sacrorum præfectura honeſtatus, admiſſuſque ad arcanos ſermones, ipſius Regis conſiliis plurimùm moderabatur. Dum in Aula commoratur, cum Curchilli toparca, Conjuratorum altero, regiis eo pariter beneficiis obſtricto, de inſidiis, ubi & quibus artibus inſtruendæ forent, convenerat. Regem, dum ad exercitum iret, comitati Salysburium pervenerant. Incerto, illico ne ingreſſus caſtra, quæ propius hoſtem promota fuerant, militibus ſe permitteret, an tantiſper e proximo illorum mentem ſpecularetur, omnem abrumpere ſuadent moram. Præſentem, dicere, animos bonis Civibus additurum, ut pro communi ſalute alacriùs armorum diſcrimen ſubeant; malis, ſi qui ſint, terrorem, ut ſe cohibeant. Neque verò, cùm in propinquo ſit hoſtis, cunctandum eſſe. Nam

1688.

De capiendo Rege inſtruuntur inſidiæ.

Exoniæ Antiſtitis, aliorumque perfidia.

Quo pacto eluſa.

1688. Nam quieſcunt deſperato eventu ambigua ingenia, panditque turbulentis conſiliis aditum occaſio. Interim Arauſionenſem monent, poſtridie Regem parvo & prope inermi comitatu, ut per tutiſſima loca, iter Salysburio ad exercitum proſequuturum. Saltum, quà progrediendum erat, aptum inſidiis locum, tacito agmine inſideret. Se ſe illi adhæſuros inducturoſque ſermonibus explorandæ muniendæque viæ negligentiam. Re compoſita, poſtridie mane Rex vix non rhedæ inferebat pedem; cùm repente ſtillare ipſi e naribus ſanguis cœpit, attulitque procraſtinandi neceſſitatem. Dum cunctatur, ſtructas poſitaſque inſidias (quo pacto ignoratum) cognovit. Diſſimulata cauſa, ne dilapſæ opportunitatis ira, futuræ deſperatio, atrociora conſilia ſuggereret Conjuratis, diem illic abſumpſit. Ubi illuxit, veluti ex improviſo Londinum rediit, miſſis prius ad Fevershami Comitem literis cum mandatis, ut quas fidiſſimas legiones arbitraretur, eò ſecum adduceret, reliquas dimitteret. Statuerat enim, principe urbe, timore, ſin minus auctoritate, in officio retenta aut parum aut tardius ſeditionis luem integris regni partibus nocituram; ſibi interim ſpatium fore ad reſpirandum, reſtituendamque affectæ Reipublicæ ſanitatem. At ubi labare cœpit fortuna, impellitur mole ſua, nec facilè ſuſtinetur. Exoniæ Antiſtes, Curchillus, Graf-

Rex Londinum redit.

Quò fidas Legiones adduci jubet, reliquas exauthorari.

to-

tonus, aliique Conjuratorum hactenus circa Regem verſati, poſtquam illum mutata ſententia ab exercitu recedentem vident, & ſe detectos, ad Arauſionenſem pergunt. Quotquot Procerum e rerum inclinatione conſilium moderari ſuum conſtituerant, audita Regis conſternatione, male hinc ipſi ominati, derepente in Vilhelmi partes, ne facti pretium minueret mora, conceſſere. Hos inter Georgius Daniæ Regis frater, qui gener Jacobo erat cum Anna coniuge, Ormundi Dux, Antonæ borealis, Mancuvii, novi Caſtri, Abindoniæ Comites plus ceteris in ore hominum fuerunt. Repentina quoque totius exercitus diſſolutio conſequuta eſt, corrupta dubiaque ejus parte ad Æmulum abeunte, ceteris domum aut in aliquam viciniæ arcem, ſi fortè, nondum a præfecto mutata fide, reciperentur. Rex Londinum reverſus, cunctos, qui ibi dignitate, natalibus, auctoritate illuſtres diverſabantur, ad ſe accerſitos, quid in tantis tenebris Reipublicæ gerendum videretur, ſententiam rogat. Mœſtum primò ſilentium tenuit, mox interruptæ gemitu voces indignantium, ſerò perditis rebus medicinam quæri. Cùm nemo ſingillatim auderet liberum proferre ſermonem, invidiæque ſe offerre; unus Clarentiæ Comes, atque alter Cantuariæ Antiſtes, ille affinitatis fiducia, hic dignitatis, inventi ſunt, qui ex communi ſententia palam ca

1688.

Procerum plures ab eo deſciſcunt.

Et Magna ſui exercitus pars.

Rex quotquot Londini ſunt aliqua dignitate, conſulit.

Datum conſiliū accipit. exequiturque.

1688. ac libere Regi denuntiarint: non de frænando populorum tumultu, ſed de placandis animis agendum videri. Eò rem progreſſam, unde non vi non armis revocari queat. Ire jam ſuo pondere ſuoque impulſam momento, facilè quidquid obſiſtat, proculcaturam. Itaque obſecundando retardare ac mollire ejus impetum opus eſſe. Nunc verò non aliam obſecundandi rationem ſe offerre, quàm ſi nulla mora Concilium convócet, ei ſe permittat, & qualecumque remedium deſperatis prope rebus ab ipſo proponatur, gratum habeat. Simul per legatos agat cum Arauſionenſi, ut accepto hibernis loco ſiſtat agmen, & in Regiam profectus conſiliis non gladiis Rempublicam explicare velit. Senſit Rex, quàm acriter ſibi eſſent infenſi, qui hæc proferrent; & ipſorum alterum ereptæ Hibernæ præfecturæ, alterum Londinenſis carceris adhuc memorem. Noluit tamen quidquam ſibi reliquum facere, quo publicum otium reſtitui poſſe reputaretur. Itaque habendis Comitiis diem perendie Id. Januar. édixit; ad Arauſionenſem tres procerum legavit Halifatium, Nortingamum, Godolſinum cum liberis mandatis, ut in iis rerum anguſtiis, quàmcommodiùs poſſent, rem ſalva majeſtate componerent. At cùm diffideret, ad honeſtas illum conditiones traduci poſſe, quem non temere arbitrabatur, regnandi cupiditate, non

Comitia indicit, ac Legatos ad Arauſionenſem mittit.

nôn Anglorum benevolentia, neve eorundem religionis ſtudio, quam ipſe non ſectaretur, ſumptuoſam plenamque periculi expeditionem ſuſcepiſſe; in rem eſſe duxit, cavere in omni fortuna regiæ Coniugi & Filio, ut ſalvo regni hærede, longius ab Æmulo dimoveret, qualiſcunque ſibi fortuna ſubeunda foret, dominandi ſpem. Itaque duo illa auguſtæ Familiæ pignora clam ſubducta, creditaque Povii Marchioni cum fidis cuſtodibus ad Portum magnum (patria voce Pormuthum dicunt) deduci juſſit, datis ad Darmutum claſſis præfectum, ut ea in Galliam tranſmitteret, literis; quem nondum alieno ab ſe animo eſſe didicerat, quamvis inſigne, declinato occurſu Batavæ claſſis, ſubleſtæ fidei documentum exhibuiſſet. Darmutus, ſecum opinatus, id Arauſionenſi grave incommodumque futurum, varia cauſatus abnuit. Illi viam, ne in ſuſpectis manerent locis, regreſſi, ingentibus curis implexo Regi hac nova ſolicitudine moleſtiæ atque ægritudinis cumulum addidere. Ejus Legati Vilhelmum convenerant docuerantque, præoccupaſſe Regem cuncta abrogare, quæ dolorem ſuæ genti feciſſe compererat. Concilium quoque mox agendum indixiſſe, ut ſi quæ alia fieri ad commune inſtaurandum otium medicina poſſet, omnium ſententiis decerneretur. Cum igitur ad quod ipſe armatus venerit, con-

1688.

Coniugem & Filium in Galliam deduci imperat.

Claſſe non excipiuntur & Londinum redeunt.

Legati Regis Arauſionenſè adeunt.

1688. ſectum ſit; arma quieſcere opus eſſe, ne tempeſtive ad ſalutem educta, poſtquam occaſio deceſſerit, perniciem afferant. Angliam non amplius ejus viribus ſed conſilio indigere. Nam ferro ſalubriter curari corpora, quoad ſtupent; ubi ad ſe redierint, ictum ſi addas, lethaliter vulnerari. Torporem, quo plerique alienis malis obduruerant, ejus adventu diſcuſſum; nunc ingenio ac dexteritate colorem valetudinemque affectæ Reipublicæ reſtituenda. Proinde ſequeſtris, non bellatoris in ſpeciem Londinum procederet, & quam adducto exercitu ſibi gloriam, Britannis utilitatem peperiſſet, dimiſſo aut in hiberna deducto, cumularet. Hæc a legatis renuntiata Vilhelmo diſplicuere, haud ignaro: pacatis regia facilitate Civibus, nihil ſibi ad regnandum ſpei ſupereſſe. Quippe qui penitus jam exploraverat, iis multò maxima ex parte, ſeu judicii æquitate ſeu belli civilis metu, non Stuardos, non Jacobum, non Regem inviſos eſſe; ſupremam tantùm poteſtatem intra anguſtiores fines coercitam velle. Quod ubi Concilii auctoritate peractum fuiſſet, quietem in Anglia, ſibi ſuſcepti facinoris damnum, irriti dedecus atque odium fore. Ictui, quo nullo atrociore percuti potuiſſet, declinando, veluti in re graviſſima conſulturus, reſponſum diſtulit. Propius Londinum progreſſus legatos vocat, compoſitoque ad ſeveritatem vul-

Triſte reſponſum referunt.

vultu paucis infit. Rex tantum vulnus intulit Anglicanis legibus ac Religioni, ut infenſam exuiſſe mentem, haud facile mollioribus dictis credi poſſit. Quotidie mihi in aures inſuſurrant clariſſimi omnium Ordinum viri: manſuetudinem timore inductam, hic ſi decedat, in iram verti eò vehementiorem, quò animus vi & ingratis abreptus fuerit in alienos mores. Id autem qui ab Jacobo rege non timeat, eum videri præteriti temporis parum memorem, præſentis ignarum. Quocirca ut abſolvam beneficium, rogant, neve tot laborum fructum, jam fœliciter matureſcentem, nimia credulitate aut mora corrumpam. Ego, qui ſtatus ſit rerum, præſens inſpiciam. Quietus Londinum ingrediar Socero obſequutus; ſed ita, ut, cùm populi ærumnis mederi aggreſſus fuerim, a perficienda curatione prohiberi nequeam. Hæc loquutus, iter accelerat. Rex actutum per literas ab uno legatorum monitus, nihil ſibi ab Genero tutum; ea reſpondiſſe, quæ turbulenta conſilia, & non obſcuris indiciis illum regnandi avidum oſtenderent; omni ſe nudatum præſidio circumſpectans, diſſipato exercitu, inſida claſſe, procellam declinare, ſævientique nimium fortunæ in præſentia ſe ſubducere, induxit animum. Re deliberata, id ei primùm fuit Conjugi Valliæque Principi conſulere. Navis apud Graveſindam in Galliam conducitur. Ingen-

1688.

Conjuge, & Filio prius in Galliam dimiſſo.

1688. gentis erat difficultatis, occultò e Regia egredi, ſtipatoribus, ut ſuſpicioſiſſimo tempore, diligentius excubantibus, incertoque omnium animo. Tamen fœliciter res evenit. Concubia pluviaque nocte XIV: Kal. Jan. parvo ſed fido comitatu per poſticum cunctis ignoti evaſerunt, nec ſe quinquemeſtris Infans vagitu prodidit; quod prope miraculo fuit. Tameſi amne trajecto, exceptique mercenaria rheda, ante lucem navi proximam ripam tenuere. Ignoti conſcendunt, fœlicique navigatione poſtridie ad Gallicum litus, ubi ſe aperit Caleti portus, appellunt. Nocte inſequenti Rex per eadem occulta itinera ad aliam navem pervadit, quam ſibi in Galliam pariter ſoluturo ab interioribus amicis curari juſſerat; celebrandorum Comitiorum decreto, priuſquam diſcederet, ne legitime haberi poſſent, antiquato. Navarcus vela ſe ſtatim facturum promiſerat, quamquam inornatus ad navigandum, opimo illectus naulo, & fidem tenuit. Sed cùm ventus increbruiſſet, nec ad impetum ſuſtinendum armamenta ſufficerent, his ſupplendis litus repetere opus habuit. Prope Feuershamum jactis anchoris, dum bajuli navem inſtruunt, eorum quiſpiam Regem de facie novit, indicavitque Magiſtratui, a quo (nam ſeveriſſimum, ut retineretur, urgebat Arauſionenſis edictum) in terram ſummis honoribus deducitur; diſcedere tantum prohibitus, quoad

Quo pacto evaſerunt.

Caletum appellunt.

Rex poſtridie in navem conſcendit.

Vento repulſus litus repetit.

Cognitus detinetur.

quoad Londinum delato nuntio, quid ſibi ejus agendum foret, renuntiaretur. Magnos ibi conciverat motus Regis fuga, miſerantibus aliis, eò tantum Principem conditionis adductum; aliis gloriantibus. Dum plebes variis ſermonibus diſtinetur; Proceres, quotquot aderant, quibus ſuffragii in Concilio jus erat, conventum habuerant, miſerantque publico nomine ad Arauſionenſem quatuor legatos, qui vacuam illum in Regiam invitarent, dicerentque ſibi & reliquis Civibus additurum beneficii pretium, ſi præſens explorare vellet, quo eſſent in ſervatorem ſuum incredibili obſequio, obſtricta penitus voluntate. Id poſtquam geſtum, nuntius recepti e fuga Regis advenit. Gravis hinc Procerum mentes, de re gerènda ambigentium, inceſſit cura. Cùm aliis aucupandam Vilhelmi gratiam negotio in eum rejecto, alii demerendam tradito ab ſe Rege arbitrarentur; vicit ſententia, quæ de ipſo honorifice in Aulam reducendo fuit. Quamobrem illuc ire juſſus Duratii Comes cum prætorianorum cohortibus regioque ad iter habendum apparatu, Regem oravit, ut ad ſuos rediret levaretque anxios ſuo diſceſſu Civium animos; & ille ingenti magnanimitate haud abnuit, quamquam incertus, quò eorum conſilia tenderent, & quid ultra in ſe fortuna moliri vellet. Londinum ingreſſo mediamque peragran-

1688.

Quid Londini de ipſo agitatum.

In Aulam honorifice reducitur.

Digitized by Google

1688. ragranti urbem incredibilis cujuſcunque generis multitudo, feſtivas iterans voces, occurrit. Nemo lætitiæ tenere modum, certare unuſquiſque plauſu, officiis antecellere. Dies hilari acclamatione, nox ludicro igne ac ſplendentibus ubique facibus celebrata. Adeo potentiorum ærumnæ, velut æquata ſorte, benevolentiam; fœlicitas invidiam quin & odium, ſi tumeat, pariunt. Hinc aliquam in ſpem adductus, in Civium animis ſupremæ poteſtatis reverentiam natura omnibus inditam revixiſſe; ne occaſioni deeſſet, rurſus Generum, miſſo Fevershami Comite, oravit ut parumper facta exercitus adducendi mora ad ſe veniret vel cum aliqua ad ſui tutelam prætorianorum cohorte; ſecumque congreſſus, unanimi conſenſu de Republica deliberaret, accepta fide, facilem ad ea, quæ ſibi inſtauranda propoſuiſſet, Socerum habiturum. Ille gnarus, haud raro vulgus mobilitate ingenii, fluctuum inſtar, in alterutrum variare, & maximi ad repentinos affectus, quicquid oculis ſubijcitur, momenti eſſe; vixdum Regem noverat Angliæ litus repetiiſſe, Zuyleſteinum familiarem ſuum ad eum legaverat, graviter obteſtatus, ne ultra Roſſam progrederetur. Nunc audito, ipſum a Proceribus evocatum populique favore exceptum in Regia diverſari, vehementer exarſit partim dolore quod ille præoccupata via nuntium antevertiſſet, partim pavore,

Ingenti plauſu excipitur.

Arauſionenſem ad ſe invitat.

Digitized by Google

vore, ne jam prope naufragus emergeret atque in diſcrimen adduceret res hactenus ſua & Conjuratorum induſtria fœliciter inchoatas, quæque vix non in vado eſſe viderentur. Ambagibus non amplius utendum ratus, ſoluto pudore atque iræ indulgens, liberius aſperiuſque agere inſtituit. Itaque legatum in vincula conijci, cauſatus ab eo dimiſſum Regis exercitum, qui ſuas in partes traduci, ſibique mereri cuperet. Quamquam illum non ita multò poſt, famam violatæ legationis, nec ſibi amplius timens, in libertatem reſtituit. Dein duo militum millia Londinum ingredi, Regiæque aditus cuſtodire juſſit. Simul ad Jacobum tres dynaſtarum Halyſatium, Merium, Schresburium durioribus verbis nuntiatum miſit, Hamum Haptonive Curiam diſcederet. Quippe ad Rempublicam pertinere, ut ego, inquit, ſtatim Londinum me conferam; nec ita rem ferre ut modò utrique eodem loco verſari liceat. Tacuit Rex ad imperii ſeveritatem, cùm ſuarum non eſſet virium, obniti; non dignitatis, detrudi; dumtaxat Generum obteſtatus, ut ſineret ſe Roffæ potius domicilium ſtatuere. Haud obſcurum erat, quin illinc fugam iterum, adjuvante loci opportunitate, in Galliam meditaretur. Et Vilhelmus diu anceps an id e re ſua foret, tandem permiſit. Ferunt, duo illum, ut Socerum ſibi eripi e manibus pateretur, impuliſſe. Unum, ut

1688.

A quo abire Londino juſſus.

Fuga ſibi rurſus conſulendū ſtatuit.

Ab Arauſionenſi non impeditur, & quare.

1688. ut apud Cives exteraſque nationes diſceſſus invidiam in ipſum verteret, & minus ſibi ad abſolvendum facinus negotii relinqueretur: iis, qui hactenus ab Rege animo non defecerant, profugum illum rebuſque deſperantem ſuis, ut ſibi conſulerent, proclivius deſerturis; & plures, veluti exonerata fide, faciliores ſe præbituros ad res novandas. Alterum, quòd reputaverit, quem Galli æmula gens in avitam reducere ſedem anniſuri forent, ab Anglis difficilius receptum iri; idque inter eos belli, quod inflammari, ſua & fœderatorum nimis intererat, initium fore. Præcipue tamen nullus dubito ab eo in conſilium adhibitos pudorem atque honeſtatem, quorum Vilhelmus, niſi regnandi cauſa, nunquam contemptor. Jam quoque ad regnum ſatis explicatam undique viam ſibi eſſe arbitrabatur. Non enim Socerum oderat, perpetuis ab eo cultus officiis, ut ipſum dare vellet in furentium arbitrium, quorum deinceps cohibere ne poſſet impetum, incertum erat. Extimuiſſe præterea omnium mortalium odium, nimium primi Caroli nefario diriſſimoque paricidio exagitatum. Roſſam profectus Rex, ibique per òccultiſſimum nuntium a Genero certior factus, negligenter (ſic enim iſte clam imperaverat) cuſtodiri; horto, qui erat in poſticis ædium, ſilentio egreſſus, cum Bervici Duce, ſibi extra legitimum matrimonium nato,

nato, & quatuor aliis, paratam ab ſuis Oriam conſcendit, fœlicique navigatione, quamquam hyeme ſumma, Gallici litoris Ambletuſam tenuit. Aumontii Dux provinciæ prætor, cognito ejus adventu, præſtò affuit, excepitque ſplendido ac liberali hoſpitio, in id præmonitus ab Ludovico Rege, quem Jacobus, præmiſſo Lauzuni Comite, diſcriminis conſiliique ſui compotem fecerat. Illinc a Beringheni Marchione publico ſumptu, ut dudum Maria Conjux, ad S. Germani Fanum in Laya Sylva deductus, Ludovicum cum Filio, ac Fratre, Purpuratiſque obviam habuit. Magna quoque Pariſienſium multitudo eò confluxerat, auctura oculis gaudium, quod jam mente perceperat, comperto, eximium Regem ſoſpitem ex hoſtium manibus evaſiſſe. Quæ quidem illius populi benevolentia calamitatis dolorem ærumnoſo Principi lenire viſa. Propius autem abfuit, quin omnem abſtergeret Hoſpitis magnificentia in eo ſuſcipiendo, familiaritas in conſolando, factaque amantiſſimis verbis ſpes ope ſua Imperii recuperandi. Hac enimvero inſigni laude, poſterorum memoriæ commendanda, mirifice tunc enituit Ludovici gloria; qui nulla in ſe irritandæ potentiſſimæ Gentis, cumulandique ſibi hoſtes habita ratione, unus Jacobum, regno pulſum ob Catholicam Religionem, jacentem erexit, liberaliter fovit, reſtituendi in Ma-

1689.

Gallicum tenet litus honorificentiſſime exceptus.

Ad S. Germani Fanum ductus, ab Ludovico Rege totaque regia Domo ibidem ſalutatur.

1689. jorum ſuorum ſedem conſilium & curam cœpit. Æque vero Jacobum, hanc unice ſequutum ſpem, Galliam Scotiæ prætuliſſe, fama fuit, dum ſe tot malis oppreſſum & jam non amplius reſiſtendo parem conſpicatus, de quærenda in præſens ſecuritate, in poſterum vindicta, ſecum tacitus cogitaret. Quamquam enim Scotorum gentem, montanam præſertim, pluresque Procerum ſibi fidos exiſtimaret; & Antiſtites Senatuſque novum per literas fidei ſuæ teſtimonium dediſſent; cenſuit tamen ingenti bello patientia ac pecunia non ſuffecturos; externaque auxilia plerumque tarda aut minora eſſe, ni præſens urgeas. Utque fortius impellit animos timor, quàm ſpes; Patris, ab ea gente proditi hoſtibus, memoria apud ipſum plus valuit, quàm Fratris, Imperio ac Penatibus ejuſdem ope ac viribus reſtituti. Londini comperto primo Regis abitu, plebs efferata, obtentu religionis ſed prædæ cupida in Catholicos ſe ſe effudit. Fractis ubique potentiorum foribus, veluti prophanatura locum, ubi Sacra illi peregerant, domeſticam ſupellectilem diripuit, & quæ rei divinæ faciendæ uſui erat, per vias ludibrio circumlatam dilaceravit; jure quoque Gentium violato, cùm ab Hiſpani, Hetruſcique Legatorum ædibus non abſtinuerit; ab Gallici, quò etiam perrumpere pertentavit, armis repulſa. Vis deinde ab re in homines verſa.

Cur Galliam Scotiæ prætulerit.

Poſt ejus diſceſſum Catholici Londini exagitantur.

ſa. Humiliorum plures injuriis & flagris vexati; 1689.
ſplendidiorum delati alii ad Tribunos capitales, alii in vincula ducti, nec niſi diu poſt fœdis conditionibus exoluti. Exterorum pars major fuga ſe proripuit; Popularium latuit, trepida incertaque vitæ ac rei familiaris, quibus veſana circumeuntium rabies inſidiabatur. In aliquot etiam Anglicanæ Sectæ, qui Reipublicæ, Jacobo auctore, partes habuerant, ſævitum. Hos inter opportuna in carcere mors Jefferyeſum civilium negotiorum præſidem, politicorum Midletoni Comitem pœnæ ſubtraxit. Furendi rapiendique finem Vilhelmus urbem ingreſſus fecit, juſſo urbano Magiſtratu iſthuc ſedulam navare operam. Quod plebs inique adeo tulit, ut quem dudum lætis maximiſque clamoribus tamquam ſuæ vindicem libertatis exceperat, nunc veluti oppreſſorem, quod Londinum legiones admoviſſet, inſectaretur. Sed ira non ultra voces progreſſa, ſedataque armorum & mali, quod inferre poterat, metu. Simul Pontificis Maximi Oratori libere ac tutò abire, Catholicis impune manere, ſi vellent, permiſit; ratus ita ejuſdem Religionis Principum ſibi gratiam confirmaturum, qui ſecum fœdere conjuncti, Britanniæ turbandæ ſi non ſuaſores, conſilium certe non diſturbaverant. Totum deinde ad Rempublicam ſe convertit, cujus moderandæ arbitrium eò uſque a Toparchis ſibi delatum,

Alijque Procerum.

Arauſionenſis Londinum ingreſſus plebis furorem comprimit.

Libere P. M. legatus dimittitur.

1689. tum, quoad Comitiorum auctoritate componeretur, renuentis in ſpeciem, libenter accepit. Interea Legatorum per oppida delectus habitus, ſelectique factioſorum ingenti ſtudio ii maxime, qui Regi adverſarentur. Londini haud ita multò poſt Proceres Legatique ſuas in Aulas coiere Comitiorum in morem; nam Concilium, niſi ab Rege indictum, celebrari nequit. Utriſque Jacobus Rex primò in ſermonem venit, an regno procul diſcedens, regnandi quoque jure ſe abdicaſſe, cenſendus eſſet; vel eo excidiſſe tot legibus violatis, colendaque Romana Religione, quæ cum iiſdem legibus non conſentiret. Illum utroque nomine reum ac vacuam idcirco regalem Angliæ Sedem dicere, Legati non titubarunt. Proceres frequentioribus ſuffragiis, in hanc ire ſententiam diu recuſarunt, contenderuntque, peſſimi ac deteſtabilis exempli eſſe, regiam dignitatem, ſive ipſo auctore Numine ſeu gentium jure conſtitutam, Civium judicio ſubijcere ac publicare. Hinc turpe Conventui nomen, ſuæ genti dedecus injuſtum iri; & ſi qua modò exterarum nationum rei plauderet ſibi commodæ, plauſum, lucro non virtute expreſſum, citò periturum, ſubituramque rei geſtæ invidiam, & non placabile poſterorum odium. Tanti verò facinoris quid in cauſa? Quòd Jacobus, fuga ab iratis Civibus ſibi caverit? quaſi periculum declinare nefas ſit.

Urbium Legati, Proceresſque Londinum conveniunt.

De Jacobo Rege diſſident, regni jure excidiſſe reputantibus Legatis.

Negantibus Proceribus, & quo argumento in ſpeciem.

Quòd

Quòd vim ſacratioribus legibus attulerit? At 1689.
nihil ab regia poteſtate alienum feciſſe, Duodecimvirûm iiſdem interpretandis legibus Collegium, Forum juri dicundo, mos vetuſtus judicarunt. Cuncta deinde, quæ Civibus diſplicuerant, deleviſſe. Quòd ad Catholica Dogmata ſe traduxerit? Id autem Anglicano retinendo Imperio nihil officere, utrumque regni Lycæum, Juriſperitorum conſenſus, Scotorum Concilium ſolemnibus ſuffragiis palam fecerant. Nec aliud Britannos opinari, illud non inani argumento eſſe, quòd ſæpius ipſorum Comitia aures iis præbere, qui ex adverſo ſentirent, recuſaverint. Optandum ut Rex ad Romana Sacra non tranſmigraſſet. At quandoquidem ſecus illi viſum fuit, æquo, dummodo ſalva gentis religione, ferendum animo. Hanc verò, & avitas leges immunitateſque ne unquam violari queant, cavendum. Quamquam ille damno ſuo didicit, impunè lædi non poſſe: Cur igitur ſcelere quærendum, quod jure obtineri liceat? Cur præſidium poſtulandum ab ingenti infamia a nobis, exauctorato Rege, nunquam diſceſſura; quod, illo ſeverioribus vinculis obſtricto, cum ſumma noſtri nominis gloria in promptu ſit? Hæc palam modeſtis ſermonibus; clam autem urgente invidia, quòd primas apud Vilhelmum partes æmulos habituros plurimi jam oculis nedum mente conſpi- *Quo re vera.*
caren-

1689. carentur, Procerum animos dividebat; antiquabatque proinde pars major adeo obſtinate Legatotum ſanctionem, ut vix unus aut alter officiis promiſſiſque victus a priſtina ſententia dimotus fuerit. Quod ubi Arauſionenſi cognitum, rediitque in mentem, fruſtra ſuperioribus annis Legatorum Collegium de interdicenda Eboracenſi regni hæreditate conſenſiſſe, diſſentientibus Patribus; veritus parem exitum, ad impellendas immobiles adhuc mentes arietem valentiſſimum promovit. Proceribus denuntiat, ſe in Angliam vocatum veniſse, feſſis rebus ſalutem allaturum. Quid adhuc curatione profecerit, in aperto eſse. Ne illam abſolvat, paucos remorari. Igitur quandoquidem morbi reliquias retinere velint, retineant ut lubet. Se nulla mora cum exercitu diſceſſurum, daturumque Socero locum ut repetat teneatque Imperium vi, quod amore non potuit. Se facile cum ipſo in gratiam rediturum, edito illorum nomine, a quibus cavere debeat, & quorum precibus officiiſque prope abreptum in tanti facinoris aleam ſe permiſerit. Qui turbarum auctores fautoreſve fuerint, ipſi in animo ſecum verſent, qua fiducia quave ſecuritate in ejus poteſtatem redituri ſint, ac meminerint: majeſtatis crimina, ſi nullum Principi detrimentum attulerint, piari nonnunquam poſſe; ſi damno ac ſolicitudini fuerint, ira & me-

Ad Arauſionenſis denique voluntatem qua arte adductis.

metu ſuadente, nunquam non atrociter plecti. 1689.
Hoc perculſa ictu concidit Procerum vel æquitas vel ſolicitudo, abſtulitque, ut fit, omnium, qui adhuc reſtiterant, animos potentior quolibet ſtudio præſens timor. Nam pauci ab conjurando ſe continuerant, tamerſi opinati, non ultimam Regi perniciem, ſed aliquem regnandi modum ſtatuendum eſſe. Ergo Jacobus in ordinem redigitur, Angliæque vacare ſolium decernitur. Cetera minori contentione geſta. Vix enim Imperii forma in deliberationem adducta; confeſtim Præsbyterianis, quibus delendæ regiæ poteſtatis, communique auctoritate moderandi Imperii voluntas erat, compreſſis ab frequentiori numero Epiſcopianorum. Nec cui regium nomen atque auctoritas deferenda eſſent, ambigebatur. Placuit autem, priuſquam deferretur, novis eam legibus illigare. Octo & viginti facili conſenſu conſtitutæ; quas inter præcipuæ ac duriores illæ. Jus faſque Regi ne ſit, legibus quemquam ſolvere, vel infringere legum vim. Nequeat ære alieno regium patrimonium opprimere; non exercitum, niſi perrogata Comitiorum ſententia, cogere aut retinere; non minuere quovis colore Civitatum privilegia; non reos ad Concilium delatos judicare, non iis crimen dimittere. Nullum Sacrorum Præſidibus judicandis Forum inſtituat, regiaque muniat auctoritate. Cives ne querelas

Communi conſenſu Jacobus Rex in ordinem redigitur.

Novis legibus futuri Regis poteſtas coercetur.

1689. las ærumnaſque ſuas datis libellis Regi exhibeant quærantque remedium, interdicere, nefas ſit. Regiæ Domui connubia cum Catholicis vetita. Oppida libere & ſuo more legatos ad Concilium eligant. Iſtud tertio quoque anno, ipſa indictum lege, & neceſſariò habeatur. Hæc ubi ſancita, Mariæ majori natu Regis filiæ, ejuſque conjugi Arauſionenſi regnum decernitur. Si prior illa fato cedat, alter regnare pergat. Anna Maria ſoror in ſpem tertiam vocatur; ipſique ſterili, Vilhelmi ſuſcipienda e ſecundis nuptiis proles ſufficitur. Suffragatores, quod legitimum adeundæ hoc ordine hæreditatis, argumentum prætenderent, anxios habuit. Nam dudum natus Regi filius cunctis obſtabat; Anna Arauſionenſi; hujus ex altero conjugio ſoboli conjunctiores alii cum regia domo. Non enim (quod plerique & ipſe Arauſionenſis ſibi antea propoſuerat) tulit pudor ut ſubdititii commentum Valliæ Principi objicerent; nec ſivit armorum metus, & plurimorum addictum Vilhelmo ſtudium, ut primas illi darent partes. Quare, quod erat reliquum, rei ita geſtæ ratio ſilentio præterita, ut hanc unuſquiſque ex ingenio ſibi fingeret; prudentiores, quòd ſic libuiſſet, arbitrarentur. Ita plane accidit ut arduum facinus pauci conceperint, plures adjuverint, nemo vetare ſit auſus. Extemplo in Hollandiam bellicæ duodecim

Maria & Vilhelmo Arauſionenſi Angliæ Regnum defertur.

Sancito ſimul ſucceſſionis ordine..

Maria in Angliam traducitur, cum ſuoque Viro coronatur.

cim naves tranare juſſæ, Mariam in Angliam traducturæ. Advenienti magnis acclamationibus occurſum eſt. A. D. XII. Kal. Apriles ſolemnibus cœremoniis, ei ſimul ac Viro ſuo diadema impoſitum ab Sacrorum Eboracenſium Præfecto; nam Cantuarienſis, cujus id erat munus, renuit. Iis quoque ſacramentum dicere, quamquam urgeret Concilii ſcitum, aliquot Procerum Antiſtitumque detrectavere. Quo fuiſſe animi robore Clarentiæ Comitem, licèt alieno hactenus in Jacobum animo, Epiſcopoſque nuper Londinenſi arce detentos, præter Aſophopolitanum, magnis ubique celebratam ſermonibus, admirationem habuit; cùm maxime præſens fortuna & inclinatio temporis aliter ſuaderet. Id ne virtute, an aliquam ultiacceptam a Vilhelmo injuriam gesserint, anceps fuit. Quamquam mirum videri nequeat, ſi quandoque ob inditam mortalium ingeniis æqui rectique indolem, accepto vulneri cicatricem obducat honeſti amor. Doluit Arauſionenſi exemplum; vi tamen abſtinuit, ne atrociori pœna ſemiſopitos complurium animos excitaret. Antiſtites magiſtratu ſolùm dejecti; Proceres ab Romanis Sacris alieni triente fructuum multati, beſſe Catholici, quorum nemo ad novos Principes fidem ſuam jurejurando aſtrinxit; ſidemque deinceps arma tradere, Londinoque vicena paſſuum millia diſtare juſſi, quamquam nullo delati crimine.

1689.

Iis Procerum aliqui Sacramentum dicere abnuunt.

Qua idcirco pœna affecti.

1689. Quod licèt aſperum, viſum tamen dominandi prudentibus nec immodicum nec præter modum; nunquam non meticuloſis regnandi rerumque novarum initiis: ſuſpectaque illorum fide, quorum non interfuit rem novari. Sed illud haud intactum invidia atque obtrectatione, quòd, cùm omnes ab Anglicana Secta aberrantes, Tremuli etiam, inſanum religionis genus, legibus ſoluti fuerint, potenteſque facti Reipublicæ, id Catholicis Arauſionenſis negaverit, nec abnuerit diutius delationibus, fœcundo calumniarum fonte, eos exagitari. Hinc falſis accuſationibus latior patefactus aditus, ac Titus Oatius celeberrimus delator, ejuſmodi infamia non ita multos ante annos legitime inuſtus, in libertatem reſtitutus Concilii ſententia veluti innoxius; datumque publice teſtimonium, veram fuiſſe Catholicorum in ſecundum Carolum conjurationem, de quo ſtolidiſſimo commento, apertiſſimis argumentis falſi redarguto, Titus damnatus fuerat. Scoti per idem tempus de ſummo imperio (nam & illic ſine Regis auctoritate Comitia celebrari nequeunt), præſide Hamiltoni Duce conventum habuere. Et illic brevis de Jacobo Rege deliberatio. Eadem ipſi, quæ a Britannis, objecta crimina, eodemque obtentu abrogatum imperium eſt. Tam citò in hanc ſententiam conveniſſe, præter opinionem fuit, Stuardis addicta Scotorum gente,

Catholici ſolùm a gerenda Republica excluſi.

Ac delationibus divexati.

In Scotia eadem, quæ in Anglia decernuntur.

te atque hactenus præcipua in Jacobum fide. 1689.
Creditum, plures adductos metu, ne, ſi diverſa ab Anglis decernerent, illinc bellum in ſe impares concitarent; alios exulcerato jampridem animo. Et procerum aliqui ab cœtu abſtinuerant, haud ignari, ſi affuiſſent, nihil pro ſua Regi obnoxia voluntate ſé profecturos. Palam Antiſtites obſtitere, ſed ſpreti ſui magiſtratus odio, præsbyteriana ibi Secta dominante. De Imperii forma, & cui tradendum, diutius diſceptatum; Legatorum Aula, ne ab Concilio ſuprema poteſtas divideretur, diu obnitente; Proceribus inter ſe diſſidentibus. Vicit denique mos vetuſtus, & monſtrata in proximo Arauſionenſis arma. Viſum itaque, Regem creari, ſed ſimul brevioribus, Anglorum exemplo, finibus coerceri. Septemdecim juſſæ novæ leges, quibus ei primùm tota fere judiciaria poteſtas obſeſſa, auctaque retinendorum militum, ni bellum foret, difficultas. Antiſtitum deinde præfectura ſuæ genti gravis renuntiata, nec diu poſt dejectis, qui eam gerebant, prorſus deleta. Catholici publicis muneribus intercluſi. Eorum imbui religione ſuis Regibus vetitum; indictumque, ipſam ad regnandum iter intercidere. Quod tamen qui paullo ante affirmaſſet, ſolemnibus Comitiis majeſtatis damnaverant. Hæc ubi ſcita ſunt, nullo negotio cetera expediunt. Iis iiſdem, qui-

Non ſine contentione, quâ tandem, & quâobrem ſedata.

Impoſita Regi novæ leges.

1689. bus Anglicanum Concilium, eodemque ſuccedendi ſibi invicem ordine, regnum addicitur. Miſſi Argateliæ Comes, equites Mongomerius, Delrimpleuſque, qui tantum Mariæ & Vilhelmo afferrent munus. Ita hujus ſagacitate res difficillima, quantum erat, brevi expeditione, nulla cæde, & non eductis armis, pulſo legitimo armatoque Rege, Exterum in Anglia rerum potiri, fœlici quidem ſed deteſtabili eventu confecta eſt. Superiori anno, quo hæc initium habuere, Federicus Vilhelmus Octovir Brandeburgenſis vita ceſſit. Principio æſtatis horribilis terræmotus in Samnio Campaniaque hominum oppidorumque ſtragem dedit. At per inſequentem hyemem longe ubique majores animorum motus. Res in Anglia ab Arauſionenſi proſpere geſta fœderatos in Galliam Principes ad bellum ſine mora ineundum eò vehementius incenderat, quò iis acceſſerant fortiſſimæ gentis vires, quas, ſi Jacobus regnaſſet, cum hoſtibus futuras pertimuerant. Hibernum dumtaxat bellum & aliqui per Scotiam tumultus manebant. Sed hæc non ita æquabant Britannicum robur, ut ad externas quoque inimicitias perſequendas ejus ſatis non ſupereſſet. Reliqua erat cura, pacem cum Turcis componere, ut omni conatu Cæſar ad Rhenum poſſet Gallos impellere. Is commotus totius Germaniæ Fœderatorumque deſiderio, dummodo e præſenti

Federicus Octovir Brandeburgenſis moritur.

Terremotus in Samnio & Campania.

ſenti ſua rerum fœlicitate, illam non recuſabat; conſentiebantque Poloni tot ærumnis admoniti, Veneti Euboica haud parum clade debilitati. Itaque Solymani legatis, qui per autumnum Rotterdorfi prope Budam detenti cuſtoditique diligenter fuerant; ne quid ipſis turbatæ ad Rhenum pacis ſuboleret, Viennam deductis, ſalutatoque Cæſare, ac redditis Veneto Polonoque Oratoribus ad ſuos Principes a Solymano literis, datum de inſtaurando fœdere colloquium fuerat. Erneſtus Starembergius, Franciſcus Uldaricus Kinſchius, Carrafaque Antonius Leopoldi partes agebant; Venetæ Reipublicæ Federicus Cornelius; Sarmatarum Michael Racquoſquius primùm, mox ſuperioris Ordinis & legati nomine eques Potoſchius Pomeranii Conventus præſes. Turcæ in has ſe conventuros finiendi belli conditionees dixerunt. Cæſar cis Savum Danubiumque imperet; Alba Græca decedat; Transylvania abſtineat, deductis præſidiis; eaque utrique Imperio vectigalis fuat. Venetorum Peloponneſus, Leucas, & quæ in poteſtatem redegiſſent Dalmatiæ oppida, ſint. Sarmatis nudatum munitionibus Camænecum accedat. Reſponſum: nunquam a Fœderatis Solymano fore otium, niſi illud redimat traditis Cæſari belli auctore Tehelio, Servia, Bulgaria, Boſnia, Croatia, univerſaque Mœſia; Venetis Eubœa, Peloponneſo, maritima ab

1689.

Othomanici Legati Viennam deducuntur.

Cum ijs de componenda pace a Fœderatorum Legatis agitur.

Ejus dicta a Turcis conditiones.

Quæ a Fœderatis.

1689. ab Corintho ad Epirum ora, Dalmatiaque montium jugis, litore, Titio, Barbanaque amnibus circumſcripta; Polonis Camæneco, Podolia, Uchrania, Valachia, Moldavia, Taurica Cherſoneſo, ſartoque Scythicarum populationum damno & impenſa in bellum pecunia. Communi quoque Cæſaris & Poloni nomine poſtulatum, ut religioſa Hieroſolymis noſtræ ſalutis monumenta ab Græcis ad Franciſcanam Familiam cuſtodienda redirent; Chriſtianæque gentis major, quàm adhuc, per Turcicum Imperium ratio haberétur. Hæc ubi a Turcis audita, mediis ſtuporem inter atque iracundiam ſe ſtatim e colloquio proripuerunt, fati: qui talia peterent, pacem nolle. Quamquam ignorare non poterant altius dirigi tela, ut in medio conſiſtant. Sed cùm apud ſe ſtatuiſſent negotium diſputando prolataré, oblatam nectendæ moræ occaſionem avide tenuerunt. Iis enim, cùm ab ſe diſcederent, Muſtaphus mandaverat: ſi paciſcendo prævertere Albæ græcæ expugnationem aut illam, ſi jam vi captam, recuperare ineunda pace non potuiſſent; rem per ambages traducerent; ratus, non ita multo poſt Germaniam gallicis armis turbatum iri, & ſe validius, quàm hiſce ſupremis annis, Turcicum robur exquiſito hominum pecuniæque delectu inſtauraturum. Itaque legati ſæpius in congreſſum vocati quæſitique, ut quas poſtremas

A Turcis Legatis protinus repudiatæ.

Quo conſilio.

mas attuliſſent integrandæ pacis conditiones proferrent; de re tacendo, quiritando autem, joco ſibi ab tam immania poſtulantibus colloquium dari, tempus terebant. Hyems in exitu erat, ipſique corruptis pecunia cuſtodibus clam perceperant, bellum ingenti Germaniæ clade ad Rhenum incœpiſſe, ac Turcas ſplendidiſſimo apparatu ad arma, ſi foret opus urgenda, ſe comparaſſe. Tentati proinde, ac ſæpius vel adhibitis Britannico Batavoque apud Cæſarem Oratoribus, qui eos honoris obtentu, ſed hoc propoſito, convenerant, vehementer impulſi, ut ſuprema ederent mandata; cùm amplius tergiverſari non poſſent; Sulphicarus legationis princeps libere tandem profeſſus eſt, ſe priſco ſuæ gentis more nihil, cujus ſibi proponendi facultas eſſet, reticuiſſe. Id ſi placeret, acciperent; ſin minus, ſibi & Collegæ commeatum darent. Quod ubi Cæſar, e cujus voluntate ſuam reliqui Fœderati moderaturi videbantur, cognovit; quid in rem ſuam foret, convocato Conſilio ſententiam rogavit. Lotharingius fœdus vel oblatis conditionibus feriendum ſuadere aggreſſus, in hæc prope verba loquutus fertur. Si quis fortè miretur, Cæſar, quid ſit, quòd, cùm ſuperioribus annis de hoc ipſo argumento ageretur, te ad Turcicum proſequendum bellum hortatus fuerim; nunc ad ſedandum adhorter; hinc autem in ſuſpicionem veniat, me aviti recu-

1689.

Turcæ Legati dimitti poſtulant.

Lotharingii oratio, fœdus vel oblatis conditionibus ad conciliandum ſuadentis.

1689. recuperandi Imperii delinitum ſpe, priſtinum placaſſe in Turcas odium; puto, ſuſpicionem admirationemque poſiturum, ſi ad ea, quæ mihi dicenda propoſui, pauliſper advertat animum; te ſimul hoc novo documento percepturum, me ſemper, non quid alii loquuturi ſint, ſed quid mea poſtulet fides, curandum exiſtimaſſe. Ac priuſquam in cauſam ingredior, pauca mihi de præſentis ſuperioriſque temporis diverſitate narranda ſunt; quippe unde tota hæc pendere conſilii ratio videatur. Bis Turcæ hoc bello de componendis rebus ſermonem intulerunt. Primùm Budenſis Prætor ante duos annos; nunc ipſe Muſtaphus Rex. Ea tunc erat rerum conditio, ut illi validiſſimis adhuc munimentis in Hungariæ viſceribus hærerent; ærumnis irritati potius quàm debilitati, quotannis e tanta ſui Imperii magnitudine inſtructiori apparatu ſe reficerent; Viennæ, memoria diriſſimæ oppugnationis & moleſta vicinitate, non deſinerent terrori eſſe; Hungarica ſeditio, licèt contuſa, maneret tamen fulta munitis oppidis, populorum inveterato in nos odio ac ferocitate. Ab altera parte poſt Argentoratum & Luxemburgum in poteſtatem redacta nihil moverent Galli darentque fidem, hoc demum retento pignore ſe quieturos. Alia nunc rerum imago ſe offert. Barbarorum, qui belli erant periti, tot prœliis, tot urbium oppugnationibus

bus pene abſumpti; trans Savum ac Tybiſcum 1689.
repulſi, exhauſto ærario, deſertis provinciis, demiſſis animis, fracti, inopes, pavidi, vix ut loco ſe teneant, ac ſatis habeant, ſibi ſi liceat vitam ducere, nedum vires inſtaurare. Perduelles ubique domiti nihil retinent, ubi in ſuo veſtigium faciant; corpore quieſcunt, ſi non mente; neceſſitate, ſi non ingenio. Germaniam contra ad Galliæ fines hoſtili exercitu Mars deformat; captæ arces nobiliſſimæ: direpta oppida: vaſtatæ provinciæ: conſternati Cives præſenti malo, futuri metu. Age verò, ut hoc tempus cum illo, res cum re conferatur: tunc nobis deliberandum proponebatur, quid ſatius foret: acceptas ne a Gallis injurias ad exigui ſpatium temporis concoquere, ut integris interea viribus liceret Turcas longius propellere atque enervare: Hungaricos tumultus ab radicibus excindere, tuumque Imperium non periculo ſolum, ſed & periculi metu liberare: an, Thracibus pace ſequeſtra dimiſſis, cum omni exercitu provocare Gallicum bellum? Modò viciſſim conſulitur, tua ne magis interſit, ad periclitantis vulneratæque Germaniæ tutelam accurrere; an Turcas in longam ætatem proſtratos, ultra montium aſperrimorum maximorumque clauſtra fluminum rejectos, a quibus nihil timendum ſit, diutius exagitare? In hac tanta rerum diſſimilitudine, quæ alia, ſuo mo-

1689. mento rem perpendenti, tunc poterat ſententia eſſe, niſi ut non diuturnam ab Gallis ſolicitudinem manſuro ab Turcis periculo; brevem procraſtinatæ illic ultionis pudorem perpetuæ gloriæ, quæ ſane, parta iſthic Imperio tuo ſecuritate, obventura tibi eſſet, præferret? Quæ modo alia eſſe queat, niſi ut pluris facias, incendium ab Germaniæ latere dimovere, quàm longius in barbaras profligataſque provincias dilatare? Comparet quis incertum illum, ſuſpectis Gallis, timorem noſtrum cum hac certa ab ipſis pernicie: priſtinam Turcarum ferociam cum præſenti imbecillitate; atque ut tunc ad Rhenum, ita nunc ad Danubium bello, ſi ſapit, ſuperſedendum non arbitretur? Tunc verebamur, ne illi te Gallico tumultu implicatum, fracta icti fœderis fide, in novum diſcrimen adducerent; nunquam non infida ab iis pace, quos irritaveris, & vires habeant ad ulciſcendum. Quamobrem optimum conſilium fuit, rei etiam exitu comprobatum, ab iis tandiu impellendis non deſiſtere, quoad penitus proſtrati nocere tibi amplius non poſſent. In præſentia timendum eſt, ne in alienam poteſtatem veniat ora in primis Germaniæ fertiliſſima; & ratio poſtulat, ne, pro amplificandis in deſerta prope loca dominandi finibus, patrium ſolum tantique pretii regionem neglectui habeas. Huc accedit (& ſit liberæ voci

ci

ci gratia aut venia) quòd tibi & illud propagandi Imperii ſtudium invidiam, & hæc ſociorum nataliſque regionis incuria odium pareret. Quæ inde ſequerentur mala, facilè unicuique in mentem veniunt. Unum non reticebo: diffidentiam ac ſuſpicionem; quibus nulla deterior peſtis ad perimendam animorum conjunctionem; hac autem præ ceteris rebus Germania viget. Sed erit fortaſſe qui dicat, iſtiuſmodi agendi prudentiam, Alba græca Tranſylvaniaque dimiſſis, nimio redimi. Enimvero quod utile, nunquam ſumptuoſum: nec aſperum, quod ſalutare. Prætereo, iis reſtitutis, nihilominus Hungariam ab Turcarum irruptionibus tutam fore, objectis hinc montium vallo, inde fluminum foſſa: magis verò, quàm naturæ præſidio, tua munitam victoria & hoſtium cladibus. Reliquum eſſet differere, an tibi ad arma duplici loco tractanda vires ſuppetant. Sed hæc conſultatio jampridem hoc loco rejecta eſt; ſatis comperto, quibuſcum gerenda tibi res foret; & bipartiti, diviſiſque proinde copiis attenuati exercitus non aliam futuram conditionem, quàm ut vinci utrobique, vincere nuſquam poſſet. Lotharingii dictum pars major vultu ac geſtu probare viſa. Tamen Ludovicus Badenſium Princeps, cui plerumque, ingenio an æmulatione, ſententia cum Lotharingio non conveniebat, ſic exadverſo dicere

1698.

Ludovici Badenſis oratio pacem cum Turcis diſſuadentis.

1689. cere exorſus eſt. Quæ duo maxime ad reconciliandam cum Turcis pacem Lotharingius facere exiſtimavit: cladem ab Gallis dudum Germaniæ illatam, fractumque Othomanorum robur; hæc, Cæſar, ut bellum ducas, inclinatamque iſtorum fortunam tandem præcipites, ſuadere mihi plane videntur. Erit qui meam ſententiam arduam difficilemque reputet; plures erunt, qui, ſi iis ipſis argumentis, quibus contraria innititur, illam tueri contendam, operam me ludere ſecum ſtatuant. Id autem a dicendo, quæ ſentio, non me deterret, cùm ſciam, te non hominum opinionibus, ſed rationum momentis, quicquid decernis, ſapienter expendere. Errem verò, an ſalutaria moneam, paucis auditis facile judicabis. Atque ut primùm de pace Barbaris, niſi eos antea penitus profligaveris, non concedenda ſermonem faciam; quæ ipſorum ſuperbia eſt, Victori ejus conficiendæ leges dare velle? Cæſar Tranſylvaniam græcamque Albam reſtituat; ultra Savum & Tybiſcum flumina pedem ne inferat. Quid aliud dicerent, ſi toties tecum pugnando non cecidiſſent? Quid, ſi paribus pollerent viribus? Ergo firmiſſimum Pannoniæ propugnaculum, in quo majores noſtri ejus tutandæ ſpem prope omnem locarunt, diu omnium votis expetitum, tanto coemptum ſanguine, vix uno aut altero Legatorum verbo e

tuis

tuis manibus extorquebitur ? & provincia populorum multitudine, oppidorum frequentia, loci opportunitate, nobiliſſima; unde perpetuum ſeditionis Hungaris fomentum, ſubſidium, tutela; tamquam redditæ amicitiæ præmium in jus ditionemque hoſtium redibit ? Quòd ſi in iis remittendis nulla, ut ſuadere ſtudent, jactura fieret; tamen ad Germanici ſplendorem nominis, ad tui majeſtatem Imperii pertineret, pedem illinc haudquaquam referre, ne ad ea ſervanda tuis diffidere viribus videreris. Nemo enim ignorat, præcipuum robur ac patrimonium Principum, proſperam famam & decus eſſe. Sed falſa ducitur opinione, qui non maximi ea facit. Siquidem e Tranſylvania in ſuperiorem Hungariam patet aditus; græcaque Alba ad inferiorem Aſianis Europeiſque Barbaris claudit iter; quod utique immunitæ amnium ripæ, ut ſæpius experti ſumus, non remorantur. At, inquiunt, ſi vel intermedii reſiderent montes, flumina exareſcerent, nullus in poſterum a Turcis metus, profundo jam ſatis vulnere debilitatis. Verum de hoſte potentiſſimo non ea nobis opinio eſſe debet, ut aliquot detruſus locis, & nondum penitus ab Hungaria, confeſtim velut inciſis nervis conciderit. Quamquam, ut prædicant, in aperto ſit, concidiſſe. An non vident, hoc ipſo urgendum, quo ille minus valet ? Niſi forte quod ceteris ad inſectandum hoſtem incitamento 1689.

1689. to eſt, id nobis ad dimittendum eſſe velint. Et medius fidius quem hoſtem? Taceo (quod non eſt modo ad rem noſtram) ferum atque implacabilem; eum dico ſolùm, cui temporis ſpatium non diuturnum ingentem ſobolem juventutis; diligentior ærarii procuratio magnam pecuniæ vim; modica ad ſe colligendum quies ferociores animos allatura ſit; quique, ubi ſe confirmaverit, nemo dubitare poſſit, quin illico ad ulciſcendam ignominiam doloremque ſuum non ſit ad arma cupide iturus. Igitur pigebit modo, cum certò licet, illum avertere, ut mox ancipiti ſecum Marte congrediamur? Gratum erit, præcipua Serviæ, Boſniæque parte, quæ nondum victa & vinci poteſt, veteri Hungarici regni acceſſione, abſtinere, ut non ita multò poſt de ipſa Hungaria periclitemur? præſertim cùm illa ob afflictam hoſtium fortunam facilius & minori exercitu obtinere in præſentia queas, quàm tua deinde retinere. Horum utrum interſit, ſatis patet; utrum malis, non ſane conſilii res eſt. Sed video quibus obſcurare ſtudeant difficultatibus negotium adeo manifeſtum. Opponunt invidiam prolati Imperii, & quæ iſthinc exoriantur mala, taciti obijciunt. Ego, ſi vel unum Germaniæ oppidum tibi adijceres, vererer profectò, ne, concitatis ſuſpicione animis, turbas dares. Dolet enim quicquid injuria eripitur; & quamvis

vis damno unus tantùm, cunĉti exemplo mærerent; eaque plures ſolicitaret cura: quò, qui ſemel egreditur honeſtis fines, progredi ulterius velit. At vindicando e Barbarorum manibus antiquiſſimo Hungariæ patrimonio quis tibi Germanorum ſuccenſere poſſit? aut, longe ab ſuis finibus prolatando Imperio, metuere ne ſibi deinceps gravior impendeas? Quin viciſſim ope te ſua fulciendum exiſtimabit, diſtraĉtis in remotiſſima & ſuſpeĉta loca tuis viribus; quippe quæ ingentibus præſidiis firmanda ac retinenda forent; rara illorum ſagacitate, qui, quæ primo aſpeĉtu parvi momenti videntur eſſe, maximum intervallo temporis prævideant habitura. Venio nunc ad Gallicum bellum, quod tamquam infenſiſſimum telum intendi in hanc meam ſententiam animadverti. Illud, ajunt, in ambiguo non amplius eſſe, ut omitti; non tenui apparatu ab Gallis inſtruĉtum, ut levi conatu a nobis repelli; non exiguo damno laceſſitum, ut cui Patriæ ſalus ac dignitas cara ſit, hunc non vehementer ad iracundiam movere poſſit. Iſthuc igitur fleĉtendum penitus omnium ſtudium ac robur, nec permittendum ut ulcus peſtiferum cis Rhenum ſerpat, neve ut amnem tranſgreſſum noſtras urbes atque arua depopuletur. Hæc vera, nec ſatis pro merito exaggerata. Verùm quò atrociora, eò te magis, ut Barbaros magna tuorum militum parte 1689.

te

1689. te labefactare pergas, hortantur. Id pleriſque novum ac prope incredibile accidet; ſed in rem mecum ingreſſis certum exploratumque fore non dubito. Uſu ac repetita noſtrorum annalium memoria didici, nihil Germaniæ æque luctuoſum fuiſſe ac modicas calamitates. Ad eas enim dum pauci dolerent inclamarentque, tacerent reliqui, rati ad ſe periculum non pertinere, hæſit corpori altum vulnus, quod primo aſpectu vix ſanguinem elicuiſſe reputabatur. At ſiquando horribili fragore in nos irrupit armorum tempeſtas, nemo obtorpuit, nemo non tulit opem, inundantem non repreſſit; veritus ne per aliorum ſtragem ad ſe pervaderet, communique naufragio ſua quoque involueret abſorberetque. Ita ſane ſuperioribus annis, dum Galli prope taciti Argentoratum & aliqua circa Rhenum oppida, minis ulteriora loca non inſequuti, occuparunt; remotiores Principes ſe tenuerunt; fruſtra, ad quos ea labes pervenerat, implorantibus ſocialem fidem. At modò cùm nullum ſibi ſæviendi minitandique modum imponant, cui non patet, Germaniam excitam prope e ſedibus ſuis ad refrænandos accurrere? Ubique coguntur milites, nemo pecuniæ parcit, unuſquiſque alterius ſolertiam æmulatur, periculo inſtigatus, ira percitus, dolore atque ærumnis exaſperatus. An non cuncti, Cæſar, ad te confugiunt, inſtant finiri

ri Turcicum bellum, Gallicum agitari? Quid hæc tanta animorum concitatio ſibi vult? Quid tanti armorum apparatus? Quid ubique juſtitium fere indictum? Timent, & metum avertere; iraſcuntur, atque iram exaturare? oderunt, atque odium explere cupiunt. Itaque ſi huic bello quidpiam tuarum legionum detrahas; ſupplebunt ipſi nec ceſſabunt, te aliis diſtracto curis, in hanc vehementius incumbere. Quòd ſi conflatum paucos ante annos ad Rhenum incendium pactæ illico induciæ non extinxiſſent, quis non videt, conniventibus pleriſque Germaniæ Regulis, eò tibi cum omni exercitu procedendum fuiſſe, ut ne aliqua Germanici pars corporis interiret. Non enim aliter vindicari ab interitu potuiſſet. Nunc autem cùm membra collatis invicem auxiliis ſibi conſulant, non eſt cur caput, alieno haud ſolicitum periculo, ſe ſuamque rem penitus negligat. Neque iſtud eò refero, ut perpetuas habeas cum Thracibus inimicitias. Unum aut alterum peto annum, quibus continuato victoriæ curſu funditus eos contundas doceaſque, te bellum finire voluiſſe conſilio, non metu; moderatione animi, non demiſſione. Quòd ſi non belle res caderet; quandocunque voles, liberum tibi erit, Alba græca Tranſylvaniaque reſtitutis pacem ſtatuere. At non facilè nec citò dimittenda, quæ fruſtra, ſi cupias, aut dif- 1689.

Digitized by Google

1689. ſiculter repeti poſſunt. Sint ne, quæ adhuc dixi, e re tua, erit fortaſſe, qui dubitet. An ſint ex animo & fide mea, nemini profectò in mentem veniet ſubvereri, tantùm ut ſecum reputet, quicquid ad Rhenum aviti Imperii in poteſtate ac ditione teneo, Gallicis nunc armis circumſideri, quæ certius, ea te toto tuarum virium impetu propellente, removerentur. Cùm tamen, ut eas partim adverſus Thraces adhibeas, ſedulò adhorter; argumentum præbeo, me non ex mea, ſed ex publica utilitate arbitrari, bene ita rebus conſultum iri. Badenſis oratio quò minus privati commodi, eò plus apud Cæſarem auctoritatis habuit. Itaque ad repudiandas, quæ latæ ab Turcis fuerant, ineundæ pacis conditiones inclinavit; ſpe ductus, ampliores propediem, vi aut pacto expreſſas, prolatum iri. Ex hac opinione non data legatis abeundi venia, ſed regem ſuum literis dumtaxat interrogandi, an largioribus paciſci vellet. Nuntium, qui literas deferebat, Samandriæ per æſtatem Cæſariani detinuerunt, ut ex armorum per id temporis eventu certiùs temperarent conſilium ſuum. Nunc intermiſſa pacis mentione, omnium ſtudia ad bellum intenta. Quod Solymano gratum accidit, in fiduciam elato ſarciendi nova facinorum gloria acceptas injurias, proſperis rebus præteritas calamitates. Nec ſpes ab eventu abhorrebat, implicatis, ne ma-

Cæſar pacis oblatas conditiones reſpuit.

Ratus, meliores a Turcis datum iri.

magnam Cæſari opem ferrent, altero bello Germanis, explicatiſque ſibi difficultatibus ad rem gerendam. Eædem redierant, quæ ſuperiori anno, ærarii anguſtiæ ac ſeditiones. Oſmanus Gengien deſerta, ut diximus, Alba græca, ad Moravam amnem caſtra poſuerat. Illic audito urbis & propugnatorum excidio, culpæ conſcientia ab irato Rege ſibi timuit. Pœnam declinaturus, ad defectionem iterum ſpectare cœpit. Veterano ſuo milite, & quotquot aliorum potuit, in hanc ſententiam adductis, Macedoniam petit eo conſilio, ut provincia adhuc ærumnis intacta ſtipendium atque alimenta ſufficeret, populi frequentia copias augeret. Simul ut e propinquo oſtenderet Byzantio diſcrimen excitaretque ſpem deturbandi ſolio Solymanum regem, in illudque aut Mehemetem reſtituendi, aut hujus majorem natu filium Muſtaphum inaugurandi; quam ſpem, per ſuperiores tumultus pecunia illectus, Matri jam prius & Filio eorumque Clientibus fecerat. Viſirius hominem, ne ad ingenium rediret, iiſdem, quibus antea bene ſucceſſerat, blanditiis aggreſſus, nihil profecerat; gnarum: remedia, quæ fefellere, ad ſalutem non exhiberi. Blandienti oc- clusum cum dolo non potuiſſet, vi comprimendum ſuſceperat, cunctis circum populis e falſi Prophetæ lege ſacramento adactis, ut contra perduellionis damnatum inſurgerent, arma caperent expedi-

1689.

Apud quos aborti tumultus compreſſi, & quomodo.

1689. pedirentque. Sed facile incondita turba, nullo digeſta ordine, & belli imperita ab veterano Gengienis milite in fugam verſa. Major hinc perduellibus ſæviendi in provinciales occaſio, prædandi fiducia, audendi alacritas. Cùm ingraveſceret malum atrocioremque labem minitaretur, fraude tandem extinctum eſt. Acridis præfectus, Viſirii promiſſis ſuaque in Regem fide ſolicitatus, hanc vetere, quæ ſibi cum Gengiene intercedebat, neceſſitudine potiorem habuit. Facta ſpe tranſgrediendi in ejus partes, incautum cum aliquot centurionibus hoſpitio excepit trucidavitque. Ipſorum morte diſperſa gregariorum manus & quies provinciæ reddita. Gravior tumultus Aſiam per hos ipſos dies dilacerabat. Ejus auctor Gedichus idem, qui ſuperiori anno accepta Terdonis prætura ab armis diſceſſerat. Pellectus adverſa Othomanorum fortuna, quam capta Alba græca feneſcentem exiſtimaverat, deſidiamque averſatus, civiles iterum movere turbas induxit animum. In id audaciſſimo viro viam ſtravit magna eorum militum multitudo, qui ſevero delectu per Aſiam conquiſiti, ubi in Europam ad infeſtam militiam tranſmiſſuri erant, ſigna reliquerant, diſcurrebantque catervatim militari licentia, vi ac terrore comparandis ſibi vitæ ſubſidiis. Iis Gedichus ſe ducem præbuit, libenter acceptus, commendatuſque turbandarum rerum

rum experti fama, dataque vivendi ex ingenio libertate. Et hæc quidem attraxerat ingenti numero voluntarios, ad juſtique exercitus formam copias auxerat; quæ dum longe lateque vagantur, aliquando in ipſo Boſphori litore Byzantio ſe oſtenderant. Exacuerat pudor Regis iram, dederatque Uſſaimo prætori negotium, ut continuò cum aliquot Janizarorum cohortibus traducto freto, collectaque undique militari ætate, prædones vel facto prælio, ſi foret opus, diſijceret. Gedichus pugnam non detrectavit. Vix ſigna contulerant, cùm tumultuaria illa Uſſaimi turba ad hoſtem transfugit, rata ſe uberiorem victoriæ fructum, ſi cum hoc vinceret, relaturam. Hinc alter pulſus fugatuſque. Succeſſu elatus, & aliquot nactus murales machinas, Gedichus Ancyram ad opulentam nec ſatis munitam urbem legiones ducit, gratiam militibus vicemque beneficii præda redditurus. Id finitimis oppidis iniecit paris ærumnæ metum, adduxitque vel remotiores ad Euphratem provinciarum præſides, ut cohiberent invaleſcentem peſtem, ſedulamque reipublicæ navarent operam. Conſcripto exercitu in perduelles movent; & iſti obviam procedunt, acie congreſſuri. Prope Iconium concurrunt, atrociter conſerunt prælium, invaluitque diu pugna; qua tandem Gedichus vincitur; captaque fuga, præmii ſpe ab ſervo dum iret, contrucida-

1689.

1689. cidatur. Civilibus diſcordiis fœliciter diſſipatis; Viſirius ad externa bella curas omnes & vacuum animum convertit. Pecunia & delectu opus erat. Quæſiti e penitioribus provinciis milites, nec rejectæ ſeditioſorum reliquiæ exercitum ſupplevere, pecuniam tributum; quod licèt in ea rerum aſperitate acerbiſſimum, & Byzantii cœpiſſet movere turbas, ubique tamen collatum fuit, leniente dolorem Viſirii & potentiorum exemplo, qui ſua ſponte pecuniæ ingentem vim in ærarium intulerunt. Nam probabile nec injucundum multitudini, quicquid primorum imitatione gerit. Paratis omnibus ad bellum, ejus gerendi tempus advenerat. Moſchi primi ex hibernis copias educunt adversùs Scythas, Turcarum ſocios auxiliareſque. Ducenta fuiſſe armatorum millia, & prope mille habuiſſe murales machinas, ſermo eſt diſſipatus. Vere adulto ad Tauricam Cherſoneſum Principe Gallicino duce iter arripiunt, ſitaſque in Iſthmi faucibus Taphras, quas modò Præcopiam dicunt, munitam propugnaculis & arce urbem, invadunt. Ingenti præſidio tenebatur, ſed longe validiorem fecerant vaſtitas circum longè lateque a Scythis illata, & aquæ ad hominum brutorumque uſum in arido ſolo inopia. Hæc prævîſa Moſchos non deterruerant, ratos, pro tanta ſuæ gentis machinarumque multitudine paruum oppugnationi tempus ſuffecturum, cui tradu-

Turcarum ad bellum ingens apparatus, & qui modo comparatur.

Moſchi adverſus Scythas movent, & quanto apparatu.

Taphras oppugnant.

Oppugnatio deſcribitur.

traducendo tantum advexiſſent omnis generis 1689.
commeatuum, ut ſatis futuros arbitrarentur. Exercitu more ſuo carris vallato, tormenta expedire, vineas ad mœnia ducere inſtituunt. Sed citò, quo difficillimo ſe implicaſſent negotio, palam fuit. Agger non ceſpite, non pingui compactus humo, facile ſubſidebat. Nec diu fuit, cùm ſubducto jumentis ignobilioribus alimento ne reliquis deeſſet, macie, ſiti, fame confecta paſſim deficerent. Nihil tamen æque incommodum ac ipſi Scythæ, qui vagi inſtabileſque, & hoc ipſo, quòd nullo conſiſterent loco; ut impares ad ſtatuariam pugnam ita interdiu noctuque (& incertum qua parte) ad vallum ſuccedentes, hoſtem aſſiduis velitationibus divexabant; nec juſto prælio comprimi poterant, quippe celerrimis equis ſe proripientes. Et præſidiarii frequentiſſime erumpentes opera morabantur. Ea nihilo ſecius oppugnatores oſtinato labore produxerant ad foſſæ labrum; & metus erat, ne, tædio ac multitudine ſuadente, corona oppidum adorirentur. Itaque Scytharum Regulus facto ſex millium Janizarorum, quos a Turcis auxiliares acceperat, cuneo, atque latiſſimis ſuorum equitum alis circumfuſo, in vallum aperta vi perrumpere ſtatuit. Re oppidanis condicta, ut ſimul e portis ſe ſe effunderent, initur pugna. Lenta illa primum & parum preſſa, Scythas prohibente

1689. vehiculorum ſepe, ne pedem inferre; Moſchos loci anguſtia, ne ad jacula conijcienda explicare ordines poſſent. At denique diſſipato vallo tantum Scythæ dederunt impetum, Janizari in primis, ut Moſchorum, qua parte impreſſionem acceperat, inclinaverit acies, per omnemque ſimul terror pervaſerit. Maxima horum cædes eſt ſubſequuta; cùm conſtipati pecudum more præberent jugulum ac prope inulti trucidarentur. Triginta millia eo die cæſa; quadragenæ murales machinæ in oppidum abductæ. Nec Scythis incruenta victoria fuit; clades tamen longe minor. Aucta hinc Moſchis ſuperandæ urbis difficultas; & cum juges aquæ vehementiori per æſtatem ac ſolis ardorem ſiti non ſufficerent, nec ſine ingenti periculo, incurſantibus aſſidue turmatim hoſtibus, longius aquari poſſent; Gallicinus imperator colligi vaſa, & pedem referri juſſit, queſtus deluſam a Sarmatis, quam ſibi feciſſe diceret, ſpem unà Beſſarabiam invadendi, occupandique alteram Scytharum partem, quæ tamen ad ſociorum periculum otium teuuit. Sed querelæ apud vulgus argumenti loco ſunt. Ad lævam Boryſthenis ripam reducto exercitu, tranſmiſſoque Samara amne ad cônfluentem aliquot dies, quoad milites ſe refeciſſent, caſtra locat. Illinc magnis itineribus, metu ne Scythæ urendis adultis ac torridis herbis magna equorum pernicie ante-

Quam denique Moſchi deſerunt.

Eorumque in Sarmatas querimoniæ.

Intra ſuos fines regrediuntur.

anteverterent, in Ruſſiam contendit. Hi tamen nunc a tergo nunc in latera invadentes, properantibus injecere moram non ſine cæde & centum muralium tormentorum præda; quibus agendis jumenta defecerant; nec qui difficili molimento milites præſtabant operam, gradu exercitum æquare, potis fuerant. Ita hoc quoque anno a Moſchis immenſo apparatu atque inani ſimul expeditione res geſta; facto nunc pariter documento: in re bellica, perinde ut in corporibus, mole ſupra modum excedere, nocumento eſſe; & robur militare non hominum frequentia, ſed virtute ac diſciplina vigere. Gallicinus in Regiam profectus, uti victor exceptus eſt; Fœderatiſque illorum Principum nomine, eum viciſſe, renuntiatum; ſeu falſa opinione, quòd hoſtes æquo Marte confligere detrectaſſent; ſeu contraria fama obruenda; quæ, occultis ex initiis orta, eò tandem inclinat, quò plurium voces & major ducit auctoritas. Scythæ repulſis Moſchis in Volimniam Podoliamque digreſſi, eas provincias fœdis populſationibus afflixere, quieſcentibus Sarmatarum legionibus; magnaque provincialium multitudo in ſervitutem adducta, qui ad primam irrumpentium famam in Sylvas cum tenui commeatu ſe abdiderant; rati ad hoſtem propulſandum cito quidpiam ſuæ gentis militum, qui non procul in ſtativis erant, affuturos. At ſua decepti ſpe & pau-

1689.

Carpti a Scythis in itinere non levi cæde ac præda.

Gallicinus uti victor excipitur.

Ac Fœderatis renunciatur.

Scythæ Sarmatiam populantur ingenti clade.

1689.

Quieſcentibus Sarmatis, & quare.

Rex Conciliū celebraverat ad curandum militibus ſtipendium.

Inani eventu.

paucos poſt dies fame coacti ad ſuos redire lares conſilium cœperant. Nemo ſi quidem ex hibernis moverat, jamdiu ſtipendio fraudatus, nec auſus commeatuum inopia in viam ſe dare. Curandæ in iſtud pecuniæ Rex media hyeme Comitia habuerat, inani eventu. Nam Legatorum plures ex animorum contentione ab ipſo diſſidentes bellum vel neglecta republica averſabantur. Et ad Conventum citò dirimendum acceſſit metus, ut fama fuit, ne de Jacobo Filio ſucceſſore ſibi deſignando ſermonem haberet; quem longo ſilentio jam ſeneſcentem reviviſcere pertimuerant.

Pecuniam illis de ſuo ſpondet & male audiit.

Deſperata ex ærario pecunia, Rex illam de ſuo militi numeraturum, ut ſigna, ex hibernis decedens, lubens ſequeretur, palam dixit. Quod male audiit, quaſi exercitum obnoxium reddere atque obſtringere ſibi vellet; ſuſpecta ſemper in rebuſpublicis privata liberalitate.

A Scythis ad pacem ſeparatim cum Turcis reconciliandam Sarmatæ ſolicitantur.

Cum igitur comitiales abiiſſent dies, & more majorum Senatus de re bellica haberi cœpiſſet, illata extemplo pacis cum Barbaro inſtaurandæ mentio. Nec deerat occaſio. Nam per id tempus Scytharum Regulus, alia in ſpeciem prætexens, nuntium ad Regem miſerat & conditiones, ſi belli cum Turcis ſuſcepti Sarmatas tandem tæderet, illudque ſeparatim componere annuerent.

In eamque Senatus propendet.

Senatorum plures præteritas ſuæ gentis ærumnas, præſentes inter ſe diſcordias, nullamque in poſterum melioris fortunæ

ſpem

Digitized by Google

ſpem proſpicientes, tenendam occaſionem privatis ſermonibus diſſeminabant; & periculum erat, ne huc tandem Senatus inclinaret, niſi Rex, pudore nuper quoque renovatæ Fœderatis fidei, & nunquam intermiſſo in Barbaros odio, invaleſcenti huic ſententiæ auctoritatem oppoſuiſſet ſuam; & Cantelmus Archiepiſcopus Legatus Romanus habita in Senatu concione docuiſſet, ſi ſeorſum pacificarent, iniquam ſubituros famam violati fœderis, obſtructuroſque ſibi in poſterum adverſus potentiſſimum finitimumque hoſtem auxilii ſpem, vicem reddituris ſociis exemplo admonitis, damno irritatis. Ita fluctuantibus animis, medium conſilium, quod plerumque peſſimum, tenuit; ſiquidem nec bellum inſtructum, & pax repudiata. Id Regem, ut ab infrequenti imparatoque pecuniæ exercitu moderando abſtineret, ſuaſit. Quamquam invitus ſupremis Lithuanæ Polonæque militiæ præfectis relinqueret ejus curam; veritus ob æmulationem gloriæquæ cupiditatem, ne quid proſperi accideret, cujus non ipſe auctor. Illi ex hibernis, cum una eademque regio inopi alendo militi non ſufficeret, ad Regni fines progreſſi, an aliquid tentandum ſuppeteret, quod eſſet ſuarum virium, meditabantur: cùm ab transfugis renuntiatur, Camenæcum, hoſtium contemptu an ſui fiducia, negligenter cuſtodiri: & ſi ſcalæ concubia nocte ab Caſtri

1689.

Renuente Rege.

Ac diſſuadente P. M. Legato.

Exercitus ad Camenæcum ducitur & qua ſpe.

1689. ſtri novi (ſic illud vocant) parte admoveantur, ſuperari poſſe. Digna res viſa, in quam vel ancipiti caſu & ſuſpecta Nuntii fide ſe committerent. Collecto equitatus flore & mille peditibus, gradum illuc accelerant, reliquo exercitu cum machinis ſequi juſſo, mœnia ſubituri ante lucem. Sed conſilium eluſit transfugarum, viam præeuntium, dolus aut error. Non prius enim quàm aperto die illuc pervenere. Dubii quid agerent: decepti præſidiariorum aſtutia in id propenderunt, quod ſibi ingenti pernicie luendum fuit. Nam cùm illi infrequentes ad mœnium loricam ſe ſe oſtentarent, & raro majoribus tormentis jaculantes argumentum darent, pauciores eſſe & minus inſtructos, quàm ad tolerandam oppugnationem foret opus; oppidum vi & operibus, quod per inſidias non valuiſſent, ſubigendum ſtatuunt. Duo altrinſecus adverſus Caſtrum novum caſtella erigunt, vallo coniungunt, machinis armant. Hinc Lithuani, illinc Poloni vineas ducunt ad oppoſita propugnacula, quæ ſimul arietibus diſcutiebantur. Tres jam dies prope otioſe vallum produxerant, telis tantummodo conflictati, unde ſolutior iis diſciplina, negligentiorque ſe ſe muniendi cura; cùm repente præſidiarii e foſſa, in quam per abditam portam deſcenderant, ingenti numero maximiſque clamoribus adverſus Lithuanos erumpunt, primos

Deceptus oppidum improviſo tentare aggreditur.

Oppugnatio deſcribitur.

mos obtruncant, deletiſque vineis ſeptem abducunt muralia tormenta, duos pyrolmos corrumpunt, illata ſexcentis nece. Nec eò ſtetiſſent, ni Poloni ex altero caſtello ſuppetias tuliſſent; quorum adventu, recedentibus Turcis, dirempta pugna. Illi ſua clade admoniti, quid virium oppidum, quid animorum oppidani haberent, veriti quoque ne ala ſex millium Scytharum, qui non procul aberant, commeatus interciperet; prudenter, ut in temere ſuſcepta re, confeſtim ſe retulere. Viam nullo impedimento regreſſi, in hiberna, quamvis autumnus vix inciperet, deducti ſunt gravi populorum querela. Hanc, & improſperam expeditionem tacite Rex irriſit ob iram negati in ſtipendia tributi, reique ſe ignaro geſtæ. Par prope Venetis hoc anno armorum exitus. Animum ad vires inſtaurandas poſt Euboicam ærumnam ſtudioſe intenderant. Verùm extenuato ærario, & bello clauſa Germania, ne illinc milites educi poſſent, minus ſucceſſerat. In Konigſmarchi locum ſuffecerant Carolum Felicem Gallianum Avenionenſem Guadagnii ducem auxerantque ad dena millia Mauroceni copias, collectis per Italiam aliquot cohortibus, & bis millibus legionariorum eò e Dalmatia deductis; in hanc verò provinciam tribus millibus tumultuario per ſuas provincias delectu conſcribi juſſis. At cùm ex hujuſmodi exercitu partem in no-

1689.

Deſeritur.

Sarmatæ in hiberna ducuntur

Quid a Venetis geſtum.

1689. nobiliora Peloponneſi oppida, partem ad iſthmi fauces occludendas diſtrahi neceſſe foret; quod ſupererat, ingenti facinori non ſatis erat. Quare dum in Conſilio de re gerenda ageretur, ii ſtatim rejecti, qui differebant Chalcidem rurſus tentandam. Et aliæ terreſtres expeditiones aut ignobiles, aut majoribus tentandæ viribus; maritimæ, valida hoſtium claſſe, periculoſæ reputabantur. Una erat Epidaurus Limera, quæ commeatibus & militum ſupplemenro jamdiu interclusa domari vel tenui exercitu poſſe videbatur; quæque nondum in poteſtatem redacta quidpiam de victæ Peloponneſi titulo decerpebat. Proinde hac æſtate oppugnandam Maurocenus animo deſtinaverat eo etiam conſilio, ut ſucceſſori nullam ibi relinqueret materiam laudis, quæ nonnihil de ſua detraheret. Nam cùm hyeme graviter ægrotaſſet atque ex animi dolore affecta identidem valetudine uteretur, de reditu per autumni tempus in Patriam cogitabat. Re ad conſulendum propoſita, nemo diſſenſit. Datis itaque Henrico Harcurtii Principi duobus millibus ſeptingentis mercenariis ad iſthmi cuſtodiam, ipſe reliquis in naves impoſitis, Epidaurum proras obvertit. Eſt paullo intra Argolicum ſinum, breviſſimo ſexagenum paſſuum freto ab Laconia divulſus, ſcopulus teſtudinis forma erigens ſe in præcipitem undique & altam rupem; niſi qua parte meridiem ſpe-

Inter varias opiniones Epidaurus Limera oppugnanda decernitur.

Oppidum deſcribitur.

ſpectat, per aliquod ſpatium leni clivo excipit ſuburbanas ædes, quæ muro, & ubi pelagum ſubeunt, paucis turribus circummunitæ, crepidini conjunguntur. Vertex octo per gyrum ſtadia late patet. Supercilio circumducuntur mœnia veteri ſtructa muniendi more. Propius continentem extollitur altiori jugo, habetque ibi tenuis munimenti arcem. Adverſo litori ponte conjungitur, cui brevi intervallo ſuburbium occurrit, unde in oppidum per exciſum ferro ſaxi latus anguſtus & arduus callis aperitur. Huc veteris Epidauri Cives, illecti aeris benignitate ac tutiſſimo natura loco, ſe contulere quinque diſtracti a priſcis laribus paſſuum millia, ſedemque locarunt in conſpectu Patriæ ruinis obrutæ, quæ adhuc e regione conſpiciuntur. Veneti haud procul inde in Laconiam deſcenſu facto, iter ad pontem convertunt, diſſipantque tormentis lunatum opus, quo ejus aditus occludebatur. Via patefacta, ſuburbium tentare ſtatuunt, rati, illuc e ſaxi vertice obiectas murales machinas incertiùs (nam nimis ex alto) collineaturas; ſpe quoque, hoſtem ancipiti perculſum metu, quippe terra marique oppugnatum, animos deſponſurum. Binas cohortes ponti admovent, juſſas præſtolari ſignum, ut non prius tranſgreſſæ mœnia ſubirent, quàm bellicæ quatuor naves maritimum latus vulnerare cœpiſſent, obcæcanteſque tormentorum fumo circumpoſitam oram,

1689.

Et oppugnatio.

1689. oram, levioribus cymbis occaſionem darent furtim aliquas inter hoſtium biremes alteramque onerariam, quæ illic ad anchoras ſtabant, ſe ſe inſinuandi, injectaque flamma tumultum excirent, averterentque illuc popularium partem. Verùm, cùm ventus reflaret prohiberetque ab appulſu naves, ſpes ad irritum cecidit. Quin & Barbari ad pontem progreſſi, & cominus eminuſque jaculati, hoſtem ab ejus aditu ſubmoverunt non ſine hujus cæde ac vulneribus; cumulavitque damnum Laurentii Venerii bellicarum navium præfecti mors, ictu majoris machinæ, dum longius e litore increbreſcentem pugnam conſpicaretur, interempti. Quamquam Veneti non ita multo poſt ſecundo vento propius admovente quatuor hactenus repulſas naves, Turcarum navigia jaculis confoſſa depreſſere. Nihil inde tamen deterriti Cives; impavidi quoque, dum tecta ollis incendiariis fœde perculſa ruinam facerent, omnem hoſtibus ſpem ademerunt, pavore adminiſtro, capiendi oppidi. Vi proinde oppugnandum Gallianus adhortabatur; poſſe quippe ad ſuburbii mœnia milites pene intactos ſuccedere, difficili incertoque e rupis faſtigio machinarum ictu; nec multi ipſa mœnia momenti eſſe ad reſiſtendum. Attamen Maurocenus diſſenſit, Chalcidis infelici oppugnatione territus, nec opportunum ratus, cruento facinore imminuere atque enervare ſuas

copias, vix pares ad repellendum ab iſthmi faucibus Iſmailem prætorem, qui prope Megaram cum aliquot legionibus diverſabatur. Quamobrem excitatis in ipſo litore duobus propugnaculis, iiſque bis mille armatorum præſidio inſtructis; altero pontem ab terreſtribus ſubſidiis, altero portum a maritimis intercluſurus; pelago quoqne diſpoſitis circum ratibus impedito; cum ſeptem ac viginti quinqueremibus vela fecit adverſus Africanos piratas, ut ſexdecim quas ducebant ad claſſem Turcicam naves congreſſu arceret, vindicaretque illatam dudum cladem duabus Venetis quinqueremibus fæde vulneratis, & una in poteſtatem ſubacta, dum ab reliquis divulſæ, ſex Barbarorum majoribus navibus, quæ mare prætexebant, obviam ierant, ratæ onerariarum agmen eſſe, quod ad ſe Venetiis profecturum jamdiu perceperant. Vix altum Maurocenus petebat, quum iterum febri corripitur. Hac monitus, ſibi vires ad militiæ labores non amplius ſufficere, & valetudinem quiete inſtaurandam eſſe; traditis claſſe atque exercitu Hieronymo Cornelio, quem ei, ſi quando imperio abdicare ſe vellet, Senatus ſucceſſorem deſignaverat; in Italiam ſe reſtituit. Primò Spalatum appulit, expurgataque ibi per ſtatos dies peſtilentiæ ſuſpicione, decembri medio Venetias pervenit. Advenienti Senatus cum triumphali

1689.

In obidionem poſtmodum verſa & quare.

Maurocenus cum claſſe per Ægeum navigat quo conſilio.

Et non felici ſucceſſu.

Febri tentatus claſſem relinquit.

Venetias petit.

Ei Cornelius ſuccedit.

1689. nave obviam fuit, deduxitque in publicas ædes circumfuſum ingenti ſed tacita populi multitudine, quippe cujus in ipſum gratia conſenuerat ob recentes ærumnas; quòdque vulgus non ſolidæ plerumque virtuti, ſed fluxæ rerum proſperitati plaudit. Eadem æſtate parum fœliciter vel in Dalmatia res geſtæ. Alexander Molinus Cornelio prætor ſuffectus cum bis mille & quingentis legionariis validaque provincia-

Molinus Citclutum invadit.

lium manu Citclutum invaſit; ſpe arcem tenui munitione & perangustam, levi negotio ſubactum iri. Illam, fertili ac late circum regioni imminentem, colligendiſque e Narone amne vectigalibus opportunam, Veneti aggredi ſuperiori anno, ob inhorreſcentem pluviis autumnum abſtinuerant; frequentiori deinde præſidio Turcæ firmaverant, facile ſuſpicati, redeunte Vere periculum ſubituram. Vis prius

Infauſto eventu.

inferenda erat ſubjacenti ſuburbio, turrique proximo impoſitæ colli, quam Divi Stephani vocant nomine. Utraque Dalmatis provincia datur, qui vix ulla munitione ſepta loca, veluti prædatum irent, incompoſiti ſubeuntes, ac telis obruti dedere illico præſidiariis erumpentibus terga non ſine cæde ac vulneribus. Nec eò ſtetiſſet clades, ni legionarii acie in-

Molinus illinc ſigna ducit in Tribunienſium tractum, eoque potitur.

ſtructa ſe ſe admoviſſent, retudiſſentque inſequentium impetum. Molinus trahere illic moram ob inditam Illyriis trepidationem, peri-

riculi plenum duxit. Itaque in Tribunienſem tractum ſigna intulit; quem in ditionem redigendum, ſi occaſio ita ferret, Senatus mandaverat, Epidauriorum regionem, ut jam memoravimus, circumſepiendi cupidus. Nec magni res molimenti fuit. Conſpectis Venetorum ſignis, qui pauci Turcarum denas illic turres tutabantur, vix expeditis ad verberandum machinis, pacti vitam & libertatem, abire permiſſi ſunt. Tres earundem turrium tenui præſidio & aliqua ſubitaria munitione firmatæ; reliquæ apertæ diſſipatæque. Ad rei famam accurrit cum tumultuario delectu Chelmiæ prætor, ſibi, ſi hoſtem non repuliſſet, non minus ab Rege timens, quàm Epidauriorum vicem ſolicitus, unde plura Turcis commoda obveniebant. Vallem vixdum ingreſſus, in poteſtate illam habuit, Neocaſtrum ſine dolo malo dimiſſis Venetis, quibus turrium tutela commiſſa fuerat. Dum hæc in Dalmatia ac Peloponneſo geruntur, Germanos inter ac Turcas atrociori Marte, & longe diverſo exitu bellum deſæviit. Id Ludovico Badenſium Principi cum viginti Germanorum millibus Cæſar gerendum dederat, facta ei ſimul poteſtate deligendi Hungarorum, quot e re ſua cenſeret eſſe. Duo ex iis tantum levis armaturæ equitum millia ſecum duxit, plures Comiti Budiano attribuit ad Caniſiam, Turcarum in Sti-

1689.

Non ita multo poſt repelluntur.

Quid hoc anno in Hungaria geſtum.

1689. Stiriæ finibus arcem validiſſimam, lenta obſidione ſubigendam. Nam Germani, quæ a tergo reliquerant munita hoſtium oppida, fame, non armis expugnanda ſibi propoſuerant. Hac arte initio præſentis anni Sigetum in deditionem acceperant; ad quod, media in palude ſitum cinctumque triplici muro ac foſſa, vi perdomandum juſtus exercitus & longum tempus vix valuiſſent; nec memoria exoleverat, ingenti clade oppidum ſtetiſſe bellicoſiſſimo Othomanorum Principum Solymano centum viginti tres ante annos, nec niſi poſt diuturnam oppugnationem, ac triduo poſt ejus mortem morbo illic abſumpti, fortiſſimis præſidiariis occidione occiſis, prius tamen vicem ſuam egregie ultis, vi ſubactum. Varadinum quoque munitiſſimum in ſuperiori Pannonia oppidum, populato circùm agro, ſtationibus occludere inceperant. Sed bis terque erumpentes oppidani, cæſis hoſtium trecentis, longiùs reliquis ab infeſto loco ſe referentibus, conſilium eluſere. Badenſis Vere jam adulto Albam græcam, quò convenire exercitum juſſerat, ſe contulit. Ibi certior ab exploratoribus factus (nam antea rumor variaverat) Turcarum copias quinquagenis vigere hominum millibus, & alias propediem ex Aſia legiones affuturas; nuntium ad Cæſarem miſit, qui aliquid ſupplementi peteret. Se ſcire, mente non oculis metiendum militum robur, & plu-

Sigetum a Germanis fame victum.

A Varadino protruduntur.

Badenſis exploratis hoſtium viribus ſupplementum petit.

pluriми faciendam ſuorum ſtrenuitatem ; ſed æque non ignorare, hanc minui debilitata vincendi ſpe, quæ in ſumma gerendæ rei difficultate rarò ſuſtentatur. Annuit Cæſar ; at quo illum milite augeret, anceps diſtrahebatur. Ab Rheno ut quidpiam ejus deduceret, nec res nec tempus ferebat. Ab Tranſylvania & ſuperiori Hungaria haudquaquam ſinebant populares ad defectionem vel dudum ab Tehelio ſolicitati ; & nunquam non dubia, niſi metu retenta, æmulæ gentis fides. Satius viſum, Sclavoniam præſidiis extenuare; cum præſertim per eos dies Boſniæ prætor facta quinque armatorum millium manu longe minorem Germanorum globum, qui ad Unnam fluvium prope Dubitiam incaute morabantur, improvisò adortus, adeo nihilo ſecius ferociter acceptus fuerat, ut mortem aut ſervitutem nemo effugerit. Capta duodecim ſigna militaria & ipſe Prætor. Qua clade Turcas deterritos in incertum pugnæ diſcrimen haud amplius illic ſe daturos, reputari poterat. Quamobrem Comiti Piccolomineo prolegato imperatum, ut oppidis trans Savum dimiſſis, & nobilioribus, quæ citeriorem prætexerent ripam, ut ut licuiſſet, munitis, quicquid reliquum ibi Germanici nominis legionum eſſet, Albam græcam adduceret. Quatuor millibus comitatus, ineunte Sextili illuc pervenit. His copiis ſuppleto exercitu, cum qua-

1689.

Ab Sclavonia accipit, re ibi prius a Germanis proſperè geſta.

1689. quatuor & viginti Germanorum millibus, duobus Hungarorum Badenſis ire ad hoſtem conſtituit. Septimis caſtris ad Moravum majorem progreſſus, ponte ad Paſſarovitiam injecto, amnem trajecit. Ibi caſtello ad cuſtodiendum redeuntibus aditum impoſito, iter continuavit. Jam prope hoſtis in conſpectu erat, cùm mutato derepente conſilio retro ſigna convertit. Continens imber, quamquam orta Canicula, viam corruperat, & auctum ſupra modum flumen lintres commeatui in adverſum ferendo remorabatur. Inde verò periculum aderat, ne annona ingraveſceret cumularetque nova ærumna militum laſſitudinem. Tacita quoque illum inceſſit cura, inutilem incommodamque per ea loca trahendam moram; a ſpeculatoribus monitum, Turcas loco tutiſſimo conſediſſe, quò non facile pervadi, & unde inviti extrahi non poſſent ad decertandum. Muſtaphus enim Viſiriorum princeps Rechebo armorum præfecto mandaverat, ut omnino caſtris ſe teneret, nec prælio cum hoſte congrediens, in incerta caſuum ſe permitteret; idque eo conſilio, ut ne tyronibus, quibus magna exercitus pars conſtabat, fideret adverſus veteranum Germanorum militem, licèt numero longe imparem; niſi prius aſſueſcerent armis, & hoſtium reique militaris notitia ſe ſe ad pugnandum firmaſſent. Itaque ad confluentem Naiſſum amnem

Ad hoſtes pergit.

Illico recedit, & qua de cauſa.

Turcæ illum inſequuntur, quamquam a Viſirio intra caſtra manere juſſi.

nem ſtativa poſuerat, cognomine oppido & duplici protecta flumine, quæque a tergo ſolùm, ſed longo circuitu, adiri poſſent. At ubi novit Germanos remeare; falsò opinatus id metu fieri, inſtare occaſioni animum induxit. Dena equitum millia, qui ſuum ex hoſtis greſſu moderarentur, ab læva Moravi majoris ire, tranſitum interdictura, juſſit. Ipſe ab dextera cum reliquo exercitu quatuor millium intervallo Germanorum veſtigiis hærebat, detinebatque levioribus præliis cupidos ob anguſtias annonæ viam accelerandi. Non una iſthæc Badenſem angebat cura; ſed & metus urgebat, ne hoſtilis, qui flumen traduxerat, equitatus, breviori itinere Samandriam peteret tenui munitam præſidio, interciperetque ingentem eò congeſtam commeatuum vim, qui Danubio ad exercitum comportabantur. Hæc expendens, conſilium cæpit, clam traducto exercitu alam illam repente aggredi, priuſquam aut viam præriperet, aut ripæ ſuccedens tranſitum obſepiret. In id plures equitum legiones locat in ſummo colle, ripæ, unde tranandum erat, imminente, ne illinc, quid fieret, ſpeculari hoſtes poſſent. Dein pedites, ponte cymbis impoſito, ut tranſmittant, accelerat. Duo jam hominum millia tenebant ulteriorem ripam, cùm aliquot Turcarum turmæ ſupervenere. Atrox illico accenditur pugna, & Germani eque-

1689.

In eos Badenſis vertit ſigna.

1689. equeſtrem tumultum vix ſuſtinebant. In tempore cum valido equitum globo, tentato fœliciter vado, affuere Badenſis ac Veteranius. Hinc primò æquatum prælium. Mox Turcæ fugam arripuerunt, incertum dolo an metu. Nam reliquum ſuorum agmen propinquo in ſaltu conſederat, hoſtes, ſi fortè illuc pertraherentur, ex inſidiis oppreſſurum. At ubi Germanos vidit, priuſquam ſuſpectum intrarent locum, in ordines iterum, quaſi caverent, ſe digerere; ad alterum ſuæ gentis agmen, quod ſimulate an vere fugiendo præierat conſtiteratque in aperta haud procul inde planitie, ſe ſubduxit. Eò Badenſis peditatum omnem jam ponte egreſſum, equitumque plures legiones ducere properavit. Turcæ longiùs audito adventantium ſtrepitu arma expedierant, & cùm ſe ab reliquo exercitu, fluvio Germaniſque intermediis, avulſos conſpicarentur, audaciam præſenti periculo acuentes, primi concurrunt; diu ac ſtrenue decertant. Verùm hoſtilem pedeſtrem aciem ſuo firmatam equitatu cùm impellere nequaquam poſſent, & geminatis ab ea telis conficerentur, præfecto & quadringentis ferociorum in prælio, pluribus in fuga deſideratis, ſe diſſiparunt. Quæ dum illic geruntur, Rechebus imperator, comperto demum Germanorum trajectu, ſigna in equites movit, qui diſpoſiti in collis jugo ſuorum, dum traducerent-

Initur pugna, & quo ſucceſſu.

rentur, conſpectum ſpeculatoribus ademerant; ratus ita, ſi pauci tranſmiſiſſent, ceteros moraturum; & ſi plures, facilè quicquid eorum ſupereſſet, deletum iri. At ſpes in irritum cecidit. Cuncti præverterant, paucis tantùm in ſpeciem relictis, qui ſtatim intra vallum ad pontis aditum recepti, fregere irruentium impetum, ſibi deinceps per ipſum pontem, ſi Barbari urgere pergerent, proſpecturi. Id non Rechebo viſum dignum ſatis operæ pretium; & ea major inſtabat ſolicitudo, ne impunè hoſtis abiret, neve ſuorum equitum ala trans amnem progreſſa, in diſcrimen adduceretur. Itaque raptim copias traducit, Germanos, quàm celeriter poſſet, aſſequuturus. Dum iret, nuntiatur hos ſibi obviam venire ac ſtatim affore. Badenſis enim poſt acceptam victoriam ſuos extemplo in Rechebum verterat, priuſquàm aut illi pugnandi ardorem remitterent, aut iſte fuga diſperſum agmen colligeret, augeretque vires. Locus erat, ut circa flumina, arboribus denſus, niſi quòd irrigua identidem latiſſimaque interiacebant prata. Horum alterum duplici vallo Rechebus interciderat; & quod interiùs erexerat, munierat foſſa & curulibus tormentis, tutum receptui locum. Dein ſuis nimium confiſus viribus, longiùs proceſſerat hoſti occurſurus. Fortè in apertam planitiem uterque exercitus intraverat, alter alteri gra-

1689.

Rechebus exercitum omnem adversùs Badenſem ducit, equitatui auxiliaturus.

Semel iterumque committitur prælium, ubi, quibus artibus, & quo eventu.

1689. dientium fremitu non ignotus ; ſed conſpectum adimebat nebula ad multum diei inſidens udo ſolo, premenſque lucem denſa caligine. Hac tecti otioſe dirigunt aciem. Turcæ in prima fronte Janizaros locant, reliquum peditatum in ſubſidiis, equitatum in cornua dividunt. Badenſis pari ordine ſuos digerit. Caſtellium prolegato jubet, e ſecunda acie clam ſubducere duas equitum ſagittariorum legiones, eaſque per ingentem ſylvam, quæ dexterum protegebat latus, ita circumducere, ut, cùm ſtrepitu nuntio audiſſet initam pugnam, ſe ſe hoſti obliquum oſtenderet, tubarumque clangore magni agminis ſpeciem exhiberet. Ubi Sol diſſipatis vaporibus aperuit diem oſtenditque inſtructas ad prælium acies, datum concurrendi ſignum. Turcæ primi, ut iis plerumque eſt in more, equites immittunt, provocantque pugnam. Miſſo telo circumagebant equos, latoque redibant gyro ad jaculandum. Verùm Germanus denſatis ordinibus recto curſu premebat obequitantium veſtigia, frequentibus adeo miſſilibus tergo inſultans, ut Barbaris obvertere frontem ac ſtataria ex ipſis equis decertare pugna opus fuerit. Interea peditatus ad teli conjectum venerat; quo armorum genere cùm plus Cæſariani valerent, Thraces illico eductis gladiis pedem inferunt. Robur illic utriuſque exercitus erat ; quare æquis viri-

viribus incertoque eventu Mars deſæviebat; ni-ſi quòd Turcæ (quippe qui multitudine excel-lerent) feſſis integros ſæpius ſubjicientes, Ger-manos fatigabant. Diu multùmque non ſine mutua cæde perſeveraverat prælium; cùm e tranſverſo auditus tympanorum tubarumque ſo-nitus longe plurium, quàm pro legionum nu-mero; mox viſum equitum ſagittariorum, quos Caſtellius ductabat, e nemore egredientium ag-men Barbaros conſternavit, majus illud ex in-genti clangore, quàm re vera eſſet, ſuſpicatos; ſimulque veritos, ne ſi eis tyrones, quibus ſe-cunda conſtabat acies, oblique invadendi da-retur ſpatium, fœde cuncti profligarentur; in ſylvam, quæ ſibi a tergo erat, referendi pe-dem conſilium capiunt. Ordine, ſed non in-cruenti (carpentibus poſtremum agmen Germa-nis) illam ingreſſi, quieti deinde pergunt ad primum vallum. Nam ſuos Badenſis continue-rat ad ſylvæ oram, prius exploraturus an oc-cupata inſidiis foret. Miſſus Comes Starember-gius cum equitum turma citò retulit, illam non ultra quingentos paſſus patere, proceris arboribus, ſed raris conſitam. Cùm multum adhuc ſupereſſet diei, facto brevi ad reſpiran-dum ſpatio, datur militibus progrediendi ſi-gnum. Vixdum aliqui in apertum evaſerant, Barbari in ulteriorem aggerem, foſſa protectum, recedunt; inde verò centum ac quinque æneis 1689.

 tor-

1689. tormentis jacula in hoſtem inferunt. Nox ingentem procellam, quæ ſtragem faciebat, diremit. Anceps erat an iterum ſubeunda foret, quærenduſque intra munitionem hoſtis, quippe qui non faceret ex æquo pugnandi copiam. Advocato Conſilio, exquiſitiſque ſententiis nemo laceſſendum eſſe diſſenſit. Nunquam Germani Turcas adeo contempſerunt. Duceret, quò vellet, inquiunt, atque uteretur Imperator ardore militum, qui tanquam non ad certamen, ſed ad prædam mitterentur, parati eſſent, per foſſam per vallum hoſtes invadere. Itaque in poſterum pugna edicitur. Interim ſomno & cibo reficerent corpora; animos ſuæ virtutis opinione, vincendique ſpe augerent. Tertia vigilia Comes Palfius cum omni levi armatura iter ſilentio & longo circuitu per opacum nemus, quod continuo tractu ad dexteram, ut diximus, protendebatur, capere juſſus atque hoſtem a tergo cædere, dum circa vallum prælio detineretur. Rebus ita diſpoſitis Badenſis, poſtquam illuxit, copias in aciem educit. Robur legionum locat in prima fronte, equites in cornua diducit, ſubſidiarium agmen conſtituit. Ubi Palfium ſatis habuiſſe temporis viſum eſt ad ea, quæ imperata fuerant, perficienda; intrepido & magno greſſu acies procedit, quamquam telis, quæ frequentiſſima ex adverſo micabant, dilacerata.

In

In foſſæ labro ſagittarii ex equis deſiliunt. 1689.
Pars hoſtem, ſi ex abdito ad pyrobaliſtarum uſum corpus aperiret, miſſilibus confodiunt; pars per inæqualiter compactum, ut qui opere tumultuario, ſcandunt aggerem. In altum egreſſi, alii tela reciprocant, alii prætenta pyroſcorpionibus cuſpide viam expediunt. Fumus e tormentario pulvere oculorum uſum; ſtrepitus, aurium ademerat. Quocirca unuſquiſque ſibi dux & miles, impetu magis quàm arte pertinaciter ad exitum properabat. Turcæ obnitebantur, Rechebo in ipſo agmine quà minis quà precibus impellente milites ad obſiſtendum. Sed fruſtra Germani, quominus inundarent, vetabantur. Nihilo ſecius prælium incerta durabat alea, ni Palſius in tempore latiſſima fronte, velut ingentes copias adduceret, ab tergo hoſtibus ſeſe oſtentans, terrorem injeciſſet. Quo hi demum victi, animis cadunt, tumultu turbant ordines. Nec ita multo poſt, cùm Palſius accederet, ex alteraque parte ferociter trucidarentur, in præcipitem fugam ſe committunt, quaquaverſum, quò fors ferebat, diſperſi. Rechebus pluribus in via collectis, Moravum ſupra Naiſſum amnem, ubi tenujori fluit aqua, tranſgreditur. Eò uſque Victor fugientes perſequutus, magnam edidit cædem, quæ ad octo armatorum millia perveniſſe dicitur. Non minor fuit præda

Quanta Turcarum ac Germanorum cædes.

1689. da. Bellicus apparatus, impedimenta omnia, tres pyrolmi, & quicquid machinarum aggerem communierat, in ejus poteſtatem venit. Cæſarianorum cecidere ad mille ducentos, plures vulneribus debilitati. Hac inſigni victoria, tantaque ſuorum militum alacritate Badenſis celeriter utendum ratus, audax alterum conſilium iniit hoſtem, tutiſſimis receptum caſtris, iterum aggrediendi; quamquam viginti hominum millia e pugna ad ejus ſigna ſe retuliſſent, ſubmiſiſſetque Viſirius Aſiaticas quinaſdenas legiones, iter illuc poſt ſuorum cladem accelerare juſſas. Itaque ex omni exercitu ſexdecim legionariorum millium delectu habito, quot integro erant corpore aut valetudine, paucos poſt dies trajecto Moravo ad Turcas pergit. Hi arte & natura munitiſsimo ſe continebant loco. Ab tergo lævaque rapido curſu, ac tum fortè pleno fluebat alueo, Naiſſus amnis. Ab dextera ejuſdem nominis jacebat oppidum. Frontem obtegebat altus agger, profunda munitus foſſa ſudibus circumſepta, qui longius etiam productus collem, haud procul ab urbe ſitum, aliqua ex parte complectebatur. Germani duplici ibant agmine aſcenderantque tumulum alteri oppoſitum, quò Turcæ acie inſtructa e caſtris proceſſerant. Modica interjacebat vallis, in quam illi confeſtim deſcendunt, Thracem aggreſſuri. Is, ubi ſigna inſe-

Badenſis Turcas inſequitur, in caſtris aggreditur.

ferentes vidit, intra vallum extemplo, conſilio an metu, ſe recipit. Eò Cæſariani irrumpere nequaquam auſi, territi loci munimento & muralibus tormentis, quæ ſubituris funeſtam nimis cladem minitabantur. Itaque in vallem reducti, Comitem Czachium cum aliquot levis armaturæ ſpeculatum mittunt, an alibi hoſtium caſtra pervia forent. Collem refert, ipſis ab dextra continentem caſtris, immunitum eſſe, indeque intra munitiones penetrari poſſe. Statim illuc ducuntur. Ob vallis anguſtias dextrum, cui præerat Crojæ Dux, præibat cornu; ſiniſtrum, cui Comes Piccolomineus, ſubſequebatur. Non fugit Barbaros hoſtium conſilium. Quod ut eluderent, carpere poſtremos ordines & moram facere immiſſa equitum ala connituntur. Simul ſummo colli properant aggerem circumducere; in eoque ſtatuunt Janizarorum robur, qui viam obſiderent. Locum antea neglexerant; falsò arbitrati, nunquam Germanos eò peruadere auſuros, ne inter caſtra hoſtium atque oppidum certo periculo ſe committerent. Nihil id tamen eós movit, quominus per ipſum tumulum ſe inferrent. Nullo impedimento clivum ſubeunt, ſcandunt informe adhuc vallum, conſeruntque cum hoſte manus. Atrox ibi aliquantum Mars fuit. Sed fractis adverſo toties eventu animis Turcæ demum pedem non tenuere. Subjecta erant tumulo-

1689.

Prælium narratur.

1689. lo ipſorum caſtra ; facilè proinde, telis murali tormento procul vibratis, terrore ac tumultu oppleta. Qui ubi cæde auctus increvit, Germani ſe promoverunt acie decreturi. Interea ab ſiniſtro cornu repulſa Turcarum turma, cum reliquo prope omni equitatu intra vallum regreſſa irruperat in ferocientium Germanorum latus, attuleratque ingens diſcrimen. Verùm Badenſis dato ſigno, ut ſui frontem illuc obverterent armarentque præpilatis pyroſcorpionibus primos ordines, reliqui jacularentur ; ſimul e tranſverſo in Turcas immiſsis duce Palſio equitum legionibus, eos repulit. Mox data impreſsione vicem vertit. Non enim tulere Turcæ ingruentem undique tempeſtatem. Quà quiſque potuit, turmatim in pedes unàque Rechebus ſe conjecit. Fuſo equitatu peditum legiones, ad quas Germanorum dextrum agmen pervenerat miſcueratque pugnam, nudatæ equeſtri præſidio cùm pares obnitendo non eſsent, acie non diſſoluta, per fugientium veſtigia ſe referebant. Sed citò, urgente hoſtium agmine, jugulum aut terga dare coactæ ſunt. Cæſa eo die octo Turcarum millia. Captæ quatuor ac triginta majores machinæ, bellici inſtrumenti ad ſolum moliendum ingens copia. Nox & Cæſarianorum laſſitudo plures neci ſubduxit. Eorum non plus trecentis, in his Vellen Inſtructor exercitus, humi ſtrati. Naiſsum oppidum portas ſub-in-

Ejuſque eventus.

Strages utrinque edita.

inde Victori aperuit. Non parva illinc egeſta præda. Magna quoque reperta commeatuum vis annonam jam jam ingraveſcentem laxavit. Poſtridie Badenſis Comitem Piccolomineum cum duobus equitum millibus exploratum miſit, an iter ad Sophiam, Bulgariæ caput, nobilem urbem expeditum foret. Quamquam enim centum viginti paſsuum millibus ab Naiſso diſtaret, deliberandum cenſebat, ibi ne caperet hibernis locum. Saltus medium iter intercipiebat, quem Rechebus, dum illac ſe ſubriperet, militum præſidio & aliqua munitione obſtruxerat; eo præſertim conſilio, ut Solymano Regi, qui ſupremo Viſirio comitatus, per æſtatem Sophiam venerat, e propinquo belli negotium geſturus; tutam ibi, ne metu diſceſſiſſe videretur, moram faceret. Sed ille, audita exercitus clade, confeſtim Adrianopolim ſe contulerat. Quæ Badenſi ubi cognita, prope Naiſſum ſe continuit, datiſque Piccolomineo, cui non diu poſt vita functo Vido Starembergius ſuffectus eſt, quatuor armatorum millibus, qui oppidum munirent ac tutarentur; ſimul bis mille & quingentis aliis Holſatiæ Duci inſtructori exercitus ad explicandam populandamque provinciam; ipſe cum novem millibus, quot reliqui erant, dextram legens Moravi ripam, ad Danubium pergit, hiberna (nam medio Octobri ſeneſcebat autumnus) quæſiturus. Bydenam progreſſus, ubi ſu-

1689.

Badenſis non ultra progreditur, qua causa detentus.

Dimiſſis legionibus aliquot circem occupari oppida jubet. Ipſe ad Danubium recedit.

1689. *Bydenam valide propugnatam vi ſuperat.* perare Danubium ponte decreverat, ſena millia Janizarorum ſe ſe atque oppidum erecto aggere concluſiſſe ut aditum prohiberent, reperit. Ad deditionem vocati cùm nihil pacati reſpondiſſent, indomitos animos, quos non e præſenti fortuna geſtarent, vi frangere, exempli fore duxit. Nullam ſecum adduxerat muralem machinam, qua vallum diſpergi æquarique ſolo poſſet. Nihilo ſecius, militum virtute fretus, invadere in ipſum ſtatuit. Copias in duo diviſit agmina; alteri Comitem Veteranium præfecit, ipſe alterum ducit. Diu Turcæ atroci prælio obſtitere. Sed ferociam non remittentibus Germanis, pulſi tandem ab aggere fugatique ſunt. Duo millia ferro abſumpta; ceterorum pars amnem tranavit, pars in arcem tranſgreſſa, poſtero die accepto libero commeatu diſceſſit. Quadringenti Germanorum occubuere; *Veteranii ingens facinus.* aliquot vulnerati. Inſignis præ ceteris Veteranius, dum primus cum ſagittariorum manu, qui ex equis deſcenderant, in vallum evaſit. Traducto exercitu, Badenſi in animo erat, Vallachiam militi ad hyemandum dare. Sed Regulus pecunia & commeatibus moleſtiæ non parum redemit, aliquot ſolùm legionibus intra fines receptis. Pars major locum iis agendis in proximo Temeſvarienſi tractu ſupra Danubium cœpit, unde Tehelius, qui Temeſvarium victu recreaverat, cum aliquot perduellium cohor-

cohortibus non ita pridem abſceſſerat Viſirii juſſu, qualicumque poſſet, ope afflictam rem Turcicam ſublevaturus. Dum hæc in ea parte geruntur, Holſatiæ Dux globum ſuum per ſuperiorem Serviam circumduxerat, incenderatque Uſcopiam, nobile ad Aſſium flumen emporium; nam cives cum re familiari in arduum propinquum Orbelum montem ſe ſubduxerant. Inde ad Pirotum arcem ſe circumflexerat. Quinque illuc Turcarum millia perfugerant ex improſpera ad Naiſſum pugna. Hi, procul viſo Cæſarianorum agmine, freti numero ad ipſum Naiſſum, qui propius mœnia exiguis fluebat aquis, ſe ſe obijcere ac provocare prælium auſi ſunt. Sed non impune. Quippe ſigna inferentibus Germanis extemplo inclinati; mox turbatis ordinibus effuſa fuga pedibus ſe commiſerunt. Ad duo millia cecidere, fœdis plerumque a tergo vulneribus contrucidati. Pirotum Victori ceſſit, validoque præſidio retentum eſt. Sub idem fere tempus Sclavoniam Barbari pertentaverant, Sabazum ad Savum oppugnare adorti. Verùm tot alibi acceptis ærumnis conterriti, incœpto abſtitere. Dein per otium traducta hiberna, feſſis debilitatiſque multiplici aliis clade, aliis victoria. 1689.

Munitis aliis oppidis per ea loca Germani potiuntur.

Finis Libri Septimi.

Liber Octavus.

1689. ANNUM hunc fecit inſignem Turcarum non minus Imperium tot præliis ac tanto a Germanis impetu concuſſum, quàm res Chriſtiana, præcipue ad Rhenum, ſævo irarum atque odii exemplo (ut initio diſcordiæ ſunt acerbiores) miſere labefactata. Proluſum primò atrocibus viciſſim in hoſtem querelis, regerendaque alterutrum belli cauſa; quæ tamen perinde accipiuntur ut ſunt audientium animi, & dolorem non vim præſeferunt. Dein verſa omnium cura ad bellum, poſtquam vernum adveniſſet tempus, e dignitate gerendum. Hiſpani ad Cataloniæ fines adduxerant non parvas copias; plures in Belgio conſcripſerant, quæ in unum cum Batavis corpus coaluerant. Undique Germania ſtrepebat armis, & maximi exercitus ab Cæſare, tribuſque Octoviris Bran-

Fœderatorum contra Gallos belli apparatus.

Digitized by Google

Brandeburgenſi, Miſnienſi, & Bojoario, ab liberis Civitatibus, aliiſque provinciæ Regulis comparati. Ad reliquos adversùs Galliam conjuratos acceſſerat e Concilii ſuæ gentis ſententia Vilhelmus Rex; qui, quamvis domeſticis adhuc turbis detentus, graviſſimum momentum faciebat ſeu occupanda Hibernico bello Gallicanorum militum manu, quo uno auxilio rem ſuam Jacobus Rex ſuſtentabat; ſeu injecta ſpe, illinc ubi ſe ſe expediſſet, Britannicum omne robur in Belgium traductum iri. Hæc Galliarum Regi Ludovico ſedulò cogitanti, nec hactenus experto, iis pollere ſe viribus, quæ ſibi hoſtes in intima ſede laceſſendos patefacerent, verius modò viſum eſt, firmatis valido præſidio opportunis oppidis, obſtruere iis invicem in Galliam aditum. Itaque ſubactam dudum trans Rhenum oram, deducto inde milite, dimitti jubet; inſtrui verò frequentioribus copiis Philippoburgum, Moguntiam, Bonnam, Keiſervertum, quibus obſeptum flumen haud facile ſuperatu ab Germanis foret. Colonienſem tractum nullo diſcedentes affecere damno, ſed acerbiſſimo Palatinatum. Heidelberga, Manhemium, Franchentalium, Oppenemium, aliaque munita ejus ditionis oppida mœnibus denudata; Vici ubique flammis conſumpti; vaſtitas arboribus ſatiſque illata; & alicubi populares domicilii ſedem mutare, in Galliæque terris col-

1689.

His accedunt Britanni.

Galli deſerta dudum devicta regione, in oppida munita ſe referunt.

Inflicta Palatinæ ditioni horribili clade.

1689. collocare adacti. Hanc enim atrociſſimam plagam Philippo Vilhelmo Octoviro, quem hujuſce belli nutriculam diſcordiarumque flabellum fuiſſe arbitrabatur, infligi Ludovicus induxit animum, fatus: e republica eſſe, illum, qui commoviſſet, quanta ſæviret clade armorum procella, expertum diſcere. Hæc tanta ſocii Principis ruina Fœderatorum ſtudium ad vindictam accelerandoſque bellicos apparatus exacuit. Nec abfuit ab eventu res. Nondum enim Ver appetebat, cùm tredecim ſupra centum armatorum millia, ad Rhenum profectura, in armis erant. Unum & quadraginta millia Cæſari merebant, viginti millia Octoviro Brandeburgenſi; quindecim millia Miſnienſis, ſigna ſequebantur, decem Bojoarii, totidem Haſſiæ Reguli. Et Monaſterienſis Epiſcopus ſexagenas centurias inſtruxerat, Svevia provincia quadragenas. Septem quoque millia ſe ſubmiſſurum Hannoveræ Dux, quæ ſerius venere, fidem dabat. Ratio tantùm gerendi belli adhuc incerta. Nam qui juſti prope inſtar exercitus copias collegerant, quidpiam ſuo marte ſuiſque auſpiciis tentare, & nemini imperio cedere, apud ſe conſtituerant. Cæſar quoque, quem ſuis legionibus præficeret, ambigebat. Duo petebant, Bojoarius & Lotharingius; hic diutius belli expertus, ille auxiliorum potentior; ambo ſtrenuitate, fide, ſuaque, ſi vincerent,

Germanorum Copiæ dinumerantur.

rent, utilitate commendati. Plus tandem, ut apud ſapientes Principes, valuit virtus atque honeſti pudor; datumque Lotharingio in eas imperium. De ſumma tamen ſubducta hominum ſeptem millia Bojoarioque adiecta; quibus & quatuor Svevorum millibus ſuppleta ſuorum militum manu, Svevia & Palatinatu hoſtem ad Nicrum uſque amnem arceret. Nicrum inter ac Mænum Lotharingius conſiſteret. Hinc ad Lhonum fluvium Saxones, Haſſianique; reliquam Rheno continentem oram Brandeburgenſes, juncto ſibi Monaſterienſium agmine tutarentur. Quin etiam e ſua unuſquiſque parte hoſte ut poſſent propulſo, privatum aliquem vel re ſua amplianda, vel retinenda, vel recuperanda, fructum perciperet. Ita, diviſis copiis atque imperio, plurium ambitioni conſultum fuiſſe, male tamen reipublicæ, non diu latuit. Galli enim munitiſſima ubique objicientes oppida, fruſtra tot viribus, ſi nullo coaleſcerent loco, impulſum iri videbantur. Initio Veris Miſnienſis Octovir Francofurtum cum ſuis legionibus venerat, ad eumque ſalutandum convenerant Bojoarius, Lotharingius, Haſſiæ & Virtembergæ Reguli, nonnullique majorum militiæ ducum. Sermone inter ipſos de re injecto, nemo fuit qui mutandum conſilium non reputaret. Unum proinde ſexagenum ſeptem millium conflari corpus, in idque ad Cæſarianas, quæ Lotharingii auſpi-

1689.

Suarum Lotharingio imperium datur a Cæſare.

Aliæ in plures diviſæ globos.

Mutato conſilio pars major Lotharingio ad ali quod facinus attribuitur.

1689. auſpicia ſequebantur, legiones accedere novem Miſnienſium millia, decem Bojoariorum, Haſſianorum ſeptem, deliberatum; quorum omnium Lotharingius ipſe imperium gereret. Reliqui, quod ſibi ſupererat militum per loca eorundem jam antea tutelæ commiſſa, detinerent. Non diu deinde quæſitum, quid primùm validiore illo exercitu tentandum foret. Moguntia ante omnium oculos obverſabatur, qua Germaniam cis Rhenum veluti compedibus vinctam Galli detinebant, & ulterior ipſorum populationibus aperiebatur. Itaque ad oppugnandum decreta, eòque Lotharingius traducto Rhenum exercitu, ſigna admovit. Jacet Moguntia patenti campo ad hujuſce fluminis lævam. Mœnia lato convexoque ducta gyro parum pridem munimenti habebant. Sed Galli per hyemem celeri ampliſſimoque opere ſuperinduxerant novam ceſpite compactam loricam, interiori aggere, exteriori foſſa, tectoque itinere, & quatuordecim propugnaculis circummunitam. Illuc etiam côngeſſerant quicquid fere bellici inſtrumenti in Palatinatu repertum fuerat, impoſuerantque decem armatorum millium præſidium, cui præerat Uxellæ Marchio prolegato. Circumvallato exercitu, oppidum Lotharingius tripartitò aggreditur. Ipſe medias urgebat vineas; ab dextera Miſnienſis & Bojoarius; Haſſiæ Lantgravius ab læva, utrinque prope ripam. Ingens erat

Moguntia oppugnanda decernitur.

Quo munimento valeret, & quo præſidio.

Oppugnatio deſcribitur.

erat militum ardor, nullum detrectantium laborem nullumque diſcrimen ut aggerem promoverent. Præſidiarii pari ferocia reſiſtebant operi, frequentiſſimis jaculis non ſine plurium cæde ſubmoventes hoſtem, crebris eruptionibus aggeſtam humum diſſipantes. Nihilo tamen ſecius trigeſimo die eò proceſſerant vineæ, unde majoribus tormentis frons & latera propugnaculorum concuti ad ruinam poſſent; cùm viginti oppidanorum centuriæ tanto impetu in Saxones ſe demiſere, ut mille ipſorum cæſis, pluribus vulneratis, ceteris ad interius vallum protruſis, quicquid uſque eò compactum fuerat, penitus diſiecerint; affectæ ipſæ pariter quingentum nece. Lotharingius rapta ſecum e proxima ſtatione ſuorum manu opitulatum venerat. Sed illi intra mœnia, ſucceſſu alacres, jam ſe receperant. Idem poſtridie mane adverſus Cæſarianos tentatum facinus. Sed vix commiſſa pugna, Gallis pedem referentibus, dirempta eſt. Arte receſſiſſe, ut in hoſtem, ſimulato metu, negligentiam inducerent, citò patuit. Mox enim regreſſi, incautum imparatumque, quòd ſtatim redituros non crederet, facilè oppreſſerunt. Dum aggerem demoliuntur, Cæſarianorum globus, ad primum ſuorum ſtrepitum e caſtris profectus, ſupervenit. Initur, ſævitque diu prælium, quo tandem victi oppidani lento gradu ad propugnacula ſe retulerunt. Non tamen 1689.

1689. men diu fuit, cùm tria millia delecta equitum, peditumque, prælatis ſignis, atque ingenti clangore, tertiò in eadem opera impreſſionem dederunt. Conſertis manibus ſtationarii ferocem impetum ſuſtinebant hærebantque veſtigio, fulti aliquo expeditiori milite, extemplo e caſtris ſubmiſſo. Verùm non diu poſt circumuenti, magna clade in fugam ſe conſternarunt. Sexcenti periere: duo majora tormenta clavis obcæcata, vineæ prorſus deletæ, & ubi ipſarum caput, ſtatio ibi poſita oppidanorum; quorum in eo conflictu vix centum deſiderati. Nox eos diremit. Poſtquam illuxit, Germani e caſtris, injuriæ impatientes, in aciem prodeunt, promoventque ſigna iterum congreſſuri. Sed illico ceſſere Galli pugnam averſati, quæ cruenta urbis tutelam debilitaſſet. Inter hæc Duratius legatus tricena Gallorum millia Rhenum trajecerat prope Oppenemium, opem ex adverſa ripa, ſi fortè in ipſam penetrare licuiſſet, obſeſſis adducturus. Re comperta, Lotaringius octo equitum millia oppugnationi ſubducta Comitem Dunevaldum illuc traducere, collectiſque quotquot Haſſianorum provincialiumque præſidio erant per ea loca, Meni ripas munire, atque aditu hoſtem illac tranſgreſſurum prohibere juſſit. Duratius ubi novit, obviam itum conſilio ſuo (quod erat proximum auxilii genus) circumjacentem regionem ferro ac flam-

ma

ma graſſatus, inſigni clade affecit; ſpe, Dunevaldi copias ad eam præpediendam in apertum, ut æquo Marte in pugnam deſcenderent, pertractum iri. At cùm pedem ripa non efferrent (vincente ærumnarum dolorem conjuncta cum inſigni decore utilitate, quam ipſis recepta Moguntia paritura erat) Duratius flexit in Palatinatum iter. Tentata ad Nicrum Haidelberga, quingentum militum, quo ante tenebatur, præſidium mille Virtembergenſibus per eos ipſos dies caſu auctum, quamvis ſubitaria tantùm protectum munitione, portas clauſit. Res digna, quæ moram faceret, non ſatis viſa. Continuato proinde itinere, Brucsala, Veingarten, Durlachium vi capta; cumulataque novis calamitatibus provincia. Exercitus præda manubiiſque gravis trans Rhenùm ad Philippoburgum deductus, ut illinc Germanorum, ſi quid ultra hoſtile, Moguntia in poteſtatem redacta, meditarentur, conſilia obſideret. Ibi accepto ab oppugnatoribus Hannoverianorum ſupplemento, eò demum triplex vallum admotum fuerat, unde quaſſata machinis oppoſita propugnacula nudari mœnium lorica poſſent. Qua parte id Lotharingius dabat operam, tricenæ conſtitutæ, quinævicenæ ad utrumque circa flumen latus, brevi ingentem ſtragem ediderunt. Nec diu poſt ad foſſæ labrum promotus agger, unde cuniculi ad interiora ope-

1689.

Interea Galli Palatinatum invadunt abducturi ab oppugnatione Germanos.

Qui tamen in ea perſiſtunt.

1689. ra confeſtim ducti. Horum aliqui ſulphurato pulvere diſcuſſi quidpiam objectæ munitionis ruinis involverunt, & major illinc inſtabat oppidanis clades; qui tamen curulibus undique tormentis tantam ingeminabant telorum procellam, ut hoſtes ibi ſine ingenti clade diu ſtare non poſſe viderentur. Quamobrem Lotharingius advocato Conſilio, haud amplius cunctandum dixit, ſed quacunque parte per apertum aditum pateret iter, nulla mora irruendum. Satius eſſe accelerando facinori quidpiam militum honeſtæ, dum pugnant, morti devovere, quàm ipſos & majori fortaſſe numero, dum lentis operibus ſe ſe inſinuant, ignobili fato, miſſilibus auferri. Quintum & quadrageſimum jam diem omnibus prope Germaniæ viribus Moguntiam oppugnari; urbem, ſi cum tot aliis, quæ Gallicum regnum prætexunt, conferatur, non multis cinctam munitionibus; & ſerò illam ab exercitu, Turcarum Hungariæque domitore, ſuperari, vix non ignominiæ loco cenſendum eſſe. Quòd ſi hoc nimiùm glorioſe dici videatur (quamquam militi ſupra cetera honeſtati ac decori ſerviendum ſit) an non hinc omen in reliquum bellum conijciendum eſſe. Semel verò præoccupata opinione: nihil niſi longo molimine ex hoſtium manibus detrahi poſſe: caſuros Fœderatis animos, incerta remotiſſimaque debellandi ſpe.

Lotharingius abrumpi moram dato impetu ſuadet, & quibus argumentis.

ſpe. Quandiu enim fore ut ad priſcos legitimoſque ejuſdem regni fines infeſta ducantur ſigna? eaque gens ad vivum combuſta, damno ac periculo ſuo diſcat, alienis parcere? Et ſi ne iſtud quidem penſi habeatur: an non timendum, re diutiùs producta, opem obſeſſis adductum iri. Facilè quippe in Gallia, quæ floret hominum multitudine, & ubi regium imperium ſanctiſſimum eſt, militum delectus conficitur, nec deeſt bellicoſæ Nationi animus ac voluntas pericula quæque obeundi, cùm id omne ſe poſſe credat, quod Regi lubeat. Tunc enimvero non ita certam nobis, diuturno feſſis labore, victoriam fore. Quærendam proinde modò eſſe, nec nimis caute investigandum: quid augeat periculi obnoxia adhuc obliquis propugnaculorum lateribus via, qua militi irrumpendum ſit. Nam bellum ex occaſione, non certis ſtatiſque legibus adminiſtrandum. Ab hac oratione ad impetùm vel qualicumque diſcrimine in hoſtes faciendum incenſi omnium animi. Poſtero die (idus tunc erant Septembres) certamen indicitur. Proluſum frequentiori e machinis verberatione. Olla deinde incendiaria propoſito pugnæ ſigno Germani trifariam ſe ſe intulerunt. Erant in prima fonte Pyrochitrophori, medii Haſtati, a tergo Sagittarii. Pauci in caſtris relicti; & primores militiæ ordine aut natalium dignitate 1689.

Al ſuperandas munitiones atrociſſimum initur prælium.

(tan-

1689. (tanta pugnandi cupido eos cœperat) cohiberi non poterant, quin ante ſigna progrederentur. Oppidani intra murorum viæque tectæ loricam taciti occultique ſe continebant, donec hoſtem vel minutis telis interiorem haberent. Tunc ſe pectore tenus aperientes, laxarunt majores minoreſque machinas tanta ſubeuntium ſtrage, ut primos ordines pene deleverint. Inita deinde pugnâ, conſertæque manus flammiferis primùm ollis. Quo telo conſumpto, ſucceſſere Haſtati Pyrochitrophoris. Ab his, utpote certo ictu, efferata pugna. Sed major Germanos urgebat vis, eminus quoque tormentis dilaceratos. Immani proinde territi ſuorum nece ter inclinarunt. Ter novis extemplo inductis legionibus, & majoribus ducibus gregariorum in morem certantibus, animi ac prælium reſtituta. Tres horas pluſquam civili odio dimicatum, alterutrum ferina rabie ſe diſcerpentibus. Tandem hoſtium ſuperante multitudine, oppidani in foſſam detruſi ſunt. Non diu illic traxere moram; quippe Germani explicato Sagittariorum agmine ferociter e ſuperiori loco in ipſo jaculabantur. Ergo in propugnacula ſe proripientes, armis & corpore aperta murorum claudunt, minitantes: ſi qui ſuccedere eò vellent, per ſtragem ac vulnera ſucceſſuros. Haſſianis Saxonibuſque, aſperiori aſcenſu aut laſſitudine præpeditis, ſatis viſum ad ruderum radices in-

jecto

Digitized by Google

jecto vallo ſe permunire. At Cæſarianos, præ furore vix mentis compotes, nihil incertos habuit, quin ire pergerent tentarentque aditum. Irritabat ferociam tanta ſibi ante oculos poſita ſuorum clades, & , nonniſi ulciſcendo quieſcens, ira præceps. Itaque ne expectato quidem ducum imperio ſigna inferre Vexillarios jubent. Plures, dum ruinas conſcenderent, tranſverſis miſſilibus obruncati; plures incendiariis ollis in margine propugnaculi. Poſtquam verò quidpiam ſpatii ad figendum pedem adeptis poteſtas ex æquo pugnandi fuit, cædes utrinque illata, ſtetitque incerto Marte diu certamen; donec Cæſariani ſenſim ſe ſe inferentes, præſidiarios ab eo propugnaculo, cui ab D. Bonifacio nomen eſt, funditus deturbarunt. Cæſa eo die Germanorum ſupra duo millia; in his Vallis, Starembergius junior, Borellius, Zinzendorfius, qui inter majores duces recenſebantur; Gallorum octingenti. Sauciorum par prope interemptis utrinque numerus. Hac ad Moguntiam poſtrema pugna dimicatum eſt. Nam cùm Cæſariani ad interiorem ſubeundam poſtridie foſſam ſe compararent, priſca ſubinde non multi momenti mœnia decuſſuri, Uxellæ Marchio præfectus, deſperata ope ac fere abſumpto nitrato pulvere, ratus quoque in rem non eſſe, plurimo reliquorum militum ſanguine urbis occaſum paucos dies remorari; deditionis ſignum poſt toleratam duo-

1689.

Quo ſucceſſu ac ſtrage.

Moguntia Germanis deditur & quibus conditionibus.

1689. duorum prope menſium oppugnationem propoſuit. Citò de conditionibus conventum. Diſcederent præſidiarii cum ſex muralibus tormentis, duobus pyrolmis, atque omni militaris decoris ſignificatione. Sex adhuc eorum millia ſupererant; quadragenis centuriis propugnatio ſteterat. Germanorum deleverat ad decem millia; quos inter illuſtri ſanguine quatuor Principes, totidemque dudum memoratos majores duces, minorum longe plures. Moguntia capta, Bojoarius cum ſuis legionibus in Sueviam ſe retulit, oram trans Nicrum amnem ne Philippoburgenſis præſidii incurſionibus pateret, tutaturus. Miſnienſis circa Francofurtum locum extemplo ſuis copiis ad hiberna cœpit, cauſatus multa illas cæde fractas, diuturno labore debilitatas. Lotharingius, datis Comiti Souches præfecto fabrum ſeptem armatorum millibus ad captæ urbis cuſtodiam, quatuor equitum millia, undecim peditum Bonnam duxit, quæ jamdiu hoſtili exercitu circumſeſſa non fame non metu domari poterat. Octovir Brandeburgenſis Colonienſem tractum cum iis, quas retulimus, copiis expediendum ſuſceperat. Primùm infeſtis ſignis Kaiſerverto admotis illud quarto die, vix locatis machinis, in deditionem acceperat, dimiſſis centum ſexaginta Gallici nominis præſidiariis; quadringentis Germanis aut ſibi ſtipendia facere, aut domum redire

Kaiſervertum a Brandeburgenſibus expugnatur.

re juſſis. Dein Bonnam progreſſus, ſtatim comperit, non ſibi eas modò eſſe vires, quibus urbem non parum munitam ſub imperium redigeret. Nam ſitu atque operibus valet plurimùm, protecta ad lævam alluente Rheno, ab altera parte decem in gyrum roſtratis propugnaculis, quibus interiacet lunata parma, & ubi ſe flumen inſinuat, coronarium opus. Validiſſimo quoque præſidio, cui præerat Haſſeldi Comes, tenebatur. Eam proinde, cùm aliud non poſſet, ollis incendiariis verberaverat, ſi fortè Cives ruinæ metu flexiſſet ad deditionem. At nullum tecta incenſa ac proſtrata, dimiſſa pridem imbelli turba, tumultum excitaverant. Poſitis igitur cis tranſque amnem ſtationibus, commeatu externaque ope intercluſerat. Huc intentus, parum abfuit quin caderet in oppidanorum poteſtatem. Inſidias in vinetis locaverant haud procul ab obſidionalibus caſtellis, ſi quiſpiam illinc digrederetur. Caſu Octovir cum turma equitum per ea loca longius proceſſerat, urbem, qua parte aggredientibus opportunior foret, ſpeculaturus; cùm repente ad poſtremos ordines tumultus oritur, ijs ab tergo inferentibus arma ferociterque inſilientibus, qui in inſidiis, dum pergeret agmen, delituerant. In quos ſe laqueos induiſſet, re ac ſtrepitu admonitus extemplo novit. Nam anguſtæ, quæ remeanda erat, viæ imminebat hoſtis; & fa-

1689.

Bonna primùm ollis incendiariis verberatur.

Ibi Octovir Brandeburgenſis vix inſidias evadit.

1689. ꝏo impetu pugnam committere, palmitum nexu impediti equites vetabantur. In tanto rerum diſcrimine timor, ut fit, ad audendum ſtimulos admovit. Scoeningius Octoviralium armorum præfectus paucos ſagittarios, qui ceteros turmales præibant, ad ſe vocatos, deſilire ex equis, ſtrictoque gladio ire illico ſecum jubet. Audaciſſime inter vitium flagella, numero licèt longe impares, manus conſerunt. Dum verò pugnant avertuntque in ſe hoſtem, Octovir ſuis undique ſtipatus, celeri curſu in apertum evaſit, agmine tamen, dum iret, non parum miſſilibus imminuto. Æſtas deinde minutis præliis tranſacta; uno tantum memorabili, quo præſidiarii Batavorum ſtativa non ſine illata plurimis nece prope delerunt. Quæ dum ita ſe haberent, exeunte Septembri Lotharingius eò pervenerat cum ſuis legionibus; & Brandeburgenſis partem ſuarum revocaverat, paullo ante, ut mox referemus, immiſſam adverſus Gallos circa Moſellam amnem populando ſæviendoque ferocientes. Alium quoque ſuorum globum receperat, ad urgendam Moguntiæ oppugnationem dudum tranſmiſſum; quò tamen non pervenerat, certior, dum iret, deditionis redditus. Itaque Bonnam, collectis undique viribus, armorum vi ſubigendam ſtatuunt. Conjuncto vallo, triplici loco vineas agunt, Cæſariani ad coronarium opus; ad huic proximam lunatam parmam

Bonnæ oppugnatio narratur.

Mo-

Monaſterienſes Batavique; ad intermediam pro- 1689.
muralem loricam Brandeburgenſes. Æmulatio ſtudium acuebat, procedebantque celeriter militares aggeres, cùm nonniſi ingeſtis perpetuò telis oppidani ſeſe objicerent. Paucos poſt dies producti ad foſſæ marginem, ibique ad feriendas diſcerpendaſque oppoſitas munitiones loca-ta machinamenta. Horum vi aperto nonnihil ad eas aditu, dies ad irruendum condicitur. Quod præſidiarios haudquaquam latuit; in exteriora idcirco munimenta ad excipiendum ferociter hoſtem eduxerant militiæ robur. Conſertum prælium pertinaciter ac diu tenuit, utrinque obſtinatis, vita potius quàm loco cedere. Primi ordines haud ſemel deleti; ſæpius integri ſauciis ſubmiſſi. Sed tandem corporibus feſſi, animis quoque utrique obtorpuerant, nec amplius certamen invicem provocabatur. Id magnam Germanorum præfectis irriti facinoris curam injecit; ac tantum averſati dedecus, indignati præterea, miſſilibus ſuorum aciem concerpi longe majori cæde, novum illico e ſua quique parte inducunt agmen. Progreſſi ante ſigna, veſanoque prope impetu concitati exacunt pugnam. Tanta fuit impreſſio, ut præſidiarii ad eam ſuſtinendam non ſatis fuerint. Primi Brandeburgenſes viam tectam occuparunt; mox Batavi ac Monaſterienſes. In foſſam non tamen auſi ſe demittere, quam nimis jaculanti e pro-

1689. pugnaculorum lateribus nondum everſis hoſti obnoxiam conſpicabantur. Cæſariani tardius ſe ſe intulere; ſed obfirmatius proſequuti, non prius quieverunt, quàm ſigna, deturbatis oppidanis, in coronaria munitione conſtituerint. Abſtulit ea pugna Germanorum mille, & minorum ducum multo ſanguine pugnata eſt. Oppidanorum quoque, accepta licèt tenui clade, conſtantiam fregit. Quamobrem Hasfeldi Comes pactus omni militari decore cum Gallico præſidio diſcendendi veniam, & Germanico liberum fore aut exauthorari, aut ſuæ gentis militiæ dare nomen, oppido ceſſit. Uterque exercitus, nam hyems inſtabat, in hiberna deductus. Quæ dum illic geruntur, Beuflerſi Marchio, ſimul ac Duratius legatus eam, quam narravimus, expeditionem trans Rhenum ſuſceperat, collectis & ipſe e vicinis præſidiis tribus peditum, ſex equitum millibus, in Trevirenſem regionem ferrum ac flammam intulit; ratus Octovirum Brandeburgenſem ſociorum ærumnis ſuas copias ita diſtrahere coactum iri, ut alicunde refici Bonna ſubſidiis poſſet. Oram ingreſſus, comperto Cocheini mille ſexcentos hoſtium ſtativa habere, illuc extemplo duxit infeſta ſigna. Vocati in deditionem, cùm liberi abire vellent ac vetarentur, portas clauſerant. Arx erat continens oppido, mœnibus haud parum dirutis. Eam Galli corona in-

Ejuſque deditio, & quibus conditionibus.

Res circa Moſellam geſtæ deſcribuntur.

invadunt capiuntque levi conatu. Præſidiarios, 1689.
veſtigiis proſequuti, in foro, dum ſe ſe ad certamen inſtruunt, circumſiſtunt. Inito ſuperatoque prælio mille trecentos Libitinæ tradunt; reliquis, fatigati magis quàm ſaturati cæde, vix parcunt; ſuorum non amplius ducentis deſideratis. Poſtmodum circumlato exercitu Keiſerſeſchium, Meyenum, Ulmanum, aliaque parvi momenti oppida incendio labefactant. Nec deſtitiſſent, ni Brandeburgenſis Octovir ab Trevirenſi Collega, & flamma prope in ejus conſpectu ſæviente, exoratus, decem militum millia Schoeningio duce ſuppetias miſiſſet. Hæc aucta ſubitario civium delectu cùm reliquam provinciam extra durioris fortunæ periculum poſuiſſent, Beuflerſius reductis copiis Luxemburgum rediit. Per hos prope dies & in Belgio levi prælio dimicatum; quod tamen parum abfuit, quin omni exercitu committeretur. Valdechi Princeps, accepto ab Fœderatis Ordinibus armorum imperio, eorundem copias & aliquot ab Vilhelmo Rege ſubmiſſas Britannorum legiones in Hannonia coegerat ad Sabim fluvium. Eas deinde, ut ex hoſtico ſolo viverent, traduxerat in adverſam ripam, mittebatque circùm pabulatores, firmato prius octingentorum ſtatione Forge vico, ne, cùm in proximo Gallorum exercitus Humiereſo duce caſtra haberet, ab levi armatura interciperen-

Quid actum in Belgio.

1689. rentur. Is comperto, hoſtium equites poſtridie frequentiores, & longius pabulatum ituros, omni equitatu ſecum adducto, viam illis intercluſurus, movit. Peditatum juſſit lente ad vicum ſuccedere, ut poſtquam pabulatores ſe diſperſiſſent, ſtationem vico incluſam aggrederentur. Comperit ex ipſo exercitus greſſu Valdechi Princeps Humiereſi conſilium; datoque pabulatoribus ſigno, ut ſibi proſpicerent, cohortes aliquot præmiſit, quæ recedentibus viam munirent. Sed jam eorum plures in hoſtem inciderant; alii pugnantes ceciderant; pars major fuga ſe ſubripuerat. Cohortium adventu locata Forge militum manus robur accepit, ac primùm adversùs irruentes Gallos ſe tenuit; mox quadrato agmine, infeſto quamvis itinere, Vallocuriam, quæ non longe diſtabat, pedem retulit. Immunitum erat oppidum, una tenui cinctum murorum lorica. Hanc repentè Galli ariete decutiunt. Quod ubi Valdechio cognitum, & quanto in diſcrimine forent qui ſe ibi concluſerant, Ailuæ prolegato negotium dedit, ut tribus Germanorum legionibus, totidem Britannicis Mehenus, præverteret illuc opem adducere; ipſe brevi intervallo cum reliquo exercitu eſt ſubſequutus; ſpe, hoſtes improvisò oppreſſos in apertam pugnam eliciturum. Id Humiereſus (quippe qui novo militi parum fidebat) averſabatur. Vix

dum

dum igitur adventare Batavos novit, celeri gradu in proximos colles relictis impedimentis copias ſubduxit. Ibi moratus, quoad illi pabuli inopia Sabi rurſus trajecto in vetera caſtra remearunt, cùm rei timide dudum geſtæ pudorem non ſuſtineret accepiſſetque militum ſupplementum, tranſmiſſo amne propiùs hoſtem caſtra locavit. Utrinque machinarum telis ad pugnam proluſum; ſed neuter vallo egreſſus aciem inſtruxit. Quin ambo poſt paucos dies longius ab ſe ſe invicem digreſſi, reliquum tempus otio traduxerunt, decepta hominum opinione, qui eos memorabili prælio congreſſuros exiſtimaverant. Belli flamma jam quoque in Hiſpaniam pervaſerat. Principio æſtatis Noalliæ Dux e Ruſcinonenſi tractu in Cataloniam profectus, Campredunum nullo prope negotio in poteſtatem redegerat, munieratque præſidio atque operibus oppidum, unde per aſperos montes in eas invicem provincias aditus aperitur. Deinde in viciniam diffuſis armis Jugum Cerretanorum, Charonnam, caſtellaque alia tributo impoſito in fidem acceperat. Ad ea recuperanda præſentis ærumnæ dolor, futuræ metus, ut omnem abrumperet moram, extimulavit Villæ Fœlicis Ducem, qui armorum illic præfecturam gerebat. Peditum ſexdecim, equitum quatuor millibus raptim confectis Campredunum petiit. Dudum illud commeatu ac mi-

1689.

Quid in Catalonia.

Galli Campredunum aliaque loca in poteſtatem redigunt.

1689. milite, ut ab ſpe proſperæ oppugnationis hoſtem deterrerent, Galli referſerant. Dena quoque legionariorum millia, quibus ab eo vim removere poſſet, Noallio ad ſigna convenerant. Nihilo ſecius oppugnari ab Hiſpano cœptum, ductæ ad foſſam vineæ, vulnerataque non ſine hiatu tormentis mœnia. Affuere Galli ſuorum periculo, & ubi imminebant oppido ſylvoſi montes locato exercitu, occaſionem invadendi Hiſpanos aucupabantur. Hæc ſtatim ut viſa adeſſe, Noallius octo peditum cohortes, quæ pugnam laceſſerent, præire juſsit, reliquas interea in armis habuit, ut ſi fortè vacillaret hoſtis, omni conatu impelleret. At contra evenit. Hiſpani non expectato Gallorum incurſu munitionibus erumpentes, præmiſſum illorum agmen tanto impetu contuderunt, ut vix quinquagenis fuga vitam ſervaverit. Infelici ſucceſſu Noallius perterrefactus continuit legiones, ſatis expertus, certam in perniciem, ſi pugnare vellet, ituras. Ratus quoque, in rem non eſſe, illic diutius trahere infeſtam moram, præſidiarios monuit, ut ad ſe taciti venirent concubia nocte per nondum occupata caſtrenſi munimento loca; prius autem nitrato pulveri, caveis ſubtus mœnia concluſo, aptarent ſulphuratum funem, per quem ſtato temporis ſpatio ignis ſerperet ad ea ſubvertenda. Illi imperata fecerunt, & ipſe cum omni exercitu iter ante

Coacti deinde ea deſerere non parva clade.

te

Digitized by Google

ſe lucem ingreſſus, ea celeritate ſe ſubripuit ut impedimentorum partem & aliquot campeſtres machinas, ne viam tardarent, deſerere opus fuerit. Prima luce mœnia ingenti fragore convulſa, hoſtem abiiſſe, Hiſpanos docuerunt. Locorum aſperitas, ne ad carpendum agmen inſurgerent, in cauſa fuit; contenti quoque provincia multò minori ſuorum quàm hoſtium ſanguine fœliciter explicata. Horum quippe ad mille ducentos occubuiſſe, Hiſpanorum vix centum quinquaginta, fama tulit. Nunc res Britannicas, quæ in hunc annum inciderunt, narrare pergam. Jacobus Britanniæ Rex acceptis ab Ludovico Rege pecunia, claſſe, armis & centum quinquaginta minoribus militiæ præfectis, majoribus quinque, Roſa, Mammonio, Puſignano, Leryo, Boiſſeloque, & paucis copiis; aliquot etiam Anglorum procerum ſecum adductis, initio Veris Brivate conſcenderat in Hiberniam iturus. Diu per hyemem dubitatum fuerat, quò primùm tenderet; aliis Angliam decernentibus, ubi tacitæ plurimorum conjurationes ſeu admiſſi ſceleris pœnitentia, ſeu iracundia, quòd illud ſibi ſterile, fructuoſum æmulis accidiſſet; Scotiam alii, quæ adhuc ſuam alicubi in Regem fidem tutaretur daretque argumentum, ſi quidpiam externis ſubſidiis recreata metum exuiſſet, per civiles diſcordias honeſta quæſituram. Sed qui Hiberniam cenſebant,

1689.

Rerum ſtatus Britannicarũ.

Jacobus Rex accepto ingenti auxilio ab Galliæ Rege, quò eat, deliberat.

1689. *Hiberniam tur prætulerit.* bant, pervicere. Minus illic pervagata fuerat defectionis lues, Tyrconelli prætoris induſtria, & civium ingenio, Catholica tunc plerumque ſectantium dogmata, unde invictum erga legitima imperia obſequium, & ad ſcelus timidiores hominum mentes. Quamobrem celeriter extingui ſeditio illic poſſe videbatur. Hinc autem exuli Regi plura commoda. Nam ad ingentes primum conflandas copias opportunitas aderat delectu juventutis, quæ ibi plurimùm gaudet armis. Militibus autem parum ab Gallis, ſuo impeditis bello, ſe juvari, ſpes ipſi erat. Dein promptus ex Hibernia in Angliam Scotiamque trajectus, unde perduelles ſibi timerent, cùm præſertim Vilhelmus adhuc regnandi incertus maneret; & in recenti diſcordia facilè redeat quietis amor. Ad otium denique inſtaurandum faciliores habiturum ſe civium animos, ſi ſuo, non alieno, ſtipatus milite poſtliminio rediret. Itaque ex hac ſententia proras Jacobus in Hiberniam direxit. Primo die adverſa tempeſtate in portum rejectus, mox proſpera expeditaque navigatione ad auſtralem oram Corcagium appulit. Ibi ei Tyrconellus prætor obviam fuit, Ducis tunc nomine ac dignitate auctus, virtutis fideique præmio. Dublinium inſulæ caput deductus exceptuſque omnium Ordinum acclamationibus, minimum quieti, nullum vanis cæremoniis tempus dedit. Una illum

Ad eum appulſus, militibus a Tyrconello delectis præfectos aſſignat.

Digitized by Google

lum urgébat cura profligandæ penitus ſeditionis, antequam domeſticis aut Anglicis viribus confirmaretur. Tricena hominum millia Tyrconellus conſcripſerat. His Jacobus centuriones, tribunos, majoreſque duces attribuit, quorum plures Gallici nominis ex iis, quos ſecum adduxerat; unde popularium ægritudo & nonnunquam dubia fides. Armis novum militem inſtruere, cùm, quæ ſecum pariter attulerat, duodecim haud amplius millibus ſufficerent, nequaquam penitus in promptu fuit. Cum hac ſuorum manu & Gallicano milite viam illico ad Boream, ubi perduelles aliqua tenebant oppida, arripùit. Colerainum, Rupes Forgutii, & quicquid per ea loca primo tumultu abreptum defecerat, ad ejus conſpectum in fidem rediere. Duo portas clauſerunt, Enniskillingum Neolondinumque. In hoc præcipua rebellantium ſpes nitebatur, eòque idcirco frequentiores ex omni circùm regione ſe contulerant. Jacet oppidum ad Lifferi amnis lævam, ubi æſtuaria ſe inſinuant, dilatantque navibus alveum. Illuc jampridem Angli coloniam deduxerant, indomitos incolarum animos in officio retenturi. Creverat deinde civitas eorundem inſtituta moribus ac religione. Hujuſmodi tunc erat rerum conditione. Lundæum Anglum tribunum militum, qui magiſtratum gerebat, Cives expulerant, ſuſpectum ſibi, quòd duas

1689.

Statim contra Perduelles pergit.

Neolondinum oppugnat.

Qui illic rerum ſtatus.

1689. ſuæ gentis legiones, ſubſidio miſſas oppido prohibuerat, cauſatus, ſatis ſibi eſſe militum, & eas graviorem ceteris annonam reddituras; cooptaveruntque Valcherum quemdam myſtagogum, cui gratiam conciliaverat obfirmatus adversùs Jacobum Regem animus; obſequium, quia, quæ vellent, imperaret. Armorum potentes quà cives quà advenæ ad duodecim millia recenſebantur, ſupremis ad rem bellicam ducibus Bachero Murraioque, militiæ non imperitis. Kilmorum caſtellum, quod ad fluminis oſtium in poteſtate habebant, civibus augebat auxilii ſpe animos ac ferocitatem. Aprili exeunte Rex urbi admoto exercitu oppidanos monuit ut celeri deditione clementiam potius, quàm obſtinatione iram Principis experiri mallent. Cùm nihil pacati reſponderent, vim inferendam ſtatuit. Dum verò qua parte inferret, propiùs ad mœnia ſuccedens cum turma equitum, ſpecularetur, vitæ diſcrimen adiit, parum ab ſe aberrantibus tormentorum jaculis, quibus turmalium tres interempti. Propugnaculum ad Boream vergens ictibus deſtinatur. Nec mora vallum erigitur muniendis machinis, vineæ ad foſſam ducuntur. Simul aries Kilmoro incutitur, fluvii fauces obſidenti; quod exili compactum opere cùm ſtatim ruinam feciſſet, intacto quamvis trecentorum præſidio, quarta die in deditionem conceſſit. Hinc om-

Oppugnatio deſcribitur.

omnis in oppidi perniciem verſa cura; non 1689.
tamen fracta oppidanorum audacia, qui continuò erumpentes diſpergebant quicquid in ſe aggeris promovebatur. Quin aliquando hoſtium ſtationes aggreſſi, nonniſi ipſorum ſaturati ſanguine ac diuturno prælio cogi intra mœnia poterant. Ter præſerttm id auſi nobiliori certamine, quo ad quatuor hoſtium millia, in his tredecim minores duces, ſuperioris ordinis duos, Maumontium, ac Puſignanum obtruncarunt, non plus mille ſuorum accepta clade. Hac tanta ſtrage irritati, ad ejus vindictam ſarciendumque famæ damnum extrema conari Jacobæi ſtatuunt. Silentio noctis omnem exercitum urbi circumdant foſſamque ſubeunt, rati alicubi negligenter excubare cives; ſin minus, ex ancipiti periculo eos non ubique fortes paratoſque ad repellendum fore. Sed vano eventu. Senſere quippe hoſtis adventum, armataque frequentiori milite viæ tectæ lorica ſe ſe inſtruxerant ad eum ferociter excipiendum. Is ubi in re gerenda ſuæ solùm virtuti, alienæ ſocordiæ nihil fidendum novit, accelerat gradum; concurrit; gladiis, telis oppidanos ſummovere nititur. Magnis utrinque viribus locus defenditur & oppugnatur, diſpari tamen animo, qui aliis, tantùm ut reſiſterent, augeſcebat; flacceſcebat aliis irrito conatu. Non diu proinde obſtinarunt Jacobæi prælium; & oppidanis tantus

ac-

1689. acceſſit pugnandi ardor, ut non ita multò poſt, quotquot erant geſtandis armis idonei, ſeptingentis dumtaxat domi relictis, e portis in hoſtem effuſi, illum detruſum e propinquis munitionibus, deſerendæ poſt quadrageſimum diem opugnationis in conſilium impulerint. Non tamen ab Rege obtinendi oppidi perdomandæque fame, ſi vi non ſucceſſerat, civium pertinaciæ abjecta ſpes. Quamobrem terra cuſtoditis frequenti militum ſtatione commeatuum itineribus; amne demerſis ſcaphis aliiſque machinamentis, ne navigiis daret aditum, occluſo, Dublinium diſceſſit, Concilio interfuturus, unde ſibi adversùs hoſtiles copias, mox in Hiberniam tranſmiſſuras, quammaximam poſſet opem compararet. Arauſionenſis enim duo & viginti armatorum millia Ceſtriam, quà brevis in Hiberniam trajectus, convenire juſſerat, præmiſeratque tres onerarias commeatibus refertas cum altera bellica Kircho prolegato duce, quæ NeoLondinum facta vi aut captata occaſione appellerent, ſi fortè, niſi aliqua reficeretur ope, durare diutius non poſſet. Kirchus illuc directo curſu, compertoque, amnem molibus obſtruſum non dare ad oppidum viam, procul anchoras jecit, monuitque cives non diu fore, quin Schombergius cum ingenti exercitu ſuppetias veniat. Sed ſi tandiu vitam producere ac ferre nequeant malorum tædium, renun-

Jacobæi multa clade feſſa illinc recedunt, oppugnatione in obſidionem verſa.

nuntient ; ſibi in animo eſſe, iis propellendis extrema ſubire pericula, ne ipſorum ſalutem ſua minoris pendere videatur. Facta ſpes ad famem, vel ultra quàm ferre natura poſſe videretur, tolerandam obſeſſos obduruit: quamquam ad ſex hominum millia dira calamitas tabeſque ex infandis cibis conſumſiſſet, reliqui vix corpora ſubſtinerent. Tandem poſt trium fere menſium obſidionem, cùm eos non modò frugum herbarumque genus omne, verùm & jumentorum ac felium carnes defeciſſent, victi malis ad deditionem ſpectabant. Quod ubi Kirchus novit, commeatus inferre hoc pacto aggreditur. Bellicam ipſe navem ducit firmatque anchoris ſub ipſis propè Kilmori mœnibus. Dum verò majoribus catapultis tela utrinque reciprocantibus micat flamma, & fumus obcæcat aerem, tres onerariæ vehementiſſimo flatu illatæ, & per caliginem intactæ caſtelli jaculis, in clauſtra impingunt. Ceſſit, fracta lignorum compage, ictui moles, duabuſque aditum patefecit. Tertia fragmentis hæſit. NeoLondino commeatibus recreato, Kirchus non multo armamentorum damno bellicam navem in altum ſubduxit. Jacobæi ſubverſis Kilmori mœnibus diſceſſerunt. Pars ad refrenandas oppidanorum incurſiones Enniskillingum petiit; pars Dublinium ad Regem, qui per eos dies adversùs Arauſionenſis copias, com-

1689.

Oppidanis extrema conflictatis fame auxilium affertur, & quomodo.

Jacobæi diſcedunt ſoluta obſidione.

1689. compoſitis prius civilibus negotiis, ad arma ſe comparabat. Nam ſtatim ut ad Conventum venerat, illum ex ancipiti deliberatione ad bellicum ærarium in ſingulos tredecim menſes octoginta Coronatorum millibus conſtituendum pertraxerat; conciliaveratque ſibi, eorum fidem aucupaturus, cujuſcumque religionis populares impunitate ſectandi, quam quiſque vellet; ratoque habito quod ſanxerant ingenti ſtudio, ne amplius ex Hibernici Concilii placitis judiciiſque in Angliam provocaretur, neve in poſterum ab Anglicanis Comitiis lex ulla in Hiberniam prodiret. Dein novo delectu facile legiones ſuppleverat haud parum NeoLondinenſi obſidione debilitatas. His acceſſerant quinque Gallorum millia cum aliquo armorum apparatu, ei feliciter a Caſtri Reginaldi Comite dudum traducta, quamquam Herbertus claſſis Britannicæ proprætore, objecto navium agmine inita quoque pugna, quæ levi utrinque damno dirempta eſt, illi navigationem ac deſcenſum impedire ſtuduiſſet: Conflato inſtructoque tricenum amplius millium exercitu, media æſtate adverſus hoſtem proceſſerat, acie conflicturus. Etenim per id tempus Schombergi Dux ex Anglici litoris Ceſtria diſcedens, Hiberniam tenuerat prope Dunam. Nullo impedimento expoſitis viginti hominum millibus, acceptiſque NeoLondinenſis præſidii reliquiis,

Jacobus Rex plura Hibernis concedit.

Copias auget Hiberno milite ac Gallicis auxiliis.

Movet adverſus hoſtem.

Qui Schombergio duce pugnam detrectat & quamobrem.

quiis, Caſtra inde movit. Rex circa Dunkeranum ſtativa poſuerat, expectabatque ejus adventum, ut ibi aperto loco pugnam conſereret. Verùm Schombergius certior per exploratores redditus, illum equitatu ſibi antecellere, nec peditatum (qua opinione fretus agmen eò promoverat) tyronum videri eſſe; veritus proinde in certaminis aleam ſe dare, pedem non procul ab ejus caſtris continuit, jactoque vallo ſe communivit; nec illinc, ab Rege instructa non ſemel acie provocatus, elici unquam ad pugnam potuit. Præſertim cùm vulgati laboribus & cœli diverſitate morbi tantam ſuorum militum ſtragem jamdudum ederent, ut quæ tandem e Scotia traductæ fuerant aliquot legiones, ad eam inſtaurandam parum momenti habuerint. Ita nulla re geſta, cum autumnus diſcederet, primus Scombergius copias ad inſulæ oram ſeptentrioni obverſam reduxit, quæ ſtatim civium ingenio ad Arauſionenſis partes regreſſa, commodum hyemando locum dedit. Rex Dunkerano aliiſque oppidis, quæ in hoſtium conſpectu erant, valido præſidio confirmatis, reliquo exercitu in hiberna dimiſſo, Dublinium rediit anxius, ſeditionem, quam ſtatim extinguere non potuiſſet, citò majoribus viribus convalituram, nec amplius, niſi ingenti conatu dubioque eventu, quin quaquaverſum, ut in Anglia Scotiaque, irrueret, coerceri

1689.

Utrinque in Hiberna diſceditur.

Digitized by Google

1689. ceri poſſe. Nam civiles tumultus initio timidi ancipiteſque, & facilè comprimuntur; adulti ſpe vigent, ſucceſſu augeſcunt. Et perduelles jam quanta rei agendæ fiducia, & quid animorum gererent, per eos dies argumentum dederant. Quingenti Enniskillingo profecti Slegum, ut fidum ſibi oppidum, quod quatuor Jacobæorum millia ſubitario delectu oppugnabant, extra diſcrimen ponerent, iis obviam proceſſerant. Iſthinc audacia, illinc numerus ad pugnam ſuaſit; & conſerta illico ſigna. Regii telo, priuſquam tempus foret, emiſſo, tanta ſubinde procella obruti ſunt, ut fugam arripuerint, ſuorum longe majori quàm hoſtium cæde. Quod cùm grave Regi accidiſſet; res tamen in Scotia quotidie magis inclinatæ vehementius angebant ejus animum cumulabantque ſolicitudine. In tanta reipublicæ tempeſtate immota ſteterat fide una Edimburgi arx, Montanique, gens Regi ſuo perquam obſtricta. Illam incorrupto milite Gurdoni dux tutabatur. His Alecti, quod modò Dei donum vocant, Vicecomes ducem ſe præbuerat, alebatque ſpem, citò ad ſe conventuros quotquot populorum non ex ingenio ſed timiditate atque ignavia fidem mutaverant. Vilhelmus ad has conficiendas reliquias nulla mora adiecit animum, gnarus, facilè impelli novos dominatus, ſi alicunde eos impellendi occaſio maneat. Statim arcem

Jacobæi Slegum adorti repelluntur.

cem oppugnari, & Machajum dynaſtam collecta mercenariorum & populariumi manu pergere ad hoſtem juſſit; cum eo, priuſquam viribus accreſceret, conflicturus. Arcem non intentatæ Gurdonio minæ, non vis illata domuere. Ceſſit trium menſium obſidioni & graviori in dies annonæ, quam nemo in tempore laxare poſſe videretur. Gurdonius accepto libero commeatu; præſidium facta ſponſione, non amplius contra Vilhelmum Regem ſtipendia facturum, principio æſtatis honorifice diſceſſerunt. Ex altera parte Machajus cum ſeptem hominum millibus quintili exeunte adversùs Vicecomitem moverat. Is in Atholia provincia prope Blairum oppidum cum pari militum numero, acceptis per eos dies decem Hibernorum centuriis, ſtativa habebat. Audito, Machajum ad ſe venire, confeſtim iter ad eum arripuit, acie decreturus. Idem illi animus erat. In aperta planitie duo a Pertho urbe paſſuum millia infeſtis ſignis concurrunt, ducum, ut in civili bello, majori ſtudio quàm militum. Vicecomes primis ad acuendam pugnam immixtus ordinibus tantùm potuit voce atque exemplo, ut ſui renovato ſæpius impetu Machajanos multa perculſos cæde ac vulneribus in fugam verterint. Sterlingium Machajus petiit, quò mox diverſis itineribus fugientium mille & quingenti ſe collegere. Plures occiſi; alii in victoris

1689.

Edimburgi arx Vilhelmitis deditur.

Qui prope Perthum infeliciter pugnant.

1689. partes tranſgreſſi. Jacobæorum pauci necati. Sed funeſtam ipſis victoriam fecit Imperatoris mors, qui dum ſtrenue ante ſigna irritat prælium, lethali accepto vulnere paullo poſt fato ceſſit incredibili ſuorum luctu, inexpiabili damno. Etenim ſubſequutæ inter Darſelini Comitem, & Dunchellium, Ratrajum, Canonemque diſcordiæ, quòd quiſque demortui locum ſubire poſtularet, exercitum diſſiparunt; qui ſi præſens, aut rumore ſaltem nuntio adventurus, aliis metum aliis ſpem feciſſet; opinio fuit regnum in Jacobi fidem reſtituere potuiſſe; ſin aliter, ſeditionem in dubii eventus diſcrimen conſternare. Dum verò procerum ſinguli ſuas copias abducunt, in diverſas diſtracti partes, ac populando miſcendoque levia certamina nihil ad rei ſummam proficiunt, ſpatium ſe confirmandi inſtruendique ad proſperos ſucceſſus diligentius bellum, hoſti dederunt. Obiit hoc anno poſtremum diem Chriſtina Svecorum Regina, magni Guſtavi filia & regni hæres. Ejus auſpiciis, priuſquam per ætatem publicis moderandis rebus vacaret, Germanicum bellum, quod Pater ſuſceperat, diu fœliciter geſtum; cùm jam ad clavum ſederet, utili ac decora pace compoſitum. Quiete reſtituta inductoque in cives morum & ingenii cultu, regnum Carolo conſanguineo ceſſit, non ejus pertæſa, quod fœliciſſimum tenuit; ſed quia major ſibi viſa

Jacobæi in plures globos diſtracti male rem gerunt.

Mors Chriſtinæ Svecorum Reginæ, ejuſque elogium.

viſa. Hanc moderati animi gloriam abjudicata falſa religione, catholicamque profeſſa, cumulavit. Dein Romæ privatæ vitæ inſtitutis magnifice ac liberaliter vixit, nullo unquam abdicati Imperii deſiderio; ut illud virtute, non curarum aut ancipitis fortunæ metu dimiſiſſe, fidem fecerit. Publico elata funere, omnium plauſu laudata eſt, commendataque poſteritati non per ingentia facinora, ſed per civiles artes, & quia minor fama, quæ non ſurgeret e mortalium ærumnis, ei placuit. Paullo poſt Innocentius, hoc nomine undecimus, Pontifex Maximus e vita diſceſſit, poſtquam tredecim regnaſſet annos. Severe magiſtratus geſſerat, graviſſimo vitæ atque agendi inſtituto benevolam nunquam vulgi opinionem aucupatus. Quod cùm ſæpius iter ad Imperium intercludat, ei mirifice aperuit, jamdiu vulnerata republica ob nimiam ſuperiorum principum lenitatem. Hæc morum ſeveritas quibuſdam incommoda, pluribus accidit injucunda. Inde illi, dum regnaret, moleſtæ curæ & modica laus. Vita functo ingentes plauſus ac tacita vel ab ipſis æmulis admiratio, quòd non ſibi otium ſed commune quæſiſſet bonum, vidiſſetque illinc denique affuturum, unde abiiſſe videbatur. Rara ab ipſo liberalitas, nunquam tamen non ſolutum virtuti præmium, nec habita neceſſitudinum aut amicitiæ ratio. Quem

1689.

Inn. XI. P. M. moritur, ejuſque laus.

1689. Quem morem magna reipublicæ fœlicitate ipſe primus poſt longum tempus induxit, ut ſacerdotali quammaxime imperio conſentaneum erat. Ingenio cunctator difficiliſque mandandis honoribus, non invidia ſed metu errandi. Nihil privatim, quod non intra virtutum fines; multa publice præclare geſſit, & illud in primis ad poſteritatis memoriam, ad famam nominis, celeberrimum, quòd ejus induſtria ſacrum in Turcas fœdus coaluerit; ejus ingenti pecunia fuſiſque ad Deum lacrymis tantas acceperit vires, ut tum demum teterrimus hoſtis acerbiſſimo vulnere debilitatus, terrori eſſe deſierit. In principem locum Card. Petrus Othobonus Venetus adſcito ſibi octavi Alexandri nomine cooptatus eſt, exacta ætate, annum ſiquidem agens octogeſimum. Verùm vivido mentis robore adhuc par tanto muneri. Initio anni morbo pariter deceſſerat Maria Aloyſia Caroli Hiſpaniæ Regis uxor. Quamquam non defuere, qui veneno, ut ſterilem, inſcio Rege ſublatam ſuſpicarentur; prona ſæpius in deterius fama, ubi conſtare pretium ſceleris videatur. Carolus non ita multò poſt in matrimonium duxit Mariannem e principe Neoburgenſi domo, commendatam ſibi opinione fœcunditatis atque averſo ejus Familiæ ab Gallis animo. Affuere Neoburgi ad nuptiarum celebritatem Leopoldus Imperator, germanaque Sponſæ auguſta conjux Eleonora Magdalena cum

Petrus Card. Othobonus Pontifex Maximus eligitur.

Maria Aloyſia Hiſpaniæ Regina moritur.

Anna Neoburgenſis Carolo Regi nubit.

cum filio Pannoniæ rege Joſepho, inde Auguſtam Vindelicorum progreſſuri, quò Cæſar Octoviralem Conventum indixerat, ut de creando Romanorum Rege inter ſe convenirent. Nam quamvis poſt vexatam atrociter a Gallis Germaniam ei timor deceſſerat, eximiam dignitatem, unde certus ad Imperium gradus, in Delphinum traduci poſſe; non tamen abiecerat ſuſpicionem, ad eam conſpirare Octoviri alicujus ſobolem, & huic majorem Collegii partem adhæſuram, fultam Gallorum ope quibus injucundum erat, ſupremam Imperii auctoritatem diutius manere in Auſtriaca ſtirpe. Itaque dum totius Germaniæ ferveret in iſtos odium; & ipſe armorum fœlicitate moderatique animi fama ſibi omnium benevolentiam conciliaſſet, tenendam occaſionem ratus, de Filio Imperii ſucceſſore deſignando tentatos dudum Octoviros facilè in ſuam ſententiam perduxerat; cùm puero, duodecimum licèt annum obeunti, ſed Pontificis Maximi auctoritate ſoluto ea lege, quæ duodevigeſimum jubet, non amplius ætas impedimento eſſet, quin inter Candidatos reciperetur. Medio decembri coiere, præſentes reliqui, per legatos Miſnienſis ac Brandeburgenſis. De conditionibus deferendi accipiendique tanti muneris actum primò, & quæ jam tum invaluerant pactæ decretæque. Dein IX. Kal. Febr. delectus omnium ſuffragiis, biduo

1689.

Joſephus Auſtriacus Rex Rom. eligitur.

1690. biduo poſt ſolemnibus cæremoniis inauguratur. Auſtriaci Monachium digreſſi, ubi lautiſſime plures dies ab Octoviro Maximiliano recepti ſunt, ineunte martio Viennam rediere, quò Cæſarem ingentes curæ & magna vocabant rerum negotia. Initio in ſpem venerat, Turcas, tot vel recentibus plagis admonitos, ad pacem obtinendam quidpiam oblatis hactenus conditionibus addituros. Nec ab eventu ſpes aberraſſet. Nam Solymanus ſtatim ab exercitu profligato nuntium Viennam legatis remiſerat cum mandatis, ut, ſi poſſent Caniſia Temeſvarioque Albam græcam redimere, ac Tranſylvaniam utrique Imperio vectigalem paciſci, bello finem imponerent. Sed hi comperto, Cæſarianos ſuperioribus tametſi proſperis ad Rhenum expeditionibus plurimùm labefactatos, Turcas verò deleto nuper hoſtium globo, colligere animos incœpiſſe, quidpiam ad priſtinas conditiones addere obſtinate recuſarunt. Quamobrem Cæſar, priuſquam Viennam regrederetur, eos dimitti juſſerat. Triſtes abire viſi; mæſtitiamque vulgus ferebat inductam metu ne nimia ferocitate Regi ſuo male conſuluiſſent; hinc quoque, ſimulata Sulficarii invaletudine, Komaræ ſubſtitiſſe, annuente Cæſare; quòd ſperaret, eos largioribus dicendis pacis conditionibus captaſſe moram. Et longo intervallo oblatæ quidem, quas nuper ab Solymano acce-

Turcarum Legati ab exhibitis pacis conſtabiliendæ conditionibus non recedunt, & quare.

Dimiſſi Komaræ manent.

pe-

perant; ſed repudiatæ, niſi de Tranſylvania penitus deſerenda tranſactum foret. Diu deinde veluti e compoſito non petita nec data invicem diſcedendi facultas; quippe legatis in animo erat, ex imminente armorum fortuna conſilium capere; ſpem Cæſar fovebat, tædio ac ſuperiorum ærumnarum memoria, ab ipſis tandem, quicquid vellet, expreſſum iri. Interea ad urgendum bellum advertit animum. Prima ejus cura ſupplendi exercitus; quem jam antea vincendo imminutum accepta nuper in Servia clades iterum debilitaverat. Principio anni Scythæ firmatis gelu itineribus Sophiam proceſſerant. Ubi auctis Turcarum manu; compertoque, Germanos hiberna diſſolute & lato diviſos ſpatio traducere, ad ipſos curſum direxerant, ex occaſione conſilia ac rem gerendam moderaturi. Straſſer Tribunus cum quinque veteranorum legionibus circa Piſtrinam ad Epiri fines diverſabatur. Illuc Scythæ ſe primùm conferunt, infeſtaque ducunt ſigna. Prope Kaiſenechum difficilis ſaltus ſuperandus erat; quem ſi Germanus præoccupaſſet, nihil ab hoſte periculi, intercluſo itinere, patebat fore. Nec ſegniter Straſſer eò movit tenuitque locum. Quinque legionariorum millibus biniſque popularium, quos Chriſti religione imbutos per ea loca ſubitario delectu collegerat, conſtabat agmen. His copiis velitarem hoſtem, quan-

1690.

Nec abiguntur, quo utrinque conſilio.

Clades Germanorum in Servia.

1690. tuſcumque foret, non aggredi ab ipſoque nimiæ ferocitatis pœnas non exigere; turpe viſum. Itaque e ſaltu egreſſus, per apertam planitiem pergit ire. Nec diu fuit, cùm illum comperit in aciem eductum & pugnæ cupidum. Extemplo concurrunt, alter numero, alte virtute fretus. Sed citò patuit, quàm improvide Germani ſe ſe intuliſſent. Vix inito prælio Indigenarum cohortes ad Thraces divertunt, & Scythæ (explebant cum Turcis hominum decemmillia) hoſti ſe circumfundunt. Is, undique obverſa fronte, quadrato agmine decertabat repellebatque pari ferocia ingruentium vim; telis tamen, quæ ab omni parte accidebant, quaquaverſum confixus, & nullo dato ad reſpirandum ſpatio, ſæpius extrema vi perrumpere Turcarum agmen conatus, repellitur. Viceni vix per tumultum elapſi cladis nuntium attonitis tanta calamitate ſuis retulerunt. Straſſer cum Carolo Hannoveræ Ducis filio, paucique alii vivi capti. Ceteri occidione prope deleti. Undetriginta militaria ſigna, & quatuor campeſtres machinæ in hoſtium poteſtatem venerunt. Horum quoque facta cædes non modica. Sed citò aliorum diſcurrentium turmis ſuppleti, Kaiſenechum invadunt. Duo ibi erant Germanorum millia, qui ſtatim ut cœpta concuti priſcæ munitionis mœnia, pacti vitam & libertatem, oppidum dediderunt. Dum Naiſſum

ſum, Turcis deducentibus, pergunt; iis, caſu 1690.
an conſilio, fit obviam circumcurſantium Scytharum ac perduellium manus; quæ ſubitò adverſus inermes & fruſtra implorantes promiſſi fidem eductis armis, partem ipſorum trucidat, partem in ſervitutem adducit. Tanta priſtinæ fortunæ commutatio Veteranium prolegato illuc attraxerat, diſtracto a belli curis ob afflictam valetudinem Holſatiæ Duce, qui ſummum per ea loca armorum imperium gerebat; nam Starembergius jamdiu diſceſſerat. Ille id primum habuit, colligere ex apertis oppidis milites, iiſque firmare Naiſſum, Pyrotum Bydenamque; Barbaros ita Moravo amne prohibiturus, ne longius populari poſſent; reliqua dimittere. Scythæ, cùm ſuarum non eſſet virium, ea pertentare munita oppida, ſuperato Danubio in Valachiam flexere curſum, quò eoſdem clam vocaverat provinciæ Regulus, ſpe opprimendi ipſorum ope Germanos, qui illic graves civibus hiemabant. Simul iſtos vafer & græcus homo, ut a Scythis mox adventuris caverent, admonuerat; ratus diſceſſum nullo regionis diſcrimine maturaturos, ne ſibi cum longe majoribus copiis dimicandum foret. Nec ſpes ad irritum cecidit. Nam Haislerus quid ſibi a Scythis impenderet periculi certior factus, legiones ex hibernis in Tranſylvaniam contraxerat, veritus non ſolùm hoſtes, ſed & Val-

Eam ſiſtere Veteranius annititur.

T 2 lachos

1690. lachos recentes ſocios, quos aucto, ultraquam convenerant, Germanorum illic hibernantium numero, ab ſe penitus abalienaverat. Hæc Cæſari moleſtiam exhibuerant. Sed longe atrocioribus curis duo funera, quæ ſub Veris initium contigere, ejus animum perculerunt. Michael Abaffius Transylvaniæ Regulus vita deceſſerat per eos dies, confectus morbo atque ægritudine. Conſulari familia Cibinii ortus, Turcis auctoribus, Calvinianiſque adnitentibus, quorum in hæreſi erat, provincialibus Comitiis Vaivoda creatus, Chiminoque Jano, quem Cæſar propoſuerat, petitione dejecto, undetriginta regnavit annos. Vir Imperii moderandi potens & non ignarus; veterator idem, ſed infœlici ſucceſſu, ut plerumque accidit mediis inter potentiores. Animo tamen clam aut palam Turcis perpetuò obſtrictus, ipſorum egit cauſam fovendo Hungaricas ſeditiones, quarum fluctibus & ipſe tandem, uti retulimus, abſorptus fuit. Mortuo Abaffio, ejus filius a Cæſare, ut jampridem promiſerat, in principem locum ſuffectus eſt; reputans illum ob familiæ neceſſitudines clientelaſque facilè ſuæ gentis ſuffragia laturum, & ſibi experientia malorum, quæ verſutum patris ingenium multaverant, obnoxium fore. At Solymanus Tehelium cooptaverat deducendumque attribuerat quindecim Turcarum Scytharumque millibus, quo milite

Abaffii Tranſylvaniæ Reguli mors.

Ejus filius ab Cæſare Tranſylvanis ſucceſſor datus.

Tehelius a Solymano.

Cæ-

Cæſarianorum præſidiis vacuam ſibi provinciam redderet; ceterùm haud dubius inclinatæ in ſe popularium voluntatis, utpote conciliatus frequentiori illic Calvinianorum ſectæ, religionis ſimilitudine; reliquis haud abſimili morum vitæque inſtituto atque in Germanos odio. Anxium dubia Tranſylvanorum fide, & quò inde res proceſſura foret, Cæſarem luctu atque ægritudine cumulavit Lotharingii mors, angina primùm, mox inundante rupti tumoris ſanie, biduo properata, cùm duodequinquaginta vixiſſet annos. Œniponte Viennam citatis itineribus progrediebatur, quò illum ad ſolenne majorum militiæ præfectorum Concilium Levir accerſierat, conſulturus, quomodo tanta ſuſtineri poſſet, quanta impendere videretur, belli moles. Veltium, ad ignobile oppidum prope Lentiam, profectus, extremum diem morte confecit ea pietate, ut ſi extra militiæ ſtrepitum perpetuò divinis meditandis conquirendiſque vacaſſet; ea conſtantia & fortitudine animi, ut ſe bello & periculis aſſuetum mortem nunquam timuiſſe, fidem faceret. Ubi novit adeſſe vitæ diſcrimen, literas ſua manu ad Cæſarem, ad Eleonoram conjugem exaravit; quibus alteri in tutelam dedit filios adhuc impuberes; alteram obſecravit, ut memor qua lege vivitur, ſe e vivis ereptum non lacrymis ſed amore proſequeretur. Dein cum Sacrorum miniſtro, cui arcana confeſſione, quicquid erraverat, aperiebat, de

1690.

Lotharingii obitus & laus.

1690. de re ſolùm divina ſermonem fecit. Vir ſanè memorabilis & bono reipublicæ natus; quo duce fracta primùm ingentibus ruinis Turcarum potentia, quamquam non aliàs major ac periculoſior; recluſumque arcanum: immaniſſimam gentem domari poſſe. Exercuere illum perpetuæ æmulationes & nunquam non comes virtutis invidia. Sed æque ut labore & rerum gerendarum difficultate, ita & gloria cumularunt; victis aliis moderatione animi, aliis facinorum ſplendore; atque utroque tandem conſequutus, ut, cùm arduum quidpiam & conjunctis copiis agendum foret, nemo non ei primas daret, atque imperio concederet. Vindex Germanicæ fœlicitatis, domeſticæ tamen reſtituendæ non ſatis fuit, procul ab avito ſolio ad vitam ingreſſus & fato functus. Clarus proinde uno virtutis, non fortunæ ornamento. Utque ſunt illuſtres magnorum virorum calamitates, vel hoc nomine ſui famam poſteris proditurus. Tanti viri deſiderium affecit adeo Cæſaris animum, ut hauſtum ex Caniſia, munitiſſimo ad Stiriæ fines oppido, per hos ipſos dies fame in ſuam poteſtatem redacto, gaudium propemodum obliteraverit. Hanc aliquot Hungarorum cohortes Comite Budiano duce biennium obſederant, interdixerantque commeatibus. Tandiu tamen ſe ſuſtentaverat, pretio primùm corruptis cuſtodiis ut in frumentaria

Caniſia fame in Cæſaris poteſtatem venit.

ria popularium vehiculatione conniverent. Dein 1690.
diligentius concluſa, victum attenuaverat. Nunc illam tandem extrema laborantem inedia prætor, pactus ſibi ſuæque genti honeſtas conditiones, in hoſtium ditionem dedidit. Sex ibi ac ſexaginta repertæ murales machinæ, bellici apparatus ingens copia. Poſtremo ſuperioris ſeculi anno in Turcarum ſervitutem venerat. Inſequenti æſtate, atque iterum poſt annos quatuor ac ſexaginta a Germanis oppugnata, loci natura (paluſtri ſiquidem jacet ſolo) validiſque cincta propugnaculis ſe tenuit. Hoc rerum ſtatu, de utriuſque gerendi belli ratione Cæſar cum Bojoario, Ludovico, Hermanoque Badenſibus (hunc enim poſt Lotharingii mortem ad militaris præfecturam ſenatus extemplo revocaverat) aliiſque majoribus ducibus conſilium habuit. Ex ipſorum ſententia cetera, ut res commodius ferebat, expediit. At cui alterutra provincia mandanda, eſſet, non parum hæſit. Rhenum Ludovicus Badenſis, Maximilianuſque Octovir petebant. Et nunc quoque æſtuabat Cæſar, pluſne hujus ad auxiliandum facultas, an alterius bello experta virtus, futura ſibi uſui foret. Verùm cùm animo proſpéctaret: cuicumque illic in milites daret imperium, ei neminem ſociorum ſuas copias, ut antea Lotaringio, commiſſurum; maluit, hujuſmodi honore Bojoarium illicere ad exercitum validio-

Cæſar de Germanici Turcicique belli Duce eligendo deliberat.

1690. lidiori ſuorum agmine augendum, conflandumque unum corpus hoſtibus metuendum, & quo quidpiam in eos liceret aggredi. Præſertim cùm in Hungaria Badenſis, ductu auſpicioque ſuo re hactenus bene geſta, fœlicis eventus omen (ut hac mentis præoccupatione vulgus gaudet) ſecum ferre videretur. Paruit ille, quamquam æger minori præfectura nec ignarus, quantum in diſcrimen ſe offerret, imminuto iſthic Cæſaris exercitu; hoſtium, præter opinionem, vehementer aucto. Nam Solymanum Regem, & Aulæ proceres, quorum ea reſpublica in manu erat, accepta ſuperiori anno dira clades irritaverat potius quàm contriverat, illam inconſultæ Rechebi armorum præfecti audaciæ acceptam referentes qui acie congredi cum hoſte prohibitus, hunc recedentem, ipſiſque annonæ viæque difficultatibus ſatis domitum, ultro ad pugnam quæſiſſet, oppoſuiſſetque tyronem veterano militi, dum otiando vinci potuiſſet. Itaque animos haud quaquam deſponderant, ſed frequentibus inter ſe ſermonibus agitabant, quo pacto afflictis rebus medendum foret. Primùm Rechebo, quòd contra Viſirii edictum pugnaſſet, triſti ſed juſto exemplo cervices fractæ. Mox Muſtaphus purpuratorum princeps magiſtratu dejectus, quamquam innoxius plurimumque de ſua gente meritus. Sed e barbarica diſciplina viſum eſt, ſimulato ejus cri-mi-

Boioarium Germanico, Badenſem Turcico bello præficit.

Capta a Solymano conſilia ad urgendum bellum.

mine, civium terrorem fallere; quibus plerumque redit animus, ſi ærumnarum cauſa detegitur ac diſſipatur. Juſſum Agoræ Thraciæ ducere privatam vitam; hæc illum paullo poſt deſeruit confectum dolore atque impatem ægritudini. In ejus locum ſuffectus Muſtaphus Chiuperlius Cydoniæ prætor, quò per ſuperiores tumultus, ad extinguendam alienæ culpæ invidiam, tacitus, ne atrocius divexaretur, honorifico exilio traductus fuerat. Nunc ejus in Aulam reditum conciliaverat quæſita dubiis firmandis rebus undecumque virtus, & Patris Fratriſque Turcico Imperio fauſta nomina; quorum ut hæres gloriæ, & militaris civiliſque ſcientiæ vulgò reputabatur. Is omnium primum habuit, ſupplere exercitum. Quod ne turbas cieret, (averſis a militia terrore populis, ac metu animos irritante) ſpargi per provincias juſſit, quas hoſtes pacis conditiones, ab Othomanici Imperii gloria nimium abhorrentes, dare vellent; & quantùm Germanorum vires attenuaſſet Gallicanum bellum, Sarmatarum diſcordia deſidiaque, Venetorum laſſitudo & non una clades; proinde ſpem adeſſe recuperandi quicquid ereptum fuerat, referendique hoſtibus damni vicem; quam ſane ſpem bellicoſæ genti, ut adhuc hoc nomine Turcæ gloriati ſunt, intempeſtivo pacis deſiderio corrumpendam non eſſe; cùm præſertim nulla unquam ſit quies, tumultuantibus pudo- 1690.

1690. pudore animis, dedecore parta. Tanta ubique in provinciis præcipue a belli ſede remotioribus, ex hac rerum notitia exorta dicitur populorum ſimul indignatio, ſimul ulciſcendi acceptas calamitates fiducia, ut nulla mora faciles ad delectum ſe præbuerint, conſcriptumque militum, quantum e præſenti uſu viſum fuerit. Re militari fæliciter apparata, Camenæco adverſus Polonos, Græciæ nobilioribus urbibus adverſus Venetos milite & commeatu inſtructis, Chiuperlius reliquas copias ducere in Germanos ſtatuit. Fuere equitum quinquaginta millia, in his plures Scythici nominis, peditum triginta; præter quinadena utriuſque gentis Tehelio, ut diximus, in Tranſylvaniam attributa. Aliquot præterea cohortibus armavit ſex triremium multorumque lemborum claſſem, e Ponto Euxino in Danubium inductam ad explicandum ſibi amnem, hoſtibus impediendum. Tehelius raptim & ſine machinis iter præcepit; in opinionem adductus, unam moram, per quam illic Germanos novis legionibus auctum iri non ambigebat, præripere ſibi victoriam poſſe. Valachia peragrata, confragroſis aſperrimiſque jugis, quibus Tranſylvania ab ea dividitur, copias admoverat, cum ſaltum, quà eundum erat, Cæſariano milite & aliqua ſubitaria munitione clauſum reperit. Haislerius enim, ubi ad ſe contendere illum novit, quatuor

Quomodo a Chiuperlio Viſirio digeſta.

Tehelius cum validis Copiis in Tranſylvaniam pergit.

Ei viam Germani occludunt.

tuor ſuæ gentis millia, quot non penitus ener- 1690.
vatis arcium præſidiis collegerat, pluresque provincialium ab Regulo Abaffio tumultuario delectu conſcriptos adverſus æmulum, in ſaltus faucibus locaverat, fretus difficilis natura loci, ubi multitudo nihil adderet virium arcta fronte depugnaturis. Id magnis Tehelium obruit curis, & quid ageret, æſtuabat. Cùm caſu paſtor quidam, aſſuetus armenta ducere per ea loca, ad ipſum deducitur. Rogatus, an alibi ea montium aſperitas daret viam: ſe, ait, non procul inde iniquum ſed pervium callem oſtenſurum, quà expeditus miles traduci poſſet. Lætus ea ſpe, duo equitum millia tribuno tradit, quos hoſtibus, dum à ſe frons impelleretur, a tergo objiceret, jubetque noctu (& pernox fortè luna erat) viam pergere ne pateret hoſtium ſpeculatoribus. Ducti per aſpera denſiſque arboribus occupata juga, & aliquando per rupes in tantam abruptas altitudinem, ut cùm vertigine vacillaret caput, pedibus ire ac trahere loris equos opus fuerit. Venère tandem ad molliores colles, ibique brevi otio inſtaurant vires. Jam Tehelius hoſtem invaſerat, ſæviebatque ab ea parte pugna, cùm trepidus Haislerio nuntius affertur: Turcas, ignotum qua parte egreſſos, a tergo irruere. Locaverat ille Germanicas legiones in acie prima, ubi ſolùm reputaverat manus conſertum iri; in ſubſidiis

Per occultum iter circumventi cum ipſo pugnant.

1690. ſidiis Tranſylvanos, incertus iſtorum fidei ac roboris. Hos proinde ab ea parte jubet, novo diſcriminiſe opponere. At vixdum in conſpectu fuere barbarica ſigna, nulla ignaviæ aut perfidiæ verecundia, fugam arripuerant. Germanos a ſociis deſertos ſubiit illico vitæ deſperatio, quæ tamen furore, ut fit, inflammata, ad pugnam animos efferavit. Jubentur a tergo legionum altera, tres reliquæ a fronte inſiſtere, utrobique duplicatis ordinibus urgere hoſtem, ac dare impetum. Haislerius interim ad tribunos, centurioneſque converſus, non amplius, inquit, obniti ac ſtare gradu ſatis eſt. Eò res devenit, ut una in medio nobis ſit poſita mors aut victoria. Et vincere, niſi ingenti conatu factaque impreſſione, haud potis ſumus; mori deſides non debemus. Proinde miles ubi telum emiſerit, ſtringat enſem illatoque pede exerat, ut in extremo periculo, extremas vires. Hæc ubi dicta, facto cuneo in Turcas erumpunt. Præſertim equitatus ferociter ſe immittens turbare aggreditur primos ordines. Sed illi gradu ſtantes conſtipatique vetabant aciem diſcindi. Et quamquam plura acciperent quàm inferrent vulnera, clades tamen longe gravior accidebat infrequentioribus Germanis; quorum jam Magnum inſtructorem exercitus, Noirchermum tribunum militum, atque omnes prope abſumpſerat minores duces; adeo quiſ-

Pugnatur ingenti cæde.

quiſque deſtinaverat animis vincere aut mori. 1690.
Diu atrociterque pugnatum fuerat; cùm Haiſſlerius, comperto, ſuis laſſitudine vires effluxiſſe; dat ſignum ut qui reliqui erant, in unum coeuntes, ſecum a tergo, ubi hoſtis minori agmine præliabatur, viam ſibi ad Coronam oppidum facerent, quod illinc minus quàm cetera Germanorum inſeſſa præſidiis, diſtabat. Impigre imperatum facere conabantur; ſed undique circumventis, aliis vita, aliis libertas, in his Marchioni Joanni Baptiſtæ Auriæ, adempta eſt. Haiſſlerius cum trecentis equitibus per cædem ac tumultum in apertum ſe proripuerat effuſoque curſu carpebat viam; cùm veſtigio hærentibus Scythis atque identidem jaculantibus, confoſſo equo in eorundem poteſtatem venit. Sibi deinde redemptum pecunia Tehelius aſcivit in ſpem cum ipſo permutandæ Conjugis; quam tamen clientelarum nimis potentem idoneamque ob ferox ingenium inflammandæ Hungaricæ ſeditioni, Cæſar nunc dimittere recuſavit. Parta victoria apertoque in Tranſylvaniam aditu Emericus Cibinium provinciæ caput copias adduxit. Vocati ad deditionem cives, ſuæ ſe poteſtatis non eſſe reſponderunt; Germanorum præſidio firmari portas ac mœnia. Nec diverſa ab reliquis munitis oppidis retulit. Ad ea vi ſubigenda murales deficiebant machinæ; quibus a Temeſvario, Albave

Tebelius Cibinium progreſſus Tranſylvanos ad ſe illicere ſtudet inani eventu.

Digitized by Google

1690. ve græca accipiendis dum trahit moram, Concilium gentis ad ſe, Solymani auctoritate ipſorum principem cooptatum, inaugurandum convenire jubet; ratus proceres armorum pavore, ſi non ex ingenio, morem geſturos. Non tamen, quamquam plurimi in eo Conventu ſuffragium ferant, ultra vicenos paruere. Pars major imperium neglexit, ſuo damno ſatis edocta otioſe ab civibus expectandum belli exitum, qui utri competitorum ſubeſſe debeant, decernat; nec mediocrem fortunam pro incerta melioris ſpe in diſcrimen offerendam. Interea Cæſari funeſtum prælium & commune periculum Abaffius renuntiaverat. Quo ille anxius mandaverat Nigrello prolegato, ut cum omni levi armatura ſeptemque legionariorum millibus, quibus ſuperiorem Pannoniam tutabatur, in Tranſylvaniam properaret; prudenter arbitratus: ea retenta, nihil turbarum ab Hungaris perduellibus timendum eſſe; amiſſa, nihil otii ſperandum. Sed jam illuc ire cum præcipua exercitus parte Badenſis præverterat. Serò & ſub id fere tempus, quo infœliciter ab Haiſlerianis pugnatum eſt, pervenerat Albam græcam, ægre in ſpeciem divulſus ab nova nupta; re vera moleſte ad Turcium bellum appellens animum, quod ſibi imparibus viribus, ac ſecus quàm propoſuerat, gerendum erat. Senſerat autem, egregie munita Alba græca reliquam

Germani adverſus illum legiones ex Hungaria ducunt.

Conſilium gerendi belli a Badenſi propoſitum repudiatur.

quam Serviam deferendam eſſe, collectiſque 1699.
inde præſidiis auctum exercitum, in amnium ripis, quà tranſgredi vellent, hoſtibus opponendum. At contra Cæſar exiſtimaverat, plurium oppidorum objectu conterendas illorum vires, obſidendumque tempus armis idoneum, ne interius penetrare poſſent. Itaque Badenſis, quicquid erat militum extra præſidia, prope Bydenam contraxit; ex occaſione deliberaturus quid facto eſſet opus. Mox ibi uno eodemque fere tempore nuntium accepit, Naiſſum a Chiuperlio oppugnari, Tranſylvaniam ab Tehelio in diſcrimen veniſſe. Cùm utròque vires ad auxiliandum non ſufficerent, de Conſilii ſententia in Tranſylvaniam ire conſtituit. Præterquam enim longe iſta majoris momenti erat, & minori vi conflictata; nulla adversùs Turcarum multitudinem ſpes aderat opitulandi Naiſſo; nec tanti ducebatur ut propterea luctuoſæ periculum pugnæ ſubeundum foret. Firmata ſeptem millium veteranorum præſidio Alba græca, Bydena quoque ac Spenderobi decem utrobique centuriis, cum quinis vicenis, quot reliqua erant, millibus Danubium trajecit. Per Karanſebem oppidum ad ſaltum (portam ferream incolæ vocant) progreſſus, quo ſolùm ex ea parte aperitur in Tranſylvaniam iter: vacuum ab hoſtibus reperit. Quod cum manifeſte ipſorum argueret vel inertiam, ſi ſe tam an-

Badenſis omni exercitu ſecum adducto Tranſylvaniæ opem affert.

1690. anguſto impeditoque loco obijcere pertimuiſſent: vel incuriam, ſi neglexiſsent: tantus inceſſit Germanis eorum contemptus ut pergere maturarent, ſigna collaturi. Vix Albæ Juliæ reficiendis ab longo itinere corporibus duos morati dies, illinc rectà ad Tehelium gradum accelerant. Aberat duo & triginta paſſuum millia prope Cibinium; nunquam iſthinc digreſſus, ubi primùm caſtra munierat, opportuno recipiendis machinis loco, quæ in itinere & non procul erant; auctus interea novis militibus ſibi a Viſirio ſubmiſſis poſt acceptum victoriæ nuntium in ejuſque argumentum aliquot hoſtium ſigna. Quamquam numero Germanos ſuperaret, ſtatim ut comperit illos celeri curſu ad ſe venire, convaſare atque eodem, quo proceſſerant, ſaltu iter in Valachiam præcipere ſuos juſſit. Non adeo tamen properarunt ut ſupervenienbus Germanis impedimentorum pars deſerenda non fuerit, ducentique milites humi ſtrati. Saltus ne longius urgeret, Badenſem cohibuit. Diſſoluto agmine Turcæ ad Viſirium, Scythæ domum rediere, Tehelius cum perduellium manu circa Buchoreſtum, Valachi Reguli ſedem, ſe tenuit. Quæ dum ab ea parte geruntur, Chiuperlius ex altera non ſine ingenti Cæſarianorum pernicie bellum circumtulit. Prima ad eos progredienti ſe obtulit Piroti arx. In ea quatriduo quadringenti Germani tantæ arma-

Inde Tehelius raptim diſcedit.

Viſirius Protum recipit.

matorum multitudini obniti auſi. Liberi tamen ſtrenuitatis merito, cùm ſe dedidiſſent, dimiſſi. Inde Naiſſum promota infeſta ſigna. Tria illic peditum millia, quadringenti equites præſidio erant. Vido Starembergius prolegato, qui ſupremum per ea loca imperium habebat, biduo ante hoſtis adventum eò ſe retulerat. Mœnia priſco more conſtructa præſidiarii roſtratis cinxerant propugnaculis terra compactis, lata foſſa denſiſque vallis protexerant. Eos Chiuperlius ad deditionem vocatos cùm nihil niſi arma cogitantes reperiſſet, ſuorum fretus multitudine atque hoſtium paucitate, urbem compendio oppugnare ſtatuit. Aliquot legiones audacter ſuccedere aperto corpore ad foſſam, ibique terram, ne muralibus jaculis paterent, moliri jubet. Certatim inconditeque accelerantes, humum ſuffodiunt. Qua illecti opportunitate oppidani, & quia contemni videbantur, ferociter in eos irrumpunt, ſeptingentos obtruncant, reliquos nihil propemodum obnixos in fugam vertunt. Chiuperlius ea re monitus, cum quo ſibi milite negotium eſſet, conſilium mutavit. Ducere aggreditur militarem aggerem, quo tectus miles ſe inſinuaret; tormenta expedit; cuniculos inducit ad ſubvertenda mœnia. Multis conſperſus cadaveribus nec ſine mora procedebat agger, nullo ſiquidem intervallo micabant in ipſum jacula, & quid-

1690.

Naiſſum oppugnat & in poteſtatem redigit.

1690. quidpiam ejus identidem diſcerpebant oppidani interdiu noctuque erumpentes non incruenti, ſed longe majori hoſtium clade. Verùm Turcæ affluentes numero nihilo ſecius vallum intra vicenos dies erigunt in foſſæ margine; cuniculos facilè ingenio ſoli, & quia nemo in oppido ejus artis gnarus ſeſe obijciebat, ſub prima propugnacula inducunt. Hoc rerum ſtatu Chiuperlius iterum Starembergium tentare, an periculo admonitus quidpiam ferociæ remiſiſſet cenſeretque deditione prævertere malorum extrema. Nihil præfectum movit agger proxime ductus, nec ad impendentem nitrati vi pulveris ruinam abiecit ſpem oppidi retinendi. Illud repreſſit ardorem ſpiritus novaque ſuggeſſit conſilia, quòd a duobus captivis, in id ſibi a Chiuperlio dimiſſis, comperit, Badenſem, cum exercitu in Tranſylvaniam properantem, Danubium trajeciſſe. Nam deſperatis auxiliis cùm prohibere urbis occaſum non poſſet, neque e re foret, ad eum paucos dies remorandum fortiſſimos, qui adhuc ſupererant, milites neci offerre, ad deditionem inclinavit. Duo millia & quingenti cum omni militari honore ſuaque re domeſtica Albam græcam abire permiſſi, Turcarum agmine, ne ulla in itinere afficerentur injuria, cuſtoditi. Qua tamen haud penitus intacti, ſpoliato armis ab popularium caterva poſtremo agmine, ſed non impune. Quæſtis

ſtis enim violatam fidem Viſirius denos, qui fuerant violandæ auctores, capite damnatos piaculum dedit. Naiſſo in ditionem redacto, armatorum illico decem millia ad explicandum claſſi Danubium, Bydenam præmiſit; quæ non plus quatriduo obnixa eſt. Præſidium, Naiſſi expugnatione territum, accepto libero commeatu, Orſovam traductum non ſine data præproperæ deditionis ignaviæque ſuſpicione, quam qui illic imperium habebant, haud facilè perpurgarunt. Chiuperlius inde Moravum tranſgreſſus, infeſta ſigna Spenderobim ducit. Clauſerant Germani portas nec minacibus aut blandis verbis præbebant aures. Ille tantam ferocitatem adversùs victorem exercitum puniendam arbitratus, cingi oppidum corona & ſcalis admotis ſuperſcandi imperavit. Atrox ac diuturnum certamen fuit, extrema virium exerentibus præſidiariis; Turcis, impellente Viſirio, extremos conatus. Hi tandem, inundante multitudine, in muros evadunt, pulſoſque oppidanos veſtigiis proſequuntur. Ad anguſtias viarum novum initur prælium, nec finem accepit, niſi Germanis ad unum omnibus occidione occiſis, magna pariter Barbarorum ſtrage. Recta illinc Viſirius Albam græcam, quam Byzantio diſcedens in animo habuerat, copias ducit, in ejuſque conſpectu Kal. Octobr. ſtatuit ſigna. Inerant ibi, ut enarravimus, veteranorum ad

1690.

Bydenam obtinet.

Spenderobim expugnat.

Albam græcam oppugnandam aggreditur.

 ſep-

1690. ſeptem millia, quæ nunc aucta Naiſſi præſidiariis decem prope millium ſummam explebant, aderantque inter majores præfectos Aſpremontius Archintuſque Comites, inſtructores exercitus. Summum gerebat imperium Carolus Eugenius Croiæ Dux. Commeatuum ac bellici apparatus tantum aderat, quantum vel ad longam obſtinatamque obſidionem ſuperfuturum foret. At mœnia, qua parte ad Auſtrum ariete biennio ante decuſſa fuerant, fatali quadam negligentia adhuc jacebant. Duplex dumtaxat vallum claudebat patentia ruinis, protectum gemina ſemilunari parma ceſpite compacta. Quo pariter munimenti genere promuralis ubique foſſa, recenti opere, identidem præſæpiebatur. Oppidum tot fultum viribus eaque anni tempeſtate oppugnandum aggredi, plenum inconſultæ temeritatis & a Viſirii militari ſcientia nimis alienum videbatur; præſertim cùm Savus Danubiuſque expeditum Germanis ad opem ferendam præberet aditum. Nam claſſis Turcica Orſovam prætergredi haud potis fuerat, verita ſibi extremam perniciem ex immenſa jaculorum procella, quæ diſpoſitis ibi & in inſulæ, medio e flumine exadverſum ſurgentis, ripa machinis nullo impedimento irruptura erat, ſi ultra navigare conniteretur. Nihil hæc tamen Chiuperlium, ut facinore abſtineret, deterruere; fretum ſeu ſuorum militum numero, ſeu Ger-

Germanorum in Tranſylvaniam diſceſſu deſperataque proinde obſeſſis ope, ſeu occulto aliquo telo, quod ab eo comparatum, non vana ex ipſo eventu commota ſuſpicio eſt. Caſtra metatus, vineas contra urbis partem ſuperiori oppugnatione mœnibus nudatam agere inſtituit. Fortè illic manebant adhuc ſuburbiorum ruinæ, quæ non parum a muralibus tormentis immunes reddebant operas, celerius idcirco, ſed negligentius aggerem promoventes. In eas oppidani, capta occaſione, ingenti manu egreſſi primos obtruncant, reliquos fœda fuga uſque ad caſtrenſe vallum protrudunt facta ſeptingentorum ſtrage æquatoque ubique ſolo, vix uno aut altero ſuorum deſiderato. Viſirius ea clade efferatus, non amplius inſtaurari vineas, ſed aperto corpore in utramque invehi ſemilunarem munitionem juſſit, quò prius humo tecti ſe ſe admovebant. Duplex agmen, quod ſubſidiariæ legiones proſequebantur, poſtridie mane illuc adductum, temerario in ſpeciem conſilio, niſi quid arcani ſubeſſet. Siquidem infeſtum majóribus minutiſque telis, quæ frequentiſſima intorquebantur, longum ſpatium ſuperandum fuit, nec ſine atrociſſima irruentium clade ſuperatum. Ceterùm nullum interiùs datum perfidiæ ſignum; nec magni molimenti fuit Barbaris ſupergredi loricam humili ſurgentem vallo, non diuturna tamen victoria. Nam poſtridie regreſ-

1690.

Oppugnatio deſcribitur.

1690. regreſſi oppidani, Turcas vice ſua loco depulere. Jam prope Chiuperlio proſperi ſucceſſus concidebat ſpes, nullo inteſtino tumultu juvante facinus, & foris ob præſidii ſæpius erumpentis ferociam lento vinearum progreſſu; cum repentè horribilis caſus oppidum illi in poteſtatem dedit. Magnum ſulphurati pulveris acervum ſervabat turris in arce media. Is concepta flamma terribili fragore exarſit, nulloque temporis intervallo quicquid ejus non uno in loco ad tormentorum uſum alibi condebatur, ignem evomuit. Veſano ictu diſcuſſæ propiores ædes, iiſque diſſolutis obruti mortalium plures, alii ſaxis dilacerati. Cunctos occupaverat gemitus, tumultus, terror; tenebatque incertos, quò irent, quid agerent, quo conſilio ſe ſe expedirent. Attonitos excuſſit pugnantium clamor ad mœnia exortus. Thraces ex horrendo furentis pulveris ac præcipitantium domorum ſtrepitu hoſtium trepidationem conjectantes, eamque ſuam eſſe occaſionem rati, in aciem prodierant, ſemilunareſque adorti munitiones, unde paullo ante dejecti fugatique fuerant, vix ullam a præſidiariis, tanta oppidi ac ſuorum ſtrage prope ſtupidis, moram habuerant. Inde in foſſam dilapſi, diſſipataque triplici vallorum ſepe, qua circumdatus priſcis mœnium ruinis agger communiebatur, in altum manibus pedibuſque con-

Dubiæ oppugnationis eventum horribilis caſus aut perfidia, Turcis fauſtum reddit.

Oppidum atroci pugna ſuperatum Turcæ ingrediuntur.

conniti atque urgere Germanos, qui tandem excuſſo terrore illic ad ſigna convenerant. Pugna adverſus irrumpentes conſerta obſtinate primùm crudeſcebat, præſidiariis deſperatione alienataque a ſenſibus mente vires acuente; Barbaros irritante pudore, quòd ſibi in tanta tumultuantis urbis clade cunctatio inferretur. Ceſſere illi denique horum extrema vi conantium numero ac pertinaciæ. Tunc omnia cædes obtinuit; Germanis, quotquot defecit fugiendi tempus aut ratio, occidione occiſis. Fuere militum veteranorum ad ſex millia; redditaque ipſis clades par prope illatæ illic Thracibus ante duos annos. Septingenti cum Croyæ Duce, Archinro, atque Aſpremontio per portam Savo proximam, cymbis traducti in adverſam ripam, neci ſe ſubtraxerunt. Inde Murſam pedibus contendere, ſecum in itinere abductis Petri Varadini, Valkovari, aliorumque per ea locà oppidorum præſidiis. Incenſi ubique nitrati pulveris dirum facinus ad prodendam Turcis urbem patratum fuiſſe, conſtans opinio fuit. Non enim flamma pervadere in turris penetrale poterat ollarum vi, nec inde erumpere in tot diverſos pulveri ſervando ſpecus. Cui verò aſcribendum eſſet, incertum manſit, vel ſublatis immenſa cladé perfidiæ teſtibus, vel neglecta demum difficili inquiſitione, poſtquam occuparunt animos majores curæ.

1690.

Atque inſigni ſtrage deſæviunt.

An dolus interceſſerit, diſſeritur.

1690. curæ. In ſuſpicionem venit Andreas Cornelius Cretenſis, militarium illic operum architectus, qui caſu an arte fuga non ſe ſubripuit; eodemque a Turcis, quo adhuc a Cæſarianis, habitus loco, decus ac benevolentiam ſcelere meruiſſe viſus eſt. Hanc autem adverſam famam duos poſt annos extinxit, clam ad Germanos ſe recipiens, quamquam infœlici eventu, prope Illocum a Turcis detentus coactuſque redire Albam græcam eo ipſo, quo prius, functurus munere. Archintus atque Aſpremontius negligentiæ in exploranda conjuratione redarguti, dicta apud judices cauſa, ille prorſus, alter vix tandem ſe perpurgarunt. In Croyæ Ducem ne hoc quidem nomine quæſitum eſt, ſui fama tutum aut recenti merito. Optimo ſiquidem uſus conſilio, Murſæ cum ea, quam diximus, militum manu ſe concluſerat, hoſti, cui promptæ rates ad traijciendum non erant, Hungariam tum non aliunde perviam prohibiturus. Timor, ne ſecus accideret poſtquam de amiſſa Alba græca auditum eſt, Cæſarem ſollicitaverat, conſcium, aperta adhuc ruinis munitiora Hungariæ oppida nullam invadentibus obijcere poſſe moram; dolebatque (ut plerumque metus in extrema fertur) ijs nondum inſtauratis, vixdum quidpiam adverſi contingeret, nil minus, quàm de Auſtriæ periculo cogitandum. Nec erat, qui ſibi non proponeret Chiuper-

Germani Murſam præſidio firmant.

perſium, quamquam inſtabat hyems, Budam extemplo exercitum traducturum, atque illinc Germaniæ bellum vaſtitatemque oſtentaturum. Hanc ei mentem Superi ademerunt, non ultra Albam græcam progreſſo, metu ne incommoda expeditione partam ſibi gloriam in diſcrimen adduceret. Igitur Albæ denis impoſitis armatorum millibus, auctis Temeſvarii Varadinique præſidiis, reliquis copiis in hiberna diſtributis, juſſoque Boſniæ prætore, cum ſuorum provincialium globo Murſam oppugnare, unde ſibi primo quoque tempore via in Hungariam pateret, Byzantium rediit. Prætor ſub exitum octobris quindecim millium agmen & aliquot machinas Murſæ admovit. Oppido mille quingenti Germani præſidio erant; & Comes Budianus (ſic enim Cæſar mandaverat) ingenti ſtudio Hungaricas copias diligenti delectu ad ſigna vocabat, opem obſeſſis, ubi ſors arrideret, laturus. Quamobrem Turcæ, ne illi tempus ad ferendam ſuppeteret, properare vallum, ſubire mœnia, machinas expedire, urgere oppugnationem accelerabant; ſed incauti inordinatique, quippe qui nihil a tergo, parum a fronte hoſtem timerent. Quod ubi vidit Croyæ Dux, immiſſis trecentis præſidiariis, totidem Turcarum neci dedit delevitque propriorem aggerem. Id Barbaris curam ac ſtudium auxit, non minuit animos. Nulla mora inſtaurant opus,

1690.

Eam Turcæ invadunt.

1690. opus, quintoque die vineis ad foſſam ductis, in ejus margine aliquot ſtatuunt arietes, non ſatis validæ ſubſtructionis muros laceraturos. Patebat, ſi, lorica tandem hiante, vim intuliſſent, haud quaquam repulſum iri; cùm non haberent oppidani, quos obſtinato fatigatis certamine ſufficerent; & hoſtes viciſſim recenti ſubmiſſo milite obfirmare potuiſſent pugnam. Quare præfectus, quandoquidem armis non valeret, arte vincere, & felici quidem eventu, conatus eſt. Duo transfugæ ad ipſum retulerant, pervagatum caſtra rumorem confirmatumque deſertorum dicto: mox plures Hungarorum legiones obſeſſis auxilium adducturas; quamobrem Turcas, ne illæ in tempore adeſſent, urgere opera ac feſtinare. Croyus ex hac fama conſilium capit, clam prima noctis vigilia emittendi per celeberrimum ſublicium pontem, illic Danubio contiguiſque ſtagnis impoſitum, præſidii partem, quæ paullum progreſſa, non ita multo poſt rediret leni primùm, veluti longius aſſurgente, plurimo deinde tubarum tympanorumque ſtrepitu, ut magni adventantis exercitus ſpeciem exhiberet. Tertia vigilia invaluit clangor conterruitque adeo barbarici exercitus ducem, auxilii opinione jam antea oppletum, nec ad cetera ſuæ gentis in re bellica ingenia ſatis callidum, ut illico milites convaſare, viamque regredi, quin & ma-

machinas gravioraque impedimenta deſeri juſſerit, ne moram facerent. Molientium fragor ſuſpenſos oppidanos diu tenuit, veritos hoſtem ad irruendum in foſſam ſe comparare. Nec prius ea poſita ſuſpicio eſt, quàm duo milites præmio inducti, quid iſtud rei eſſet, ad explorandum egreſſi, retulerint: capita vinearum primoreſque munitiones milite vacuas ſe conſpexiſſe, ac ſuboſcurum ſtrepitum, ſenſim recedentem, exaudiri. Dies deinde certum reddidit: Turcas, omiſſa oppugnatione, fugientium prope in morem ſe referentes iter properare. Primus hoc gaudio Cæſarem impertire voluit Croyæ Dux, confeſtim citatis equis Viennam profectus. Angebat Leopoldum cum omni civitate præter modum ſolicitudo, quid barbarorum exercitu actum foret, & an uſpiam vi aut anni tempore fuiſſet ab itinere aliave re gerenda cohibitus. Ubi audiit, Murſa repulſum, & ſibi dari ſpatium per hyemem res firmandi, non parum ſuſceptæ ærumnæ dolorem leniit. Et quamquam Lippa ad Tranſylvaniæ fines, prius tamen bellicis tormentis exarmata atque incolumi præſidio, per hos ipſos dies ſe dedediſſet Temeſvarii prætori, illuc infeſtis ſignis progreſſo; non tamen Tranſylvaniæ timuit, fretus Badenſis militari virtute, ejuſque exercitus robore; ratuſque non prius illinc diſceſſurum traducturumque copiarum partem in ſu- 1690.

Hinc diſcuſſo timore ingens Viennæ lætitia.

Lippa a Germanis deſeritur.

1690. periorem Pannoniam, ubi eas hyemare deſtinatum fuerat, quàm omne periculum propulſaſſet. Ex eo magis, & quàm vehementer dolebàt, quòd videret in ſe prope unum verſa Scytharum & Thracum arma, Sarmatis jam nimis a bellò abhorrentibus. Hos & Regem ut ad priſtinam virtutem ſervandaſque fœderis leges incenderet, ſub ipſum comitiorum tempus illexerat, promiſſis demum Jacobo ipſius Regis filio Eliſabetæ Palatinæ nuptiis, quæ per autumnum coaluere; datoque diplomate, quo ſuam ei genti fidem obſtrinxit (nam antea nonniſi privatis literis) Valachiam Moldaviamque, ſi quando illas armis ſubigerent, ipſorum fore; omnique ſe in eam oram abdicavit jure. Privatim ſimul ſpem Regi dedit, quantùm officiis apud clientes amicoſque conniti poſſet, utramque provinciam Concilii auctoritate Jacobo fiduciariam commiſſum iri; quo luculentius ſponſæ & familiæ decus, non exiguo auctus imperio, tueri poſſet. Non enim Volavenſis Ducatus, quem ſibi quingentis florenorum millibus modò in Sileſia comparabat, tanti eſſe videbatur. Hac illectus Cæſaris benignitate Rex ad urgendum bellum ſe confirmaverat; quod utique opportunum accidit. Cùm enim per eos dies Comitia peragerentur, in iiſque legatorum plures ad pacem inclinarent; ille argumentis officiiſque obtinuit, ut bel-

Poloni ad bellū incenduntur, & qua ratione.

Annitente Joanne Rege.

bellum e ſacra fœderis lege ad ſociorum voluntatem protraherent, decernerentque in militum ſtipendium pecuniam, jam per triennium compreſſam; hiberna quoque ad arcendos præda hoſtes in regni finibus conſtituerent. Et cùm legati ab Scytharum Regulo Viſirioque oblatum veniſſent honeſtas reconciliandæ amicitiæ conditiones, ſi ſeorſum ab reliquis fœderatis paciſci vellent, ſua apud Senatum auctoritate tenuit, ut re infecta repudiataque dimitterentur. At nihilo ſecius bellici expediendi apparatus, quippe diſſentientibus opinione animis, ſegnis hoc quoque anno, ipſo licèt ſedulò annitente, habita cura. Nec prius acceleratus, quàm Scythæ intima regni depopulati, pigreſcentibus pudore ac damno torporem excuſſerint. Sextili ineunte Kamenæco, trito jam ſæpius itinere, in finitimas provincias digreſſi, collecta omnis generis præda, quam ſecum poſſent traducere, ignem reliquis vaſtitatemque intulerant. Ad primam Barbarorum incurſionem validus Polonorùm globus e vicinis hibernis moverat, ut pugnando reprimeret prædabundos. Illi præda jam graves impeditiquê ſe referebant, ea contenti, ſi ſalvam ducerent. Verùm cùm hoſtis recentibus equis viam præciperet ac tergo prope inſtaret, in editum collem ſe proripientes ſtatuerant, ſubeuntem propellere, atque interim convehendis manubiis tem-

1690.

Quo auctore Senatus cum Turcis pacem ſeorſum a Fœderatis recuſat.

Scythæ Sarmatiam depopulantur.

Digitized by Google

1690. tempus occupare. Eò progreſſi, Polonos ex alto conſpiciunt inordinatos effuſoque ſuccedentes curſu; quocirca mutata vice irrumpunt ipſi; nullo negotio incompoſitos fundunt fugantque; ſeptemdecim turmas, dum reliquæ præoccupant viam, treſque in iis tribunos militum obtruncant. Dein Sarmatiam interius quàm antea pervagati, relatam dudum prædàm uberiore cumularunt. Poloni ſuorum clade experrecti ad ſigna tandem coiere, non plus tamen quàm duodecim peditum, octo levis armaturæ equitum millia, bismille quadringenti ſagittariorum. Cum hoc exercitu, non expectatis Lithuanis, nam ſeptembre ineunte haud amplius cunctandum monebat autumnus, ad Naparim contendunt. Rex eo militum numero atque anni tempore in incertam expeditionem ducem ſe dare noluit. Commonefecit autem armorum præfectum, nihil Reipublicæ fore utilius Valachia Moldaviaqne in ejus poteſtatem redactis. Rem ille complexus, Naparim tranſmittit nullo impeditus hoſtili exercitu; quo pariter, vacuam nactus Moldaviam, Jaſſium copias ducere aggreditur. At milites, vixdum parum progreſſi, tumultuari, agmen ſiſtere, ac vociferari ſe longius ab eo flumine, unde ſibi commeatus, non proceſſuros; memores ob annonæ cibique inopiam quanta illic ſuperioribus annis perculſi fuiſſent calamitate. Nullum imperium tanti fuit, ut eos vinceret atque

Proſpere cum Polonis pugnát.

Qui tandem collecto exercitu iter in Moldaviam ineunt.

Oborta militum ſeditione recedunt.

atque a propoſito dimoveret : invicta multitudine, ſi ſe reſpiciat. Quapropter renuentibus imperator ceſſit, & cùm aliud non liceret, aliquod ſaltem munire propinquum oppidum ſtatuit, unde commodius primo Vere conſilium Regis explicari poſſet. Viſa in id Socidava opportuna. Eò ſpeculatum miſſa equitum ala an faceret deditionis ſpem, deſertam a civibus reperit. Firmat proinde octingentorum præſidio ac ſemeſtri commeatu, romana pecunia comparato. Niecmagem quoque non longe poſitum ad Tranſylvaniæ fines occupat, quà præſidiariis in omnem fortunæ eventum ad Cæſarianorum arces pateret aditus. Ipſe copias, remenſa via, in hiberna deduxit. Hæc perexigui ſanè momenti ad barbarici belli ſummam. Minus tamen hoc anno contulere Moſchi, ſuorum Principum diſcordiis penitus implicati. Fædor magnus ejus gentis Dux immatura morte pridem deceſſerat ſine liberis. Duo illi erant fratres Joannes natu major, eadem, ac ipſe, genitus matre; atque e ſecundis Alexii patris nuptiis Petrus; quem licèt decimum nondum ſuperaſſet annum, ſucceſſorem teſtamento ſibi delegerat; quippe alter ob tardum ingenium imbecilla eſſe mente atque impar viſus. Imperii ac puerilis ætatis, quoad ille pubeſceret cum delecto procerum Conſilio moderatrix data Sophia germana ſoror, magni animi atque ingenii

1690.

Aliquot prius oppidis occupatis.

Moſchorum interſe diſcordiæ cauſæque narrantur.

Quibus artibus & unde enutrita.

1690. nii fœmina. Hæc quo pacto, exeunte ex ephebis Petro, auctoritatem retineret, multa ſecum animo volutaverat; diuque fluctuata, cùm nihil a minore fratre, quem excelſæ indolis noverat, ſibi ſperandum crederet, in eam tandem ſententiam venerat, ut huic Joannem, quem penitus obnoxium habitura erat, conſortem Imperii dari conniteretur. Ejus proinde cauſam apud Senatum egit obtinuitque; miſertum Juvenis in ordinem fraterna injuria coacti, cui uni gentis more regnandum fuiſſet. Rem difficilem, biceps imperium, difficiliorem fecerunt procerum ſtudia in alterutrum inclinata, prout cuique ex altero ſpes aut gratia; curabantque, illum potentia creſcere, a quo ſe augendos opperiebantur. Sophia prætorianos milites, qui duodevicenis conſtabant millibus, Joanni conciliaverat; Petro dynaſtarum plures, ſuamque præſertim Natalia mater Nariſchinam familiam, quæ apud cives plurima florebat gratia atque auctoritate. Dum ita ingenti animorum motu ac tacitis concertationibus æſtuat Aula; Sophia pugnæ pertæſa, illecto aſcitoque in ſuas partes Baſilio Gallicino, illuſtri inter ſuos genere ac magni nominis, de Petro necando conjuravit. Condicto ſexcentis prætorianis die, quo, diverſa cauſati, in ſacras Sanctiſſimæ Trinitati Monachorum ædes, eaſdemque propugnaculis munitas, Mo-

Eorumdem exitus.

Conjuratio in Petrum Magnum Ducem.

Moſcua non longe diſtantes, peruaderent. Eò 1690.
ſiquidem conſanguinei inſidias odorati, Petrum dimiſerant. Duo interea milites conterriti facinoris atrocitate, rem clam renuntiando, irritam reddidere. Facta ſiquidem popularium manu advocatiſque peregrinis legionibus, quas prætorianis æmulas, firmius ſibi præſidium, Petri auus paterque conſcripſerant, non ſine ingenti eorumdem prætorianorum cæde conjuratio celeriter extincta eſt. Sophia clauſtro ſacrarum Deo Virginum concluſa; Gallicinus duro in Siberiam provinciam exilio multatus, ne gravior ipſorum pœna turbas aleret. Necati plures vario ſæviſſimoque ſupplicii genere, publicataque bona. Joanni vix tantùm non ſpecie tenus relictum Principis nomen. Habitæ deinde per reliquum anni reorum quæſtiones averterunt animos ab Turcici belli curis. Contrà Veneti in illud eò alacrius intenderant ſtudium atque operam, quò in ſpem venerant, validam accepturos opem a Pontifice Maximo cive ſuo; & hic ſpem haudquaquam fefellerat. Nam præter illius Imperii Sacerdotiorum decumas, ingentem ipſis contraxerat pecuniam, Camaldulenſium Cœnobii, quod ad Carceres nuncupant, ditiſſimis fundis pretio addictis; ſubmiſeratque mille quadringentos milites cum quinque Romanis, binis Genuenſium quinqueremibus, tribuſque conſtratis navibus, apertis

Quo pacto compreſſa.

Quorumque damno expiata.

Alexander VIII P. M. Venetis auxiliatur.

1690. quinque ad tranſvehendam legionem & commeatus. Ejus quoque auctoritate Melitenſes octo roſtratæ, quatuor onerariæ cum octogenis alba ſignatis cruce, ſexque armatorum centuriis ad eos acceſſerant. Jamdiu terra marique obſidebant Epidaurum Limeram, fame domituri. Verùm per hyemem diſperſis quandoque procella ſtativis navibus, capto tempore furtim a proximis inſulis illuc irrepſerat Turcarum aliquod navigium, invectoque frumento annonam levaſſe reputabatur. Quin & inceſſerat rumor, idcirco duodecim bellicas naves, ad propinquam Melen in anchoris ſtare, eò, tempeſtate oborta, quando nulla hoſtium navis furentibus undis reſiſtere in ſtatione atque iter obſidere poſſet, trajecturas, poſituraſque extra diſcrimen oppidum refectum milite atque alimentis. Id temerarium potius quàm audax videri poterat cogitantibus, haud illinc procul excubare Venetorum claſſem, nec mare, præcipitante jam hyeme, illam amplius quin navigaret, prohibiturum. Attamen opinio erat, nihil non ad opem ferendam auſurum maris præfectum, veritum Viſirii atroces minas, niſi Epidauro caveret; elatumque proſperitate, qua duas per eos dies oppreſſerat hoſtium naves. Has ſub Solis occaſum procul viſas, cùm noctu quoque ſe proderent prætoria lampade, denis, quot ſecum habebat, per tenebras circum-

Quibus duæ pereunt bellicæ naves.

cum-

cumvenit. Prima luce Venetæ jaculis undique lacerari cœptæ, ferociter pugnando Thracias repulere, quoad altera concepto igne correpta eſt; altera, ubi majoris machinæ confoſſus telo cecidit Alexander Valerius proprætore, cujus plurimùm bellica virtute ad pugnam duraverat, in hoſtium poteſtatem venit, non ſine Marci Piſauri, claſſis majorum navium præfecti, culpa, qui ex adverſa Peloponneſi ora comperto ſuorum diſcrimine juſſuſque ab Cornelio imperatore periclitantibus opem ferre, ſerò naves molitus, ſenatuſconſulto negligentiæ pœnas carcere luit. Quæ dum ita ſe haberent, Cornelius haud amplius, quin Epidaurum invaderet, ſuperſedendum ſtatuit. Ex hibernis educto exercitu caſtra e regione oppidi in continenti locat. Inde protecto clypeis corpore a pyroſcorpionum telis, per pontem cohortes aliquot immiſſæ, quæ adducta ſecum materia (nullum quippe nuda rupes ſuppetere videbatur) prope ſuburbii mœnia ſe communirent. Dum aggerem ſtruunt, fit oppidanorum in eas impetus; & cominus gladiis, ex alto ſaxis teliſque diſcerptæ, ducentis ſuorum humi relictis, totidem vulneratis, fugam arripere coactæ ſunt. Prope pontis aditum continuere gradum, prohibitæ primùm ultra progredi ab ſubſidiario agmine, pontem ipſum jam antea ingreſſo; dein ducum voce partim in-

1690.

Epidaurum Limeram invadunt.

Varii ejus oppugnationis eventus.

1690. crepantium , partim ſuadentium , congeſtiſque ibi lanæ terræque ſaccis aliquo munimento ſe concluſerunt . Non tamen ita , ut muralium tormentorum jaculis non paterent aut auderent vallum ad muros ducere . Quare Cornelius infeſtum locum deſerendum , quin & ad lentam obſidionem redeundum cenſuit . Huic opinioni Gallianus armorum præfectus diu multumque adverſatus fuerat, exaggerata mœnium præſidiique imbecillitate . Quamquam fruſtra contendiſset , foſsam audacter ſubeundam eſse , locandas machinas , muriſque minitandum; oſtendiſsetque ſpem : Barbaros vixdum Venetis quidpiam rediiſse animorum conſpicerent, ſe dedituros: fecerat tamen viri auctoritas, ut Cornelius non ſtatim ſuum recedendi conſilium exequeretur . Interea auxiliarium copiis aucto exercitu, captoque e Turcarum ſepulcris, quæ prope ſuburbii muros effoſsa viſebantur , argumento : poſse illic excitando vallo ſolum proſcindi : in Galliani tandem ſententiam animum inclinavit: Nec inani ſucceſsu. Nam per noctem illuc progreſſi ac facili opere terram moliti, ſtationem opportuno loco ad verberandos quatuor majoribus tormentis muros firmarunt , nullo ab oppidanis impedimento , quippe quos ad erumpen-

Quos demum facta Venetis deditio ſequitur.

dum jam tandem robur atque animus deficiebant . Edita humilioris loricæ ſtrage , prætor non diu poſt de tradendo Venetis oppido agitare

Digitized by Google

tare cœpit. Conventum, ut liberi adductaque ſecum re familiari in Cretam, qui ſolum mutare vellent, traducerentur. Quotquot ibi erant Turcarum, diſceſſere, trecenti armati, reliqua (nongenti fuere) imbellis turba. Repertæ octo ſupra ſeptuaginta murales machinæ, commeatuum bellicique apparatus parum. Ita penitus expedita barbarico jugo Peloponneſo, Cornelius, ubi reliquum æſtatis traducendum foret, conſuluit majores duces. Cunctis, quam ipſe afferebat, verior viſa ſententia eſt: ſatis videlicet in Græcia Venetiis eſſe domitæ Peloponneſi, quæ obiectu ſuo Thracias naves ab Adriatico ſinu; & ſive circumfuſa mari, ſive Iſthmi faucibus montium aſperitate clauſis, ab ſe hoſtium impetus arcere poſſet. Ceteras illic continentis oras, utpote apertas, nullum momentum facere. Duas nobiliores inſulas Eubœam & Cretam, tametſi non imperviæ præſentibus forent copiis, plus Reipublicæ diſpendii ac ſolicitudinis, quàm roboris ſecuritatiſque allaturas; Thrace nunquam niſi iiſdem, quas in conſpectu haberet, recuperatis quieturo; & maritimis expeditionibus duplici terra marique apparatu ærarium exhaurientibus; nec ad Italiæ tutelam tanti, ut antea, pretii Cretam eſſe, capta Peloponneſo. Contra per Dalmatiam Epyrumque dilatari poſſe Imperii fines tenuiori ſumptu, non diſtracta ſcilicet in claſſem pecunia; & facilio-

1690.

Eorum præcipua in Dalmatiam aucta copiæ, & quo conſilio,

1690. ciliori ſucceſſu ob popularium ingenium in Venetos inclinatum. Plus autem utilitatis dignitatiſque ex hac veluti ſuburbana provincia Reipublicæ acceſſurum; minus Turcis ad eam in extrema ampliſſimi regni parte repetendam, irritamenti. Itaque luſtrato exercitu, bis mille & quadringentis peditibus equitibuſque ſexcentis ad Iſthmi cuſtodiam relictis; duodecim bellicis navibus, duabus incendiariis Danieli Delphino ipſarum præfecto attributis, quibus ab Turcarum claſſe Peloponneſi littora & mare circùm expediret; ipſe cum quinqueremibus hepteribuſque & pluribus onerariis quinque equitum, ſeptuaginta peditum centurias in Adriaticum ſinum traduxit. Vix illum ingreſſus tenuit ad Cæciam Aulonis litus. Parvum oppidum Aulon ſedet fertili planoque ſolo, vix non mare ſubiens, turribus muroque cinctum exigui operis. Tria illinc paſſuum millia Canina arcis in ſpeciem vico ſupereminet non ignobili. Ad hæc oppugnanda Veneti in proximum continentem deſcendunt; illinc quinqueremium jaculis diſſipata hoſtium turba, quæ ubi claſſem propinquantem viderat, deſcenſum prohibitura, ad mare e vicinia convenerat. Pars Caninam petunt, pars ad Turcas in circumpoſitis collibus ſeſe oſtentantes iter arripit. Hi verò ad primum incurſum conjectumque telorum longius intra nemora pedem referunt. Canina unum

Aulonem aggrediuntur, & facinus deſcribitur.

unum non ultra diem Venetos repulit, aliqua tantùm injecta mora e ſuburbii ædibus, unde Turcæ jaculabantur non ſine equitis Giannettines Melitenſis legionis præfecti, Nicolai Borrii inſtructoris exercitus, & centum gregariorum cæde; ſauciis pluribus, & ſuperioris ordinis Aloyſio Sagredo Morovilloque ejuſdem legionis protribuno. Vico ſuperato, caſtelli mœnia ſuffodi cœpta. Quo viſo Barbari, accepta libere abeundi venia, portas aperuerunt. Aulonenſes poſtridie ad deditionem vocati, polliciti que eadem nocte ſe deliberaturos, tacito agmine oppidum deſeruere. Exercitu in naves impoſito Cornelius Dyrrachium nobile emporium ſeptuaginta illinc paſſuum millibus navigavit. Hujus periculo Turcæ longius exciti, pedites equiteſque accurrerant ingenti numero ac deſcenſuris minitabantur; quin & procella vetabat litus. E re proinde non viſum, facinus pertentare, cùm præſertim jam ſeneſceret autumnus, & Auxiliaribus redeundum ad ſuos foret, nimiùm longis navibus infenſa hyeme. Iis digredientibus Veneti Aulonem repetunt, ubi per octo dies Cornelius febri conflictatus poſtremum confecit diem maximo ſuorum luctu, quorum animos ſibi conciliaverat blandis moribus, militari virtute, & rebus geſtis; nunc novo rei gerendæ conſilio magnam in ſpem erexerat. In Dalmatia vix quidpiam hoc anno me-

1690.

Deſertam a Turcis occupant.

Dyrrachium invadendum pergunt receduntque.

Cornelius Prætor moritur.

1690. memorabile patratum eſt. Principio Veris Chulmiæ, quam nunc Herzegovinam dicunt, prætor cum ingenti popularium manu adversùs Niſſichios Scodri montis, quem modò nigrum vocant, incolas, ab Turcis in Venetorum partes digreſſos movit. Hi e villarum diro incendio moniti prætorem hoſtiliter ad ſe progredi, facto mille armatorum globo, viam anguſto in ſaltu obſederunt. At ubi illum vident inordinatum ducere agmen interjecto peditibus equitatu, continuò erumpentes ac ter jaculati in fugam conſternarunt, illata trecentis nece. Prætor dum pedibus ſibi conſulit, occurrit latronum catervæ, quos cùm nec vincere nec placare potuiſſet, vinctus Venetis traditur. Per æſtatem intra Turcarum fines a Dalmatis procurſum exigua præda, quæ tamen ſatis fuit ad ipſorum ſpem fidemque retinendam. Ultra vaſtitatem gravis peſtilentia ex interiori provincia in maritimam oram cum manubiis adducta eſt, cui reſtinguendæ non parum Venetis impenſum curæ. Sub finem Autumni Vergoratium, non magni momenti oppidum prope Naronem amnem, vix armis tentatum ſub eorundem poteſtatem deditione venit. Nec mare prælio vacuum fuit, majori tamen diſcrimine quàm ſucceſſu. Delphinus cum ea, quam diximus, claſſe & una piratarum nave Ægæum circuibat exigendo ab inſulis tributo. Ubi novit, no-

Mutuæ per Dalmatiam populationes.

Chulmiæ Prætor a Venetis fugatus, & captus.

Peſtilentia per Dalmatiã graſſatur.

noveṁ bellicas Turcarum majores naves, tres vicenaſque Africanorum additis ſex ac viginti biremibus prope Mytilenem in anchoris ſtare eo conſilio, ut ſi ventus & occaſio ita ferret, in Bœotiam copiarum quidpiam traduceręt, indeque Peloponneſo offerrent periculum; illuc proras obvertit. Turcæ pugnam non detrectarunt. Dum concurrunt ordine inſtructo, cecidit ventus. Delphini prætoria navis, quæ claſſem ductabat, ſola intra muralium telorum conjectum proceſſerat, occurrens majoribus hoſtium navibus; jamque invicem ſe verberabant. Unde ipſi non multum diſcriminis, maximum verò a biremibus adiit, quæ celeriter propius admotæ hoſtem in eam effuderant. Telis obrutæ ſalutem primùm attulit fabrefactus ignis, quo Turcas progredientes ad puppim non modò repreſſit, ſed ab ſe penitus depulit. Mox lenis aura vela intendens laceram concuſſamque periculo exemit, excepta ab reliquis navibus, quæ ſtatim ac per ventum licuit auxiliatum venerant, acie cum hoſtibus decreturæ. Sed nox interceſſit. In ea pugna Delphino murale telum lævæ digitos præter pollicem deterſit, Joanni Bugiæo trierarcho vitam ademit; aliquot utriuſque claſſis gregariorum deſiderati, fractaque armamenta. Poſtridie perendieque in altum utrique progreſſi pugnæ periculum facturi rurſus videbantur; verum

1690.

Navalis pugna inter Venetos ac Turcas deſcribitur.

Ejuſque ſucceſſus.

1690. rùm inani eventu, Turcis circumflectentibus proras, priuſquam proluderent. Dum ita barbaricum deſævit bellum; ſociale inter Chriſtianos Principes non minus inhorruit. Galliæ fines armis undique obſtrepebant; ſed Hibernia præcipue in ſe obverterat omnium animos. Nam Fœderatis, occupato illic Vilhelmo Rege, nihil ſubſidii (quod præter conceptam antea e præpotentis ejus Imperii viribus opinionem acciderat) e Britannia ſperandum erat; dejecto, nihil ab ipſa non metuendum, in Jacobi legitimi Regis fidem ex hujuſmodi ſucceſſu facilè reditura. Et ſane quotidie magis in ærumnoſum Principem creverat ſuæ gentis amor, conſtitutaque inter procerum omniumque Ordinum plurimos ad eum revocandum conjuratio. Ipſe quoque in occaſionem intentus clam in Angliam ſubmiſerat, qui animos promiſſis illicerent ac rem digererent. Convenerant autem ut dynaſtarum fidiſſimi per hyemem taciti clientelas deſcriberent; ſe deinde quieti continerent, quoad Vilhelmus, in Hiberniam tranſmiſſo ſuarum legionum robore, eò trajeciſſet. Tum quantacumque poſſent vi, cierent ubique tumultus ſtatimque ad auſtralem præcipue plagam ac Tameſis oſtium perrumperent. Gallicam bipartito claſſem diſtributam octo illic armatorum millia, armaque Torbai expoſituram; totidem iſthic ad amnis ripas. His freti, ex

Res in Hibernia geſtæ narrantur.

Conjuratio pro revocando Jacobo Rege a quibus, & quo pacto ſtruitur in Anglia.

ex una parte opulentiſſimam illam regni oram, ex altera Londinum regni caput, & ſi fortuna arrideret, Mariam ipſam Arauſionenſis conjugem auctoreſque ſeditionis improvisò oppreſſos interciperent. Interea Gallicas plures humiliores naves (Fregatas nuncupant) Hibernicum mare Vilhelmo intercluſuras, ſi ad comprimendum Britannicum tumultum ſuas illuc remeare ex Hibernia copias vellet. In Scotia id unum conjuratis occulte indictum: dum foris arderet bellum, Edimburgum flammis involuerent, avocatiſque incendio civibus ab aliarum ſenſu rerum, arcem vi aut aſtu caperent, redderentque ſociis libertatem; qui, non multò ante comperti eadem agitaſſe conſilia, in carcerem detruſi fuerant. Cetera palam agebantur, non uno procerum concitante cives ad res novandas; Montaniſque alacriter ad delectum ſe ſe exhibentibus. Quamquam plurium imperium ſequuti, parum proficerent ad rei ſummam; & populationibus averterent potius ab legitimo Rege provincialium animos. Sæpius inter factiones minuta prælia diverſo eventu per hyemem & primo Vere commiſſa ſunt. Semel ferocius in Murraina provincia, ubi duo Jacobæorum millia cum pari Vilhelmitarum, quos Thomas Levingtonus ductabat, collatis ſignis terga dedere, trecentis ſuorum necatis, captis centum, parua hoſtium cæde. Hinc at-

1690.

Et in Scotia.

Ubi minuta prælia inter partes fiunt, & quo eventu.

1690. tritæ concuſſæque invicem vires; ſed quæ contra Jacobum Regem, publica auctoritate faciliùs reficiebantur. Interea miteſcente anni tempore octingentos ſupra ſeptem Gallorum millia Lauzuni Comite præfecto, & quidpiam militaris apparatus Amfrevillus proprætore quinque ac triginta bellicis navibus in Hiberniam fœderato Regi ſuppetias duxit, appulſus ad Corcagiæ portum; unde quinque millia ejus gentis, mutuum auxilium, in Galliam reduxit; Hibernis manu & animo validioribus, ſi ſolum mutent. Commodùm accidit, ut cùm per hos ipſos dies Batavorum claſſis Mariannem Neoburgenſem Regi conjugem in Hiſpaniam traduceret, ſe ſe invicem communi ſtudio, ne ab re ſua diverterent, declinarint. Fama Gallici militis in Hiberniam tranſmiſſi exacuit Anglicani Concilii curas, haud ignari, nunquam ſibi & Vilhelmo Regi, dum illic bellum, otium fore. Cenſuit proinde cum ipſo agendum ut eò traijceret legionum robur, nec eas, niſi debellato, revocaret. Annuit rem ille, quam jam in animo habebat: ignarus, quantum in ſe domi ex adulta conjuratione impenderet periculi; ratuſque, in ſua & Batavorum claſſe præſidii ſatis habiturum ab externis hoſtibus. Spes quoque alliciebat, citò ab ſe negotium in Hibernia confectum iri, proſpero ibi aliquo per eos dies armorum ſucceſſu

Gallorum auxilia in Hiberniam traducta.

Marianne Neoburgenſis Caroli Hiſpaniæ Regis ſponſa ad eum ducitur.

ſu victoriam portendente. Nam & Carlinfordia munitum oppidum fame in ejus poteſtatem venerat, dimiſſo honeſtis conditionibus octingentorum præſidio; ejuſque exemplum ſequutæ Dundalkum Ardrakumque immunitæ prope urbes, ſed quæ maritimi non parum tractus, ex eaque parte ad regni principem urbem Dublinum iter interſæpiebant. Paullo ante Volſelejus tribunus militum Beltoberte, ubi armorum præfecturam gerebat, cum tribus equitum ſeptem peditum centuriis Covonium, unum reliquum in Ultonia provincia obnoxium Jacobo Regi oppidum profectus, illud obtinuerat, arcis quamquam oppugnatione abſtinendum fuit. Eò contenderat, ſpe, illud facilè ſubactum iri quippe tumultuario mille ſolùm quingentum præſidio communitum. Verùm patefacto ejus conſilio, Barcovici Dux pari legionariorum numero illud auxerat. Acie ante urbem inſtructa pugnatum eſt. Sed præſidiarii ad primum telorum conjectum loco pulſi in arcem ſe retulere. Hoſtis urbanas ædes ingreſſus, in prædam ſe diſſipavit. Quo animadverſo, illi e portis iterum in incautos ſe ſe effuderunt non ſine multa prædantium cæde; & major accidiſſet, ni Volſelejus bis centum & quinquaginta militum cohortem, quam in ſubſidiis extra mœnia ad ſubitos caſus retinuerat, irrumpentibus oppoſuiſſet; juſſiſque illico inflammari tectis, ſuos metu

1690. *Aliquot proſperi in Hibernia eventus pro Aranſionenſi.*

1690. metu flammæ ad ſigna coegiſſet, hoſtem rurſus intra munitiones; centum, qui nimis procurrerant, in oppidanorum poteſtate relictis. Mors utrinque trecentos oppreſſit, levique vulnere perculſus Barcovici Dux. Hoc rerum ſtatu Vilhelmus Rex, præmiſſis in Hiberniam legionibus, ſub æſtatis initium illuc trajecturus, a Ceſtria conſcendit. Tertio die Rupis Ferguſii portum intravit fœlici navigatione. Nec mora ad exercitum pergit, qui caſtra prope Dundalkum metatus fuerat. Septem ac viginti erant peditum millia, equitum duodeviginti. Droghedam inde progreſſus in Buvindæ amnis ripa ſigna ſtatuit, quà vadum tentare poſſet, ſpeculaturus. Nam Rex Jacobus ulteriorem marginem prætexebat, ratus ſe poſſe hoſtem objecto flumine ab congrediendo prohibere. Dum interim orituri in Anglia tumultus nova utriſque darent conſilia ac rebus gerendis moderarentur. Et ſane ubi auditum, Vilhelmum ſuarumque robur virium in Hiberniam tranſgreſſurum, turbari in Anglia res cœptæ, quamquam non prius in apertum proditurae, quàm Gallica claſſis ferendis auxiliis altum teneret. Nec ipſa diſtulit, Brivate aliiſque e portubus vela dare. Duæ atque octoginta erant bellicæ majores naves, quas ſex & viginti quinqueremes ad brevia litorum, ubi exponendi eſſent milites, ſubeunda, ponè ſequebantur. Simul altera

Vilhelmus Rex in Hiberniam appellit.

Quo militum numero ejus exercitus, & ubi locatus.

Claſſis Gallica in Britanniam navigat.

rera depreſſiorum navium claſſis Hibernicum interſeptura fretum ſolverat. Facinus, quod hactenus ſilentio compreſſum fuerat, in vado videbatur; cùm repente Ctowvnius quidam majeſtatis reus, dictaque e vinculis cauſa capite damnatus, vitam pro mercede pactus, conjurationem, cujus erat particeps, Judici aperuit; hic ſtatim Aulæ potentioribus. Senatus cum regia Vilhelmi Conjuge ad inopinatum diſcrimen exhorruit; non tamen ita, ut horror, quod in ſubitis evenire ſolet rebus, conſilium tardaverit. Conſeſtim intra Londinenſem arcem aſſervari juſſi Clarentiæ Comes & procerum aliquot, de novandis rebus delati aut ſuſpecti. Provincialibus imperatum, ut armati globatimque diviſi otio conſulerent, litora ab externis hoſtibus, oppida ab domeſticis tutarentur; arcium, & præcipue maritimarum, præfectis, ut ab inſidiis caverent. At majus ad compeſcendas turbas præſidium ab claſſe petendum Senatus cenſuit; ſi tamen hoſtium naves non modò ab appulſu arceret, (ſatis enim ad confirmandos conjuratorum animos fore, ſi ex alto ſpem facerent appellendi) ſed vel ſuo damno contunderet; dummodo in communi ſtrage viribus & illæ debilitatæ recederent. Itaque prætori Herberto Toringtoni Comiti mandatum ut non amplius, quo hactenus conſilio uſus fuerat, prælium fugeret, nec tergiver-

1690.

Britannica conjuratio quomoda detecta.

Ac diſſipata.

Claſſis Britannica adverſus Gallicam emittitur.

1690. verſando ſatis haberet, hoſtem, ne deſcenderet, ab litorę prohibere; rectà adiret, laceſſeret, cum volente confligeret, cedentem inſequeretur. Dicto paruit, nec diu fuit, quin Britannico in mari, qua parte auſtrale percutit Angliæ latus, Gallicas naves obvias habuerit. Eas numero prope æquabat; auctus tribus & viginti Batavis navibus Evertzeno duce. Utrinque illico in frontem inſtructæ. Batavæ dextrum cornu; Anglicæ, quæ rubrum vexillum ſequebantur, mediam aciem; quæ ceruleum, ſiniſtrum tenuere cornu. Et Galli tripartitum agmen objiciunt. Quod caſtri Rainaldi Comes ductabat, in ſiniſtro adverſus Batavos; quod Æſtræi *Dux*, in dextro locant. Anna Ilarion Conſtantinus Tourvilli Comes imperator medium habuit. Ventus Fœderatis favebat, ex iiſque, cùm parum Sol proceſſiſſet, primi Batavi in hoſtes irrumpunt. Ibant utrique redibantque adverſi, telis undique ſe concidentes. Quin, dum pugna irritatur, propius ſubeuntes, ictu certiori feriebant alueos; vela, armamenta, mortalium corpora lacerabant. At reliqua in acie mitius decertabatur. Quippe Anglicæ naves, ne ſecundo prorſus obſecundarent vento, qua poſſent arte, ſe ſuſtinentes, longius & incerto vulnere micabant jaculis. Jam tres pugnaverant horas, cùm ventus reſedit, immobileſque ſteterunt. Non ita multò poſt eo rurſus increbreſcen-

Oritur pugna.

Deſcribitur.

ſcente inſtauratur pugna. Quam cùm nec modò cominus congreſſi exacuerent Angli; Tourvillus, re animadverſa, aliquot e medio agmine ſubductas naves circumire Batavorum cornu atque illud a tergo ferire juſſit. Hi quamquam circumfuſi telis diu atrocem procellam pertulere, rati ſocios (nam fumus conſpectum ademerat) pari diſcrimine & commixtis navibus decertare. At cùm ſe penitus jam vires deficerent laceris velis armamentiſque, ne præda hoſtium manerent, ſub veſperam fractas mutilataſque naves in proximum continentem, quò prius Angli ſe ſubtraxerant, retulere. Batavorum duæ bellicæ totidemque incendiariæ in eo prælio depreſſæ, una in hoſtium poteſtatem venit, altera igne conſumpta; decem atrociter vulneratæ, malis antenniſque magnam partem decuſſis; quarum poſtridie ab ipſis nautis, cùm non ſatis curſum accelerarent, quatuor demerſæ, tres incenſo nitrato pulvere diſſipatæ. Periere duo legati Bruchel & Gindychus, ingens gregariorum multitudo. Ex Anglicis duo penitus labefactatæ; reliquæ, ut & Gallorum claſſis, ærumna haud immunes, ſed navigando adhuc pares. Touruillus mare liberum nactus, propiùs legit Angliæ litus, ac quinqueremium ope facto circa Torbajum quingentorum militum deſcenſu Tingmutum, unde trecenti præſidiarii ad ejus adventum dilapſi fue-

1690.

Batavæ naves atrociter concuſſæ recedunt.

Navalis Gallorum victoria.

Qui in Angliam deſcendût ſed inani ſucceſſu.

1690. fuerant, habuit diripuitque; ſimul in propinqui oſtio fluminis quatuor bellicas, octo onerarias incendit. Paucos deinde moratus dies, nec ultra progreſſus, receptis in claſſem militibus, redux Brivatis portum cœpit. Id æque moleſtum ac præter ſpem accidit Ludovico Regi. Audito enim, victos profligatoſque hoſtes navali prælio, non dubitaverat quin meditatum in Angliæ facinus inchoatum foret atque omnia ibi Gallicis armis ac tumultu obſtreperent; dolebatque modò, nullum exinde relatum victoriæ fructum; adhuc ignarus nihil Britannos moviſſe, quamquam plurimi ad ciendas fovendaſque turbas ſe comparaſſent. Quin eò diligentius excitata ibi ſtudia juventutis, ad arma Senatus edicto adverſus exteros coeuntis; quò protracta atque idcirco debilitata in dies rerum novandum ſpe augebat ſolertiam timor, ne in quo minor viſa, illum argueret ſubleſtæ fidei. Quamobrem Tourvillus diſceſſerat, veritus inutilem infeſtamque trahere illic moram, & Conjuratos e diverſa, quàm ſperaverant, Hiberniæ fortuna animum contraxiſſe, ne ſe in apertum diſcrimen darent. Nam Vilhelmus quàm citiſſime per omnem diſſipari Angliam curaverat, uno prælio, quod poſtridie navalis pugnæ commiſſum fuit, Hibernicum bellum ſe debellaſſe. Exercitum, ut præfati ſumus, admoverat ad Buvindæ ripam, cujus ad-

Idque omnibus inopinatum.

Quieſcentibus Britannis Conjuratis.

Funeſtum in Hibernia Jacobo Regi prælium.

1690.

adverſam oram Jacobus Rex bellatorum quadragenis prope millibus interſepiebat. Ille ad ſpeculandum progreſſus ubi vadum tentare poſſet, dum circumſpiciendo cunctatur, leniter majoris machinæ telo ictus, vitæ periculum adiit. Quo tamen nihil deterritus, illac traijcere, ſtrenuitatis argumento, meditabatur. At ubi paullum deſedit repente ſurgens ardor animi, ſecum & cum iis, qui circum ſe aderant, breviter colloquutus, incertæ nimis eſſe plenum aleæ, in hoſtium conſpectu ſuperare amnem, non mediocri & pectore tenus fluentem aqua, mutato conſilio Comitem Medardum Scombergium cum dextra equitum ala, duabus ſiniſtræ ſagittariorum legionibus, unaque peditum, & quinque tormentis curulibus adverſo flumine tria paſſuum millia per noctis ſilentium ire jubet: ubi latior alueus humilioreſque ripæ longe faciliorem tranſitum aperiebant. Jacobæi quatuor equitum legionibus ſuſpectum locum inſederant, quæ tamen, parva tranſgredientibus injecta mora, longe impares numero ſe retulere. Medardus ſuas copias in ripa continuit acie inſtructa, ſuſpicatus, hoſtem novis e propinquo auctum militibus, ad pugnam rediturum. Simul, quod ſibi inſtaret periculum, Vilhelmo, ut quidpiam opis ſubmitteret, renuntiavit. Nec vana erat ſuſpicio. Jacobus enim, re comperta illuc validum ſuorum globum pro-

Et quo conſertum ordine narratur.

 pe-

1690. perare juſserat, in ſpem ingreſſus, traductum agmen, priuſquam accreſceret, deleri poſse. At ubi vidit, hoſtilem exercitum (quod eludendo ejuſmodi conſilio Vilhelmus apud ſe jam antea conſtituerat) in amnem irruere tranſmittentis in ſpeciem, e re non duxit extenuare illic vires. Sententiam deinde mutaſse doluit, cùm iſthæc, aut non alia ſibi foret vincendi ratio. Interea Medardus, ut pro reſponſo acceperat, movit agmen hoſtemque a latere adortus eſt. Nec Vilhelmus, poſtquam clamore nuncio initum ab eo prælium comperit, deſtitit a fronte urgere. Læva equitum ala, cujus imperium Georgius Daniæ Regis frater gerebat, flumen ingreſſa, Jacobæos equites ſagittarios, Berovico præfecto, in ipſa ripa obviam habuit. Media pedeſtris acies, Scombergium legatum ſequuta, in aquam pectore tenus ſurgentem ſe immiſit. Ad hanc repellendam proceſſerant Jacobæorum duo millia & quingenti pedites cum prætoria equitum legione. Verùm cùm ex adverſa ripa micarent majores machinæ, e medio flumine pyroſcorpiones; & qui traducebantur, accelerarent, ceſſere illi; his utrobique datur in marginem evadendi locus. Quamquam triceni minorum militiæ ducum, qui propius dimicaturi ad aquam deſcenderant, facerent ſuis, ripa hoſtem prohibentibus, animos. Se tamen retulere ad primos conatus parva utrinque ne-

ce.

ce. Præfectorum, qui præceſſerant, quinque ac 1690.
viginti gradu ſtantes honeſta morte occubue-
runt. Peditatum e vado egreſſum Vilhelmus
trifariam dividit. Octo millia quingentos ad ſi-
niſtram equitum alam, quæ vehementer im-
pellebatur, accedere eique robur ac firmitatem
addere, ſex millia cum ala dextera conjungi
jubet. Ipſe cum reliquis in mediam irrumpit
hoſtium aciem. Hanc Lauzuni Comes dirige-
bat inſtruxeratque circa vicum, qui amnem fe-
re contingebat. Erant ſecum Gallica auxilia,
& quicquid in Hibernis copiis veteranorum.
Anceps proinde illic prælium diuque paribus
pugnatum viribus ac virtute. Quam ut in ſuis
exacueret Scombergius legatus, octogenario ma-
jor ante ſigna progreſſus, pugnans cecidit.
Primùm ab utroque cornu inclinavit ad Vi-
lhelmum victoria, ſuperatis Hibernis Anglorum
numero ac ſtrenuitate; dein penitus in ejus
partes conceſſit. Nam Lauzunus ubi ſe utrin-
que nudatum novit equeſtri robore & ab ho-
ſtili equitatu inſtare certam perniciem, monuit
Jacobum Regem ut ex acie diſcedens conſu-
leret vitæ ac dignitati; eas pluris eſſe, quàm
quæ ullo pretio in apertum diſcrimen commit.
tendæ forent; & ſæpius ingenti ſolicitudine,
quæ tunc de ipſius incolumitate omnes inceſ-
ſerat, debilitari militum animos, non auge-
ri. Eò jam rem deveniſſe ut abjecta victoriæ
ſpe,

Victoria ad Arauſionenſem vertit.

Digitized by Google

1690. ſpe, de reducendo incolumi exercitu cogitandum eſſet; idque ſibi uni explicandum petere; & ne abnueret, obteſtari. Ille dictum non aſpernatus, Dublinum ſe proripuit. Civitatis principes paucis adhortatus, ut non ex præſenti fortuna, quæ facilè mutari poſſet, ſed ex adhuc invicta in ſuum Regem fide conſilium caperent, ſtatim illinc Vaterfordum proceſſit. Conſcenſa Gallica nave, quam ſi occaſio ita ferret, in eo portu ad navigandum inſtructam ſtare in anchoris juſſerat, mare ingreditur, Galliam repetiturus. In altum provectum caſu excepit Gallica itidem humiliorum bellicarum navium claſſis, munitoque itinere in Normannorum expoſuit litus. Interea Lauzunus & Tyrconellus, ſigno receptui dato, pugnam diremerant. Receſſit agmen inſtructis ordinibus, quamquam tormentis laceratum & undique circumfuſum. Parum illud hoſtis eſt inſequutus; & qui ex utroque fugerant cornu, per nota paludum ſylvarumque itinera facilè victori ſe ſubduxerunt, vix mille quingentis in eo prælio interemptis & pari prope ex adverſo cæde. Circa Atlonam & Limericum munitas urbes, quibus verſam ad occaſum inſulæ partem in poteſtate officioque retinerent, caſtra metati ſunt. Eò deinde non pauci Hibernorum hàc illac pervagati ſe collegere. Drogheda validum oppidum, præſidio & commeatibus in longam obſidio-

Jacobus Rex ab exercitu recedens in Galliam redit.

Jacobæi ordine pedem referunt.

Ubi, aucti numero, ſe locant.

Digitized by Google

1690.

Plura oppida, victoriæ fructus in Vilhelmi poteſtatem veniũt

ſidionem refertum, Vilhelmo ſtatim in deditionem venit. Nec Dublino, ubi ejus gentis Concilium aderat, ulla fuit mora quin, vixdum Jacobo illinc digreſſo, in æmuli Regis partes concederet. Is, cum una equitum altera peditum legione præmiſſis Ormondi Duce & Overcherchi Comite, qui adverſæ factioni metum ingererent, triduo poſt in urbem ſe contulit ibique aliquot tranſegit dies, incertus quid ageret. Fuerunt, qui e re illic geſta Jacobum timiditatis, Vilhelmum ſegnitiæ redarguerent. Nam & illum nimis propere Hiberniam deſeruiſſe, cùm debuiſſet, recuperato exercitu, caſtris alicubi ſe continere, oſtentataque fiducia cohibere plurimarum urbium defectionem, quas non fides mutata, ſed ejus falsò credita, verùm perſpecta pene oculis, deſperatio ad Vilhelmum adduxit. Et hunc debellare potuiſſe, ſi hoſtem pavore aut armis perculſum veſtigiis perſequutus nulloque dato ad reſpirandum ſpatio urgere illico non deſtitiſſet. At non eadem rerum peritis ſententia fuit, apud quos opinio increbruit, Jacobum in Galliam reditum acceleraſse, nonnihil ex eo prælio de Hibernorum erga ſe animo ſuſpicatum; cùm præſertim rarò maneat adversùs miſeros fides. Vilhelmum verò initio ſibi propoſuiſse, confeſtim cum exercitus parte in Angliam remigrare, inquietos molienteſque illic cives, unde majus pe-

Varia de hoc prælio & Jacobi reditu hominum opinio.

Captumque a Vilhelmo conſilium a pluribus improbatur.

Quæ fuerit prudentiorum ſententia.

1690. periculum erat, priuſquam moverent, compreſſurum. Quamobrem Ceſtriam prætorias Batavorum cohortes ſtatim a pugna traduci juſſerat. Certiorem deinde redditum, ad Britannicam refrenandam conjurationem ſatis in Maria conjuge & in Senatu conſilii, in morigeris ſibi populis præſidii eſſe, propoſitum mutaſſe: ſpe ſimul, brevi quicquid in Hibernia reliquum erat urbium, ſe præſente redigi in poteſtatem poſſe. Re deliberata, legiones primùm Vaterfordo admovit. Præerat oppido cum mille ſexcentis armatis Henizius tribunus militum, qui non æque validus animo, vixdum aperto vallo & nondum expeditis bombardis deditionem fecit. Inde Atlonam Duglatium prolegato cum decem peditum, quatuor equitum, duabus ſagittariorum legionibus tentatum miſit, an metu victa Vaterfordi exemplum ſequi vellet. Verùm invicto adversùs minas blanditiaſqae tenebatur Gallorum Hibernorumque præſidio, quod ſpem eluſit. Ipſe cum reliquis copiis Limericum pergit. Explicato circa urbem exercitu nec circumvallato, triduo ad primas munitiones agger adducitur, mox triplex occupatur caſtellum, & geminæ decutiuntur altiores turres, unde plurima in apertum hoſtem jaculis cædes. Deinde tricenis arietibus concuſſa mœnia viam in urbem aperuerunt. Præſidiarii mixto illic Gallico Hibernoque nomine, quamquam

Vaterfordum in Arauſionenſis poteſtatem venit.

Atlona non cedit.

Limericum fruſtra oppugnatur.

Oppugnationis ſeries.

quam ingenti forent numero, hactenus intra clauſtra ſe continuerant, aliqua ſolùm telis, quæ perpetuò micabant, injecta operibus mora. Hinc hoſti additus animus, ut vel quod nondum tempeſtivum erat, auderet. Pugnam ad viæ tectæ marginem conſerit; qua victor in foſſam deſcendit enititurque, præcipiti licèt clivo, in mœnium ruinas, immemor procellæ, quæ ab integris adhuc propugnaculis impendebat. Et ea quidem tonantibus undique muralibus tormentis irrupit adeo, ut ſuæ illum audaciæ pœniteret. Dum verò diſcerpitur, oppidani e portis, atque ex apertis ariete muris erumpentes, ſtragem cumulant, pulſum fugatumque extra munitiones propellunt conſperſo cadaveribus ſolo, diſſipatiſque vineis, & quicquid operum molitus fuerat. Vilhelmus penſatis hoc facinore præſidii viribus ac ſtrenuitate, ne illic infeſtam inutilemque interponeret diutius moram, colligi vaſa juſſit. Dein munitis milite ac re frumentaria circùm oppidis, ineunte autumno cum aliquot legionibus in Britanniam tranſmiſit. Poſt diſceſſum Gallicæ claſſis variatamque Hiberniæ fortunam cuncta iſthic quieta ſedataque videbantur, otii ſtudium iis maxime ſimulantibus, quibus ejus turbandi animus fuerat. Quocirca ſubitariis militibus jam tum ad ſigna vocatis, cùm Galli deſcenſuri videbantur, commeatum dederant, habito ſolùm octo millium delectu, quibus Joan-

1690.

Infelix exitus.

Vilhelmus in Britanniam redit.

1690. nes Marleborugi Comes in Hiberniam deductis, omnem illam auſtralem oram, Corcagio, ut contigit, domito, penitus explicaret. Et Vilhelmus, ut in affecto corpore, ulcus hoc tempore non modò non tractandum, verùm etiam ut altius conſopiret animos, leniendum cenſuit, in libertatem idcirco reſtitutis, qui rerum novandarum in ſuſpicionem venerant; nec de re amplius, veluti falsò credita, inquiri voluit, gnarus: turbulenta conſilia ſi non pateant, facilè ex ipſa rei difficultate corruere; prodita, ne pœnas luant, accelerari. Nec minor ei cura ſarciendæ claſſis. Batavi, exulcerati Toringtoni Comitis dolo an ſocordia, placandi erant. Hic proinde juſſus e vinculis cauſam dicere: quòd pugnaſſet adverſo Marte, ſuas obtendit numero & viribus impares hoſtium navibus. At cùm de Sociis, aperto in diſcrimine ope ſua deſtitutis, adverſa præcipue fama conflictatus, non ita facilè ſe purgaret, primùm ampliatus eſt. Deinde ubi deferbuit ſimul cum damni & periculi memoria ardor animorum, deſederatque non parum dolor & ira, Judices illum ſuffragiis omnibus culpa exolverunt. Rex tamen paullo poſt, ut communi opinioni, qua reus traducebatur, ſatisfaceret, exauthoravit. Id Batavis ad acceptæ cladis lenimentum revocandumque inſtaurandæ claſſis ſtudium ſatis fuit; præſertim cùm reputarent, mari ſibi, ſi rem

Leniter de conjuratione inquirit.

Toringtonus claſſis præfectus de infauſta pugna cauſam dicit.

Sententia Judicum abſolutus.

Placandis Batavis exauthoratur.

rem nauticam negligerent, intercluſo, unde ſuæ robur reipublicæ, hanc magnum diſcrimen adituram. Itaque ante ſeptembris exitum claſſem duodetriginta bellicarum navium, celerrimo quidem opere vel ad oſtendendum quid in hujuſmodi re poſſent, ornarunt. Et Angli refecto armamentorum damno duas tricenaſque inſtruxerant ad navigandum. Stetere in anchoris ad Angliæ litus; quoad comperto, Gallicam claſſem dato navalibus ſociis commeatu Brivate hybernare, ſuos & ipſæ in portus ſe diviſere. Nam poſt acceptam a Jacobo Rege in Hibernia cladem, ejuſque pavore compreſſos in Scotia atque Anglia conjuratorum animos, Ludovicus Rex emittenda iterum claſſe nullum ſe operæ pretium facturum exiſtimaverat, dubiis illic rebus conſilio primùm & armis, deinde Vilhelmi etiam præſentia confirmatis; in Hibernia; ut ut ceteris deſperatis, Atlona & Lymerico in Jacobi ditione ac poteſtate manentibus, quæ validiſſimo inſeſſæ præſidio commode per hyemem ſe ſe ac fidem ſuam tueri poſſent; quæque dum Ver incœpiſſet, aditum in reliquam provinciam daturæ forent; ſin minus, tantum Vilhelmo negotium exhibituræ, ut illinc tranſportare exercitum ſociis auxiliaturo non liceret. Quod ſibi, cùm illa major feſelliſſet ſpes, non parum levaminis dare poterat. Interea ſubducto e navibus claſſiario milite eo- 1690.

1690. que in Belgium traducto, exercitum illic auxerat; ubi, cùm ad ſe inclinaſſet armorum fortuna, huic obſequi &, quo maximo liceret impetu, impellere perculſum hoſtem, e re nimiùm ducebat eſſe. Supremum illic militare imperium Luxemburgio legato mandaverat; juſſeratque diviſis copiis regionem longius, ne hoſti alimenta ſuppeteret, depopulari ac plura eodem tempore tentare loca, dum tamen, ſi ad ſe illum venientem conſpiceret, brevi poſſet diſperſas colligere, totiſque viribus in aciem prodire. Hoc propoſito Luxemburgius quinque & viginti hominum millibus ſecum adductis, ſuperato Scaldi amne, Deinſam venit. In animo erat, Gandavum, non multo præ urbis magnitudine detentum præſidio, repentè invadere, & ſi res non ſuccederet, traducto Liſa fluvio, Flandriam provinciam ingredi, ut præſenti pecunia, aut promiſſo datis obſidibus tributo, a ferro ac flamma ſe redimeret. Dum interim Humiereſus legatus, qui cum militum globo jam antea prope Scaldim ſtativa locaverat in occaſionem intentus, circumpoſitam Aloſto regionem populabundus diriperet. Quod ubi Gallorum conſilium comperit Caſtanagæ Marchio, Belgii Hiſpanienſis prætor, confeſtim cum omni exercitu, qui Regi ſuo merebat, illuc movit ea celeritate ut hoſtem præverterit. Firmatis frequentiore milite Gan-

Res in Belgio geſtæ narrantur.

Gandavo Brugiſque, prope foſſam, utrique interia- 1690.
centem oppido ad navigandi uſum, caſtra poſuit. Aliò deinde avertendis hoſtibus, Principem Carolum Valdemontium cum bis mille quadringentis peditibus, ſexcentum equitum ala, quibus quidpiam ſupplementi datura erant Oſtendæ, Novique portus præſidia, vallum aggredi jubet, ab Gallis adversùs Fœderatorum excurſiones Ipris Dunquerquam perductum. Valdemontius gnaviter rem exequutus, ingentes manubias e Caſleti Poperingæque præfecturis retulit; & longius ſe ſe intuliſſet, ni Luxemburgius valida ſubmiſſa ſuorum manu ei periculum objeciſſet, ne, niſi ſtatim ultra vallum redacta præda, reditu intercluderetur. Parem non diu poſt Humiereſus Hiſpano Belgio circa Aloſtum cladem intulit; inde tamen celeriter cis Scaldim ad eam tutandam oram revocatus. Interea Luxemburgius Deinſa, ubi inutili mora diverſabatur, Condæum diſceſſit. Paucos iſthic moratus dies, lato gyro fallendis hoſtibus; quaſi ubi ſe offerret alimenti copia, pabulaturus; Scaldim transgreditur, atque amnem relegens Vallocuriam proceſſit, in ulteriorem iterum ripam, quod hoſtis non facilè ſuſpicaretur, inter Namurcum & Carolegium inimicas arces traducturus exercitum, fœliciſſimamque illam Brabantiæ provinciæ oram intactam adhuc derepente depopulaturus. Re per exploratores comperta, Hiſpanienſis prætor an-

1690. anxius animo, ne direpta vaſtataque ea regione, quam hibernis deſtinaverat, ſuos alimenta deficerent, accederetque ignominiæ damnum inexpiabile, quantum ſuorum militum ab ſe licuit dimittere, extemplo Valdechiæ Principi, Batavi exercitus Imperatori, ſubmiſit, orans obteſtanſque ut hoſtibus intercluſo Sabi amne, tantam removeret ærumnæ labem. Valdechius copias prope Tilemontium contraxerat, conflatoque quadraginta amplius millium agmine quàm celerrime adverſus Gallos caſtra movit; Berli Comite, an ii hactenus Sabim ſuperaſſent, ſpeculatum præmiſſo cum quingentis equitibus, quos brevi intervallo quinque equeſtres legiones præfecto Flodorpi Comite ſubſequi, & his alteram validiorem equitum alam ſubſidiariam Vebbeno prolegato duce, ſi fortè congrediendum foret, ire imperat. Luxemburgius, ne temere expeditionem propinquam hoſti mediamque inter ejus arces ſuſciperet, copias & ipſe auxerat ad quadraginta armatorum millia, accerſitis legionibus, quas Gernæi Comes non longe detinebat, acceptiſque quinque peditum, ſeptem equitum millibus e Beuflerſi agmine ad Moſam excubante. Cum his legionibus ad Sabim progreſſo duo caſtella, tumultuario tenuique opere conſtructa in oppoſita ripa, tranare vetabant amnem. Ad ea occupanda expediendumque aditum Pomponæ dynaſta, non pro-

procul inde traductis bis centum ſagittariis, alterum extemplo, alterum tolerata unius diei oppugnatione cœpit; non enim plus centum utrobique inerant milites. Nec mora ad prævertendum hoſtem equites, altius ex aqua extantibus equis, illac traducti. Pedes cymbis lentius trajicebatur. Interea Cenomanorum Dux octo equeſtribus legionibus ſecum adductis viam præceperat, quidpiam de hoſtibus exploraturus. Ad Fleuruſii vicum Berli Comiti occurrit; qui cognito, apertum jam Gallis amnem, nec paucos tranſmiſiſſe, ſuum quingentum globum illic ſiſtit, miſſo ad Valdechium, qui renuntiaret, quid actum foret; & quid ſibi gerendum eſſet, ſciſcitaretur. Juſſum redire circumvenere Galli pugnantemque obtruncarunt cum magna ſuorum parte. Parum progreſſi, in Flodorpi agmen incidentes iniere pugnam, quam Fœderati vixdum initam deſeruere ad proximas Vebbeni copias relato celeriter pede. Is audito certantium ſtrepitu, & male ſociis ominatus, pone virgultorum ſepem, quam caſu occurrentem pro vallo habuit, aciem inſtruxerat ad eos excipiendos, ſi adverſam fortunam ſubiiſſent; hoſtibus obviam ire nequaquam auſus, ignarus quo forent numero. Par conſilium hos tenuit, ne ſigna inferrent. Pauci, quos ultra ſepem inconſulto præliandi libido rapuit, audaciæ pœnas morte luerunt. Mox utrinque ad ſuos

1690.

Pugna ad Fleuruſium deſcribitur.

1690. ſuos diſceſſum. Apparebat enim in tanta vicinitate decernendum acie fore. Quamobrem Valdechius exercitum e caſtris eductum ad pugnam jam digeſſerat in duo diviſum agmina, unum alteri ſubſidiarium. Utrumque pedites in medio continebat, equites latera protegebant: His duo Naſſaviæ Principes, alter equeſtris ordinis prolegato ab dextera, alter Friſiæ præfectus ab læva moderabantur. Acies inæquali ſolo & nonnumquam hyemalibus pluviis altius depreſſo diſcindebatur. Sed loci rependebat incommodum lenis tumulus, qui prope ſurgens octo & quadraginta campeſtres machinas hoſtibus, ſi ſe inferrent, minaciter objiciebat. Luxemburgio non amplius conſilii ſed neceſſitatis res erat, arma periclitari, cùm a tergo haberet munita Hiſpanorum oppida, a fronte hoſtiles copias; quocirca non facilis eò reditio, ubi tutò poſſet conſiſtere; & gravis annona, ſi diu illic tempus tereret, timebatur. Igitur, hoſtem priuſquam ſe vallo concluderet, aggredi ſtatuit. Duplex & ipſe direxit agmen, peditum latera equeſtri robore communivit; cujus quod in dextera locatum fuerat, Choeſeuli Duci; quod in ſiniſtra, Gournæi Comiti imperium dedit. Dum iret, e dextro cornu clam turmæ aliquot ſubductæ, quæ per Sabis ripam progreſſæ, Fœderatos, dum incaleſceret pugna, ab tergo invaderent; & fortè ibi quoque tenui col-

1690. collis eminens vertice occultabat iter. Valdechius ubi vidit Gallos inſtructis ordinibus ad ſe venire, tumulum adhuc vacuum, qui ſibi haud longe ab dextra paullum ſe ſe erigebat, valido confeſtim Hiſpanorum præſidio præoccupari jubet. Ab læva, quà impetum daturus erat circumvectus ille hoſtium globus, minus cavit. Sol ad meridiem pervenerat, cùm Gournæus Choeſæliuſque accepto ſigno equites in prælium ducunt. Ad irruentium impreſſionem vix non illico prima in acie Fœderatorum turmæ confuſis ordinibus ſe conſternarunt; nec ita multo poſt aliæ per apertos campos diſſipatæ, pars major ad ſubſidiarium agmen recedens, nudarunt peditatus latera. Eos celeriter inſequuti Galli in aciem rurſus inſtructam equos pari permittunt impetu. Utrobique prælium inſtauratur, at diſpari eventu. Lævum Fœderatorum cornu ſimul ac circumacta illa Gallorum manus ab tergo jaculari cœpit duplicabatque ſtragem, ſe in pedes conjecit. Dextrum viciſſim Gallos in fugam impulit duplici & ipſos cæde contuſos, quam geminabat Hiſpanienſium agmen in propinquum, ut diximus, collem adductum, unde incaleſcente pugna tranſverſos hoſtes invaſerat. Fugientibus occurrit valida ſuorum equitum ala, quæ lævo in cornu victrix, pulſoſque Fœderatorum equites, quoad ſatis fuerat, perſequuta, ad pugnam redibat; reddiditque

1690. iis animos ac ſecum ad pugnam reſtituit. Tunc enimvero equeſtris prælii fortuna non amplius in ambiguo manſit, tranſgreſſa penitus in Gallorum partes. Interim peditatus ad manus venerat, & mors ubique atrociter graſſabatur. Sed erat, pari quamvis animo ac viribus, diſpar decertantium conditio. Galli unum in agmen coaluerant, circumfuſique degravabant primam hoſtilem aciem ab ſubſidiaria divulſam, quacum, interiecto Gallico equitatu, ſe conjungere haudquaquam poterat. Itaque pulſa propellentium frequentiori numero, ac fœde conſciſſa, in proximos vicos catervatim fugiens, & ingenti clade debilitata, ſe ſubripuit. Quæ dum illic geruntur, Valdechius, bis millibus ſuorum equitum palantium collectis, lævum ſubſidiarii agminis latus, dextrum Flodorpius denis eorundem centuriis protexerant, ſpe rati, ſe ſe cùm recedere inſtructis ordinibus anniterentur, ſatis ab hoſtili equitatu munitum iter habituros. Verùm vixdum ille impetum fecit, circumflexis equis terga dederunt. Nihilo ſecius peditum acies, cùm ſe quadraſſet, ſtrenue viam proſequebatur, equeſtrem procellam repellens adeo geminatis jaculis, ut Galli magna cæde multati inhiberent frænos negarentque rurſus irruere. Quod ubi magiſtro equitum Ludovico Auguſto Cenomanorum Duci compertum fuit, convolans ante ſigna,

ſigna, cedentes reſtitanteſve prælio reſtituit, hortatus: ſubderent calcaria, protererent concitatis equis hærentes adhuc veſtigiis pedites, nec vellent ſegnitie corrumpere oblatam perfectæ victoriæ ſpem. Illi Ducis voce atque exemplo incitati, ſublato clamore ſe ſe iterum iterumque intulere. Pari tamen ferocia frequentiſſimiſque telis excepti, rurſus continuere greſſum, multa tum quoque contuſi clade. Enituit ibi Cenomanenſium Dux imperterriti animi gloria, nihil ad transfoſſum, quem inſidebat, equum duumque ſibi latus tegentium necem mutato vultu. Interea Gallorum peditatus accelerato gradu ſe admoverat collatoque pede Fœderatos urgebat, nec ſtare loco patiebatur. Hi proinde feſſi exhauſtique laboribus, cùm haud amplius obniti irruentibus hinc equitum, illinc peditum legionibus poſſent, turbavere primùm ordines, mox globatim in apertam fugam ſe conjecerunt. Fœderatis hoc prælium conſtitit ſex millium nece, ſauciis pluribus, captis in acie tribus millibus. Poſtridie ad quatuor inſuper millia per vicos diſperſa, cùm Gallorum equitatu ab ſuis intercluderentur, in ipſorum poteſtatem ſe dediderunt, in his nongenti minores duces. Auxit Fœderatis luctum mors Principum Naſſovii præfecti fabrum, & Merſoburgi; Comitum Berli & Styrum, aliorumque illuſtri ſanguine. Venere in Gallorum di-

1690.

Pugnæ exitus.

Quanta Fœderatorum cædes.

Gallorum victoria.

1690. ditionem tormenta omnia bellica, centum militaria ſigna, commeatuum ingens copia. Nec incruenta victoria fuit. Deſiderata ab Gallis gregariorum amplius duo millia, trecenti minores militiæ præfecti, majores duo, Gournæus, Metenſiſque, ambo prolegati. Atrox prælium Fleuruſium ignobile oppidum & Kalendas quintiles nobilitavit. Luxemburgius non aliud egregii facinoris præmium retulit, quàm amplum exactum tributum ex hoſtium regione. Nam licèt anni tempus quidpiam agendum ſuaderet, e re ſua non eſſe duxit, in incertam cujuſpiam invadendæ munitæ urbis aleam ſe dare. Siquidem Valdechius collectis e fuga maximis equitum, non paucis peditum reliquiis, imminutoque interiorum arcium præſidio copias ad juſti exercitus ſpeciem prope Hallam contraxerat; hoſti, ſi quidpiam auderet, periculum objecturus; & ſibi, opportuno loco metatus caſtra, nihil timebat. Quin contra, cùm non ita multo poſt ad eum veniſſet Brandeburgenſis Octovir cum iis legionibus, quas adhuc otioſas detinuerat circa Moſellam amnem, vetitus in Gallos, pari militum numero per id locorum excubantes Beuflerſio duce, quidquam moliri; utrique animum induxerant, conſociatis viribus & ſuperante multitudine, hoſtes intra ipſorum fines protrudere, ne diutius depaſcerent Belgarum fortunas eaſque ad belli ſubſidium

Quo pretio cõparata.

Fœderati inſtaurant exercitum.

lium enervarent. At ſpes evanuit. Siquidem 1690.
Luxemburgius facili conjectura, quò tenderet Brandeburgenſis, aſſequutus, diſcrimen effugit, ad ſe propere accerſitis reliquis Beuflerſii copiis earúmque parte, quas ad Scaldim Humiereſus continebat. Ita æquatis viribus nihil geſtum; Fœderatis novam periclitari pugnam haudquaquam auſis, qua ſi victi, Belgio ſibi concedendum foret; ſi victores, tantummodo longius hoſtem removiſſent, impari ancipitis fortunæ pretio; & Luxemburgio ſatis ſibi eſſe rato manubiis ærarium, hoſtili penu exercitum alere. At Humiereſus arrepta occaſione infrequentioris Fœderatorum per ea loca militis, in ſpem elatus populandæ trans Brugenſem foſſam, quod ante fruſtra tentaverat, Flandriæ provinciæ adhuc a militari procella intactæ, ineunte autumno validam ſuorum manum eò tranſmiſit. Verùm eductæ, quantùm licuit, e vicinis oppidis Hiſpanorum cohortes auctæque ſubitario popularium delectu palatos Gallos in fugam averterunt, facta ſeptingentorum ſtrage captiſque vehiculis ad agendam prædam adductis. Mox utrinque in hiberna diſceſſum. Dum ita in Belgio res geritur, magni circa Rhenum bellici apparatus crebrique legionum diſcurſus diu ſuſpenſos animos tenuere, quò tandem ea tanta rerum moles evaſura foret. Germani, ſicuti principio ſuperioris anni, copias in tres

Gallorum Flandriam depopulantium cædes.

Qui quantique ad Rhenum exercitus.

par-

1690. partes diviſerant, Brandeburgenſi, Miſnienſi, Bojoario Octoviris parituras. Nam mortuo Lotharingio, cui ob ſingularem belli ſcientiam imperio illi cedere haud abnuerant, quiſque primas petebat: inexorabili ambitione inter æquales. Itaque Bojoarius cum ſuæ gentis legionibus, Suevíſque, & aliquot Cæſarianis, ſuperioris Germaniæ finitimam Rheno plagam ad Nicrum uſque amnem obtinebat. Miſnienſis cum ſuis popularibus, Franconibuſque Nicrum inter ac Menum. Brandeburgenſis cum valida ſuorum manu Veſtphaliciſque auxiliis Germanicam interjacentem Moſæ Moſellæque fluviis regionem. Deſtinaverant animis Philippoburgum Bojoario oppugnandum; Montem regalem Brandeburgenſi; Miſnienſi alterutrum ope ſua fulciendum, ſi fortè durior quàm ſpe concepiſſent, accideret oppugnatio; ſin aliter hoſtile ſolum ferro ac flamma divexandum: Gallos arbitrati in diverſa diſtractos non ſibi poſſe ubique proſpicere, non æquo Marte pugnare. Rheno circumpoſitam oram Rex Ludovicus tutandam Delphino filio, & huic rei bellicæ moderatorem Lorgeſium legatum dederat; mandaveratque ne quid arduum aggreſſus, periculo exercitum committeret quo ſtaret illic Galliæ fortuna: ſed ejus finibus arcere hoſtem ſatis duceret. Quòd ſi poſſet ſtativis in hoſtili terra locatis, inde copias alere ac di-

Fœderatorum de re gerenda conſilium.

itare militem præda ; pro certo haberet mor- 1690.
iferam conflato in ſe fœderi plagam illaturum. *Quod Gallorum.*
Dum enim unus aut alter Fœderatorum ærumna afficitur intactis reliquis, ira invidiaque irritante, plerumque inter ipſos querelarum exurgit ſeges, quibus animi abalienantur ; & rara, diſpari damno aut præmio, Sociorum concordia. His Delphinus eruditus monitis, validiora ad regni fines oppida communivit frequentiori milite, qui hoſtes ſimul ab oppugnando deterreret, vetaretque illos magnum in corpus coaleſcere ; injecto metu, ne unde abijſſent, eò ſtatim vaſtitas conſequeretur. Dein cum quadragenis armatorum millibus Landavia progreſſus, ad arcemque Ludovicam traducto Rheno caſtra, in hoſtico poſuit prope Stohoffam. Animus erat, abſumptis ibi frugibus vexataque regione, copias tranſmittere in Virembergenſem tractum adhuc integrum deſtinatumque proximis Fœderatorum hibernis; unde illos atroci damno, ſe militemque divite augeret præda. Rei admonitus Bojoarius, cui ea quoque pars tuenda data erat, exadverſum Philippoburgo, ubi ſuos continebat, citatis itineribus illuc extemplo ſigna duxit. Verùm impar haudquaquam auſus congredi, nullam Gallis injecit moram quin cuncta circùm diriperent vaſtarentque ; nec abſtitere, priuſquam Miſnienſis frequentibus nuntiis ſolicitatus certior-

Ingentes eorum depulationes.

1690. tiorque redditus, quanta ſociorum, hoſte illinc propulſo, res ageretur, eò profectus caſtra conjunxit. Quod vixdum Delphino cognitum, adverſum relegens Rhenum in Ortnaviam provinciam pedem retulit, caſtra metatus prope Schuternum tuto loco ad alendumque militem opportuno. Fœderati preſſis veſtigiis inſequuti, Offemburgi ſe tenuere, opinati aliquam ſe illaturos hoſti cladem, ubi mox, quod certò futurum arbitrabantur, pabuli inopia in ulteriorem ripam traducendus eſſet. Sed ille ſenſim populabundus recedens, ſigna inter Friburgum Briſacumque, ſuas arces, conſtituit; unde tutum ſibi hæc altera muniebat, quandocumque vellet, trans amnem reditum. Delphinus paucos ibi moratus dies, traditiſque Lorgeſio legionibus quas propediem in hiberna dimitteret, medio autumno Verſalias rediit, ſumma Patris omniumque gratulatione exceptus, eaque vix non æquatus triumphanti laude, quòd hoſtes majoribus inſtructos copiis non modò repuliſſet a Galliæ finibus, ſed Rhenum tranſgreſſus cumulaſſet ingenti damno; militem præda, ærarium impoſito per circumjacentem oram tributo ſublevaſset. Non ita multò poſt Lorgeſius ſuperato flumine, interdictiſque Fœderatis eo trajectu, tranſrhenanas Germaniæ provincias uſque ad Moſellam amnem ipſe quoque imperata pecunia exhauſit.

Tandem repreſſæ.

Utri-

Utrique demum ſæviente jam hyeme in proxima deducti oppida, inquietum traduxere hibernorum tempus frequentibus invicem expeditionibus, adducti ſpe, alicubi negligentius remotas arces cuſtodiri; quamquam excubante ubique ſuſpicione, qua nullum diligentius præſidium, ſpes ad irritum cecidit. Nihil Hiſpanienſi bello memorabile hoc anno geſtum eſt. Noallius adulto Vere cum decem Gallorum millibus Cataloniam ingreſsus, Gerundam contenderat. Probe firmatam milite & commeatu invadere haudquaquam auſus, Vicum oppidum pergit. Agros & immunitas urbes, tentandis Civium animis an metu ærumnæ ſe dederent, prædari adortus, nuncium accepit, haud procul abeſse duodecim Hiſpanorum millia, Villæ fœlicis Ducem ſequuta, atque ad ſe iter accelerare. Mandaverat ei quoque Ludovicus Rex, anceps prælium incertaque Martis vitaret. Quamobrem ſigna, priuſquam hoſtis accederet, ad Pyrenæorum radices, mox in Ruſſinonenſem provinciam retulit, otio reliquum æſtatis tracturus, quippe militum numero longe impar, tribus præſertim per eos dies ſubductis legionibus, quibus augeri in Italia exercitum Rex imperaverat; in ſpem erectus, ſi paullum adniteretur, poſſe illic celeriter bellum opprimi; quod hoc tempore exortum & magnam ſcribendi

1690.

Exercitus in Catolonia vix non otioſi.

1690. materiem exhibiturum, narrare aggredior, altius repetita ejus cauſa. Non enim maximarum rerum conſilia repente emergunt, nec plerumque ea eſt ipſorum origo, quæ vulgò patet. Gallia ſubalpina duos potentiſſimos Reges habet finitimos, unde Allobrogum Duci, qui ei dominatur, periculum ac ſolicitudo. Cautum ipſi adhuc fuerat perpetua eorundem inter ſe Regum æmulatione, objectoque metu: ſibi ſi alter inferret injuriam, cum altero ad eam repellendam ſe ſociaturum, daturumque viam nec parum momenti ad rejiciendam in æmuli Imperium, quæ in ſe concitata fuiſſet, armorum procellam. Quin etiam, dum ſuo res Italicas arbitratu verſarent Hiſpani, Gallis aperuerat alpium clauſtra tradito Pinarolio, quà promptam facilemque ab iis, ſi res ita poſtularet, haberet opem; improvidus conſilii, accepto jugo propter libertatem. Id primò non injucundum periclitanti aliorum immodicos, aliorum, ut in recenti beneficio, modeſtos animos. At ubi mox, variante vices fortuna, crevere potentia Galli, ſenſit illico: potentiores amicos officiis & utilitate, non obligata pignoribus fide, nè forte graves imperioſoſque experiri velis, parandos eſſe. Siquidem non ſemel ſuam vel invitus ad illorum voluntatem accomodare, neceſſe habuit. Eos tamen aliquandiu manſit rogandi Reguli, quæ cuperent, ſuadendique moderatio, dum is nondum

Subalpini belli cauſæ, & origo.

Pinarolium pridem Gallis traditum, & quo conſilio.

dum impedito ad Hiſpanos aditu, ſi turbas & belli incommoda non formidaret, negare poterat quæ rogabatur; leniebatque exagitati animi dolorem ſpes: accepto vulneri, ſi altius infigeretur, eorundem Hiſpanorum ope ſe, magno licèt diſcrimine, mederi poſſe. Verùm hæc quoque ſpes ſuperioribus annis propemodum interciderat, traducta in Gallorum poteſtatem Caſalis arce, quæ non parum ad Hiſpanorum Mediolanenſem provinciam obſidebat iter; Joanna Victorii Amadei matre, quæ reipublicæ, filio impubere, moderabatur, obniti non auſa, aut Gallicæ ſuæ gentis gratiam aucupante. Igitur ingenti ſpiritu & generoſa indole Princeps, ſimul ac per ætatem adminiſtrandi imperii potens fuit, circumjectas ſibi tendiculas ſuboſcure querebatur; facto indicio, eas, ubi poſſet, diſſipaturum. Quod cùm ab iis, qui Principum ſtudia curioſius inveſtigant, Ludovico Regi delatum fuiſſet; increbruit rumor, inde animum applicuiſſe ad conciliandas Adoleſcenti nuptias, cum unica eo tempore ſecundi Petri Luſitaniæ Regis filia & regni hærede, quam Petro prima conjux Maria Eliſabetha ex eadem Allobrogum principe Domo genuerat. Opinabatur enim, Adoleſcenti in hanc ſententiam gravioreſque curas intento reliquâ negle-ctui fore. Et jam de nuptiis convenerat, duæque bellicæ Luſitanorum naves cum legato au- licíſ-

1690.

Victorius Amadeus ea de re tacite ſecum dolet.

Ab rebus novandis, fruſtra diſtrahi curatur, & quibus artibus.

1690. liciſque Nicæam appulerant, ſponſum ad regiam puellam deductur æ. Sed is mutato propoſito averſatuſque ob incertam longinqui regni hæreditatem ab Italia vetuſtiſſimaque ſuæ gentis ditione diſtrahi; cauſatus autem affectam valetudinem, ejuſque obtentu in Regia clauſus ne Luſitanorum querelis ſe offerret, ipſa re negotium abrupit. Mox Ludovicum Regem ut fama pariter in vulgus edidit, eodem conſilio Annam Mariam Aurelianenſem ei nuptui collocaſſe ut nova illigatus neceſſitudine nihil ab iſta alienum animo retineret. Non ideo tamen Victorius initam ſemel expediendi, quicquid arbitrio ſuo moram facere poſſet, ſententiam mutaverat; Principibus immedicabili auctoritatis vulnere. Id non iis erat obſcurum qui quatuor ante annos Auguſtæ Vindelicorum ſe fœdere conjunxerant. Quocirca, vixdum illud coaluerat, clanculum Cæſar, ipſorum præcipuus, ad eum miſerat ſciſcitatum an ſocius tot reliquis adſcribi vellet adversus Gallos. Non latuit Ludovicum Regem ea legatio, monuitque Victorium, ſolicitari fidem ſuam ne pateretur. Ille, nuntio paucis dimiſſo, levare ſuſpicionem haud abnuit. Abeunti verò condixit brevi ſe Venetias iturum Baccanalium ſpecie, quò ſciret iter indixiſſe Maximilianum Bojariæ Ducem, cum eoque de re liberius colloquuturum. Ubi patuit, illuc in viam ſe datu-

Gallis in ſuſpicionem venit.

Venetias petit.

turum ; gravior cura Gallos inceſſit , veritos, non animi cauſa urbem petere , cujus Senatui nulla cum ipſo & jamdiu cum ejus Majoribus ob Cyprii Regis aſcitum nomen intercederet conſuetudo. Proficiſcentem Gallicus Orator ad obſidendas ejus aures & , ſi poſſet , animum, eſt proſequutus . Quamobrem huic fallendo Venetiis iidem Principes congreſſu penitus abſtinuere , ſparſo rumore , honoris prærogativa unum alteri nolle cedere. Clam verò Bojoario ab Allobroge data fides , ſe libenter ad Auguſtanum fœdus acceſſurum , dummodo a Cæſare parem obtineret Regibus cultum, & mediocri , de qua paciſcerentur , pecunia ſupremum in quatuor & viginti oppida imperium, quæ Germanico jure intra Galliam ſubalpinam fiduciaria nonnullorum procerum poteſtate detinebantur. Facilè dein cetera e communi utilitate , ubi tempus armorum foret, tranſactum iri . Hæc internuntio Abbate Vincentio Grimano patritio Veneto inter eos digeſta ; qui theatralibus ſcenæ ludis , quos celebrabat, in eorundem Principum familiaritatem ſe inſinuaverat ; non ſuſpecto proinde ejus colloquio, nec injecta ſolicitudine, ſeria ibi ludicris immiſceri . Quæ licèt egregie tacita compreſſaque ſimulando , Regi tamen inſedit opinio , quidpiam illic in ſe agitatum captaque turbandis rebus conſilia . Nec deſtitit iis per-

1690.

Ibi clanculum accedit ad fœdus jam antea inter Cæſarem alioſque initū, & quibus conditionibus.

Vincentio Grimano interprete.

1690. perſcrutandis avertendiſque arte uti. Ab Allobroge poſtulat, ut, cùm undique in ſe concitari intelligeret diriſſimam tempeſtatem, aliquid ſibi commodaret militum, amicitiæ pignus, reliquis indicium non alienæ ab ſe voluntatis. Ita, ſi negaret, nudaturum, infenſo illum animo eſſe; ſi concederet, vires ad nocendum paratas debilitaturum. Senſit Victorius conſilii ſagacitatem; tamen, cùm tanti non eſſet eludendæ, hactenus imparatus ab ſociorum ope, tres illico legiones ſubmiſit, gnarus, utiliter mediocri damno tempus redimi, quo nullum inſtanti ærumnæ præſentius remedium. Interea e Germania, Hiſpania, Belgio ad Galliæ fines exarſerat belli flamma. Et Allobrogem urgebat Cæſar ut poſita ſimulatione daret palam fœderi nomen in communemque hoſtem invaderet. Conſcriptus autem per eos dies diligenti delectu miles a Mediolanenſis provinciæ prætore Fuenſalidæ Comite ei, ut omnem abrumperet moram, faciebat animos; cunctaque ad rem gerendam matura videbantur. Itaque principio hujus anni Abbas Grimanus, cui deinde Cæſar Romanam Purpuram exoravit, ad Auguſtana pro creando Romanorum Rege Comitia, veluti ad ſpectaculum, profectus, ab ipſo Cæſare Ducis Allobrogum nomine diploma acceperat, quo huic regios honores decernebat addicebatque centum viginti millibus aureis

Ludovico Regi, ſagaciter id poſtulanti, tres ſubmittit legiones.

Palam denique tam Cæſare, ejuſque ſociis conjungitur, pactus conditiones, quæ deſcribuntur.

aureis nummis ſupremam in ea, quæ memoravimus, oppida poteſtatem. Statutæ ibi quoque fœderis conditiones. Præcipuæ fuerunt: Cæſar Sabaudo ſex armatorum millia, duodecim Hiſpanus auxiliatum mittat; ei quoque tricena in menſem ſcutatorum millia Hiſpanus, totidem Britannus pendat ad belli uſus. Captum Pinarolium Sabaudo cedat, Caſalis Hiſpano, reliqua hi duo inter ſe dividant. Quibus ita compoſitis, Grimanus legatione a Cæſare accepta Auguſtam Taurinorum petit, ut in quas ille ipſius nomine conditiones cum Victorio Amadeo convenerat, ſolemni formula ſatiſdaret; in quas alieno, curaret ſingulorum ſtipulatione fidem exonerari ſuam. Data in id celeriter opera & raptim geſtum, quicquid firmandæ rei opus erat. Extimulabat recentes ſocios atrox diſcrimen, quod Victorio impendebat & metus ne ſibi, eo victus, conſuleret ab initoque fœdere divelleretur. Veris initio duodeviginti Gallorum legiones Pinarolium advenerant Catinatio præfecto; qui ſignis ibi juſſis conſiſtere, ſuſcepto legati nomine in Taurinorum Aulam progreſſus, Principi denuntiaverat: nihil Ludovico Regi jucundius, quàm ſecum ut ſanguine, ſic & amicitia conjungi; nihil acerbius, quàm hujus ab eo neglectæ violatæque in dubitationem adduci. Cujus nunc quoque argumentum cœpiſſe ex tanta erogata Cæſari pe-

1690.

Catinatius cum exercitu in Italiam deſcendit.

Legationem ad Victorium Amadeum ſuſcipit.

1690. *Gallis ſuſpect.* pecunia, qua bellum poſſet ad Rhenum alere. Quin, ſi famæ credendum foret, compertum videri, non dubios solùm ſed hoſtiles infenſoſque adverſus Galliam animos gerere. Cùm ſimul hæc duo ſtare nequeant, ſciſcitatum miſiſſe: amici ne an inimici nomen hærere ipſe apud ſe malit. Si primum; daret obſides Verrucam Auguſtæque Taurinorum arcem, Gallico muniendas præſidio, quouſque, qui nunc diſcurrat ingenti ſtrepitu, deſedat armorum turbo. Si alterum; ſciret, incertos amicos in hoſtium haberi numero, & ſatius exiſtimari, cum iis confligere aperto Marte quàm ambiguam ſervare pacem; quæ (dum pari apparatu cavendum eſt) cuncta belli ferat incommoda, non leniat ægritudinem vincendi ſpe. Si in conſilium adhibeat pudorem, famam, cognitamque Regis erga ſe benevolentiam, ſedentem quoque in finibus Imperii exercitum unde ſibi non parum lucri aut damni obvenire queat, haudquaquam vereri quin propitios quam iratos Gallos habere malit; cenſeatque, e re ſua magis eſſe, obſtrictam tot vinculis cum regia domo neceſſitudinem quàm nondum expertam aliorum fidem periclitari. Ad hæc Victorius, modò querens acerbiſſimas conditiones, modò intermiſcens iram dolori, cùm nihil certi reſponderet captaretque in ſpeciem tempus ad deliberandum, re vera ad contrahenda ſociorum auxilia; Catinatio viſum eſt,

Suſpicionis amovendæ conditiones affert.

Atque accipiendas hortatur.

Quas, cùm rei cerentur, mitigat.

eſt, ſi remiſſius ageretur, ejus animum vinci poſſe. Igitur triginta illi dierum moram ad conſultandum dedit, inductis tamen in finitimam Pinarolio provinciam legionibus, quæ militari diſciplina & nulla popularium pernicie viverent. Dein ſub induciarum exitum conditiones mollivit, propoſuitque eas arces Pontifici maximo aut Venetæ Reipublicæ conſignandas quoad bellum maneret, data ab iiſdem fide, in Regis poteſtatem conceſſuras, ſi turbatum domi ab Duce foret. Quòd ſi vellet adverſus Mediolanenſem oram ſua Gallicis arma jungere; ſponſionem acciperet, non parum prædæ victæque regionis partem ſe relaturum. At Victorius imperato civium delectu acceleratiſque ſociis ad ferendam opem, ubi novit ſuos ad ſigna frequentes conveniſſe, & a Mediolani prætore quicquid militum bellicique apparatus pactum fuerat, adventare; denas etiam adeſſe Germanorum centurias, quinquagenas reliquas iter in Italiam arripuiſſe; Catinatio renuntiavit: diſcederet intra unum diem a Galliæ ſubalpinæ finibus, vim experturus, ſi recuſaret, eò vehementiorem, quò diu coercitam. Nam ſe in eorum partes tranſiſſe, qui non ignorarent: minitando diſtrahi animos, non conciliari; & Principum amicitias blanditiis, non metu, conglutinandas eſſe. Ille pudore percitus, quòd vana illectus ſpe tempus imparato dediſset ad ſe comparandum, acrius & nulla mo-

1690.

Dux omnes qualeſcumque repudiat.

Confirmatus Sociorum auxiliis bellum Gallis denuntiat.

1690. ra bellum aggreditur, traducto Padum exercitu prope Salutias. Regio erat in primis Italiæ fertilis ad alendos milites, imminenſque ad Cottiarum alpium radices quatuor vallibus; unde immittendi in finitimum Delphinatum Calvinianorum procellam magnoſque ibi ciendi tumultus Fœderatis injecta ſpes. Earumdem vallium Incolæ eam ſectam, quam ad unum omnes ſequebantur, ejurare ſuperioribus annis aut mutare domicilii ſedem coacti fuerant, ne Gallias, ab Ludovico Rege Catholicæ Religioni penitus reſtitutas, ea labe rurſus inficerent ſolicitarentque, quotquot ad veterem ſuperſtitionem dubios ancipiteſque adhuc animos retinerent. Pars ſimulate vera dogmata profeſſi, manſerant; alii exulatum ierant; non pauci dictis ingenioque ferociores, ne patriæ peſtem aliquam molirentur, in carcerem conditi. Nunc, ſi religioni ex arbitrio moderari ſuo permiſſum foret, operæ ſe pretium reddituros polliciti, data ea venia coierant armatorum ad tria millia duce Arnaldo quodam myſtagogo, accreverantque valida fugitivorum e Gallis Calvinianorum manu, quos illuc ex Helvetiis ductaverat Locheſius Marchio, tribuſque Subalpinorum militum millibus Parellæ Marchione duce. Sed hi ſtatim ad Victorii exercitum, ubi majus inſtabat periculum, remeare juſſi. Ceteri ſuas valles ingreſſi obviam habuere aliquot Gallorum cohor-

Catinatius quò exercitum inducit.

Quo conſilio.

Calviniani e Cottiis vallibus quo numero Sabaudiæ Copiis ſe jungunt.

cohortes, quæ raptim in proximo Delphinatu conſcriptæ citatis itineribus illuc deſcenderant. Bis terque velitari pugna & modica utrinque cæde congreſſis, nihil ad rei ſummam profectum eſt. Galli incenſis vicis direptoque inopi ceteroquin ſolo, ne externis alendis auxiliis ſufficeret, ad Catinatium ſe retulerunt. Calviniani tranſgredi alpes haudquaquam auſi, quietis illic Magiſtratuum ſolertia & Regis metu omnium animis, vix ulla memoratu digna re geſta, ludibrio habiti, ut fit, quia ſpe minores. Interea dynaſta oppidi ad S. Ruthi fanum cum ſex hominum millibus Sabaudiam intraverat, civibus, niſi arma ponerent, ferrum flammamque minitatus. Eos Victorius pro aris ac focis ſuorumque ſalute juſſerat ſigna ſequi, & plures ſe centuriaverant; ii præſertim quorum, ſi abnuerent, culpa ex natalium ſplendore ut major ita conſpectior. Aliquot etiam turmæ in hoſtium conſpectum venerant. Illico tamen pulſæ fugatæque ſibi atque otio, ut reliqui cives, conſuluere: fruſtra ab iis quæſita militari virtute, quorum ferox licèt ingenium diuturna pax & rei familiaris ſtudia emollierint. Ita Civaro, Senatus ſedes, totaque provincia in Gallorum jus ditionemque conceſſit. Una ſe tenuit Montis Meliani arx prærupto ſita jugo fretaque adventantis hyemis aſperitate. Quamquam interclusa commeatibus faciebat

1690.

Sabaudiam Galli invadunt, eaque potiuntur.

 ſpem,

1690. ſpem, citò ſubactum iri. Hoc inopinato rerum ſucceſſu haud parum decepta Fœderatorum opinio: plurimùm ab ea parte Galliam externis armis interniſque ſeditionibus lacerari poſſe. Adhuc tamen, cùm belli moles circa Padum conſiſteret, minus reliqua penſi erant, exiſtimantibus: parta, ubi majus eſt armorum momentum, victoria, minores ærumnas parvi duci aut mutuo ſarciri damno. Catinatius poſtquam paucos populanda exhauriendaque tributis regione tranſegiſſet dies, Salutias admoto exercitu oppugnare ſtatuit. Id ubi Victorio, qui ægre ab irrumpendo in hoſtes, dum prædas agerent, ſe ſuſtinuerat, cognitum eſt; ira & pudore percitus, confeſtim a Cariniano, circa quod oppidum legiones continebat, ſigna illuc vexillarios ferre juſſit. Monebat Lovignitii Comes ductor copiarum, quæ a Mediolani prætore venerant: paullum cunctandum temperandumque animis, ne tyro veterano militi objiceretur priuſquam reliquæ adeſſent, quæ firmarent aciem, Germanorum cohortes. Gallos interim fuga & morbo ſenſim deficere nec levi negotio ſuppletum iri. Boni eſſe Imperatoris, præcavere modico damno ingens diſcrimen; & libenter moderari unumquemlibet dolori ſuo, quem non ita multò poſt magno fœnore ulciſci & conſolari queat. Sed ille tacite irridens cauta in alieno periculo & ſalvis ſuis rebus afferen-

Catinatius Salutias oppugnat.

Victorius contra Lovignitii conſilium ſigna in Gallos movet.

rentem conſilia; fatus autem, plures vel hoſti dudum conſcriptos ſtipendia facere; nec ferendum, quòd impunè provincialium alimenta fortunaſque abſumeret; ſe tamen longe illum antecellere militum numero (quippe cui mererent armatorum tricena millia, Gallis duodevicena); rem quoque eò deveniſſe, ut impari licèt conditione certandum eſset; non enim aliter, quàm audendo, præcipitanti a ſe fortunæ retinendæ affore ſpem; in ſententia manſit. Trajecto Pado, Gallos acie inſtructa prope Staffardæ Templum ſtare vidit. Suos extemplo haud procul ab iis, ubi locus admonebat, ad pugnam digeſſit. Non modico ibi tractu ab læva ſtagnabant aquæ. Sylva dextrum tegebat latus. Hîc, utpote faciliori aditu, robur exercitus, auxiliares; illic novas ſuæ gentis legiones conſtituit, ratus paludem ſecuritati ac munimento ipſis futuram. Hanc, prius exploratam, Catinatius noverat ſtabili & æquo ſolo præbere jumentis greſſum, nec altis aquis conſurgere; proinde in ſpem venerat, ea ſi hoſtis ſe communiret, incautum ibi, velut impenetrabili loco, minuſque validum repertum iri. Nec opinio eum fefellit. Dum a fronte frequentibus jaculis inhorreſcit prælium, bellicoſiores turmas, quas idcirco cum aliquot machinis in dextro cornu locaverat, vada ingredi tranſverſamque ſubire imperat atque inſultare hoſtium aciem. Latus illud

1690.

Staffardæ locus, & initum ibi prælium deſcribitur.

1690. illud Italici nominis claudebant equites, qui pugnæ inſueti, cùm nec frænis conſternatos equos nec ſe diſciplina regerent, vix primis telis emiſſis terga dederunt. Pulſos fugatoſque Galli non ultra Padum inſequuti, in tyronum legiones quibus, ut diximus, lævum conſtabat cornu, verterunt impetum. Nec iſtæ diu fugam cohibuerunt, jam ante minutis tormentorum jaculis dilaceratæ; multaque fugientes cædes eſt conſequuta. At dextrum cornu, in tres quamvis horas producta pugna, veſtigiis hærebat, repellebatque hoſtem pari clade ferociaque. Diſciſſum nihilo ſecius pluribus ſubeuntium cuneis obrutumque pyrobaliſtarum machinarumque jaculis, pedibus tandem ſalutem quærere opus habuit. Cecidere in eo prælio Fœderatorum ad quatuor millia, octingenti capti; in his præter octo & ſexaginta minores duces, duodecim tribuni militum aut protribuno; bellica tormenta undecim. Quot Gallorum interempti fuerint, variavit rumor. Alii parem prope hoſtibus numerum tradidere; alii non amplius centum & quinquaginta. Ex pugnæ conditione nec ipſi adeo cruentam fuiſſe victoriam nec adeo facilem, conijci poteſt. Præmium fuit Salutiæ, Savilianum, Racconigium, aliaque minora oppida, quæ ſtatim portas aperuerunt. Victorius cum paucis turmis Carinianum ſe retulerat, eòque e fuga, miſſis

Gallis victoria ceſſit.

Aliquot oppida in ipſorum poteſtatem veniūt.

miſſis qui palatos colligerent, reliquiæ diſſipati exercitus convenerant. Ad eas perſequendas Catinatius illuc ſigna vertit. Quo ille comperto, firmatis valido præſidio cis tranſque Padum Cariniano Carmaniolaque munitis oppidis tranſmiſſoque amne, interius receſſit ad Montem Calerium. Invocata ſociorum ope, in tempore quinque Germanorum millia, quæ in id ipſum maturaverant iter, & quatuor Italorum ab Fuenſalidæ Comite ſupervenerunt. His undique contractis copiis ad vicena hominum millia in caſtris habuit, haud tamen auſus, ne pugnandi occaſionem offerret, ad hoſtem ire. Nam & Catinatius, Sabaudia Gallis extra diſcrimen poſita, tres per eos dies ab Ruthenſi dynaſta legiones acceperat quibus auctum exercitum Seguſium, unde munitur in Allobroges & Delphinatum iter, per tranſpadanam oram ducere inſtituit. Rem Victorius facili conjectura ſuſpicatus, ad illam frequentiori præſidio firmandam (tunc enim non plus ſeptingentis conſtabat) Lovignitium cum tribus peditum legionibus & ala equitum præripere hoſti viam jubet. Quod ubi Catinatius animadvertit, cum prægreſſum diſturbare agmen nequiret, aſtu retinuit. Simulato ad dextram itinere Fœderatos in metum adduxit, ne ad ipſos infeſta duceret ſigna. Hi proinde ſibi non parum veriti extenuato exercitu, milites

1690.

Fœderati ubi conſiſtunt.

Se-

Digitized by Google

1690. Seguſianis opem laturos in caſtra protinus revocarunt. Et Galli verſo iterum in lævam gradu Seguſio mœnibus ſucceſſere. Vixdum tormenta expedierant cœperantque admovere opera, Landæ Comes, qui oppido præerat, deſperato auxilio acceptoque ſibi & præſidiariis honeſto commeatu deditionem fecit. Inde ſæviente jam hyeme in hiberna diſceſſum. Gallos excepit regio illic ab ſe devicta; Fœderatos, præter aliquot Germanorum cohortes in Montem Ferratum deductas, Gallia reliqua ſubalpina, ne pateret hoſtium excurſionibus. Hibernorum incommodum eò majori doloris ſenſu Victorium perculit, quò nihil minus a Gallis timuerat, & cum ſociis lege fœderis caverat, aliò abituros. Civium miſertus, Ludovicum Regem oravit ut igne ac ruinis abſtinendum juberet, nec de tribus remittendis legionibus, quarum ei operam commodaverat, tacuit. Harum majoribus minoribuſque præfectis facta, quò vellent, abeundi copia, gregarii ſeu illecti ſeu ádmoniti Gallicæ militiæ nomen dederunt: De hibernis, ut non immitia forent, conceſſum. In reliqua Italiæ parte nihil turbatum. Nam Caſalenſe Gallorum præſidium, ne populando hoſtiliter diſcurreret, diſpoſitis circa ſtationibus coercitum; & Vaſtallæ munitiones, quæ Mantuæ Regulo Gallica pecunia, ut fama erat, veluti altera Mediolanenſi provinciæ compes,

Seguſium Galli oppugnant, atque obtinent.

Utrique in hiberna diſcedūt.

Vaſtalla & Brixellum munitionibus denudantur.

pês, excitabantur, minitantibus Hiſpanis, ab eo dejectæ. Expeditus quoque horum admonitu Padi curſus, nudata bellicis tormentis ad Brixellum ripa, ne navigantibus e Mutinæ Ducis arbitrio fieri poſſet mora. Hoc anno Mariannem mors abſtulit Galliæ Delphinam, poſtquam egregia trium liberorum ſobole auxiſſet regiam domum; Gregorium quoque Carrafam, magnum Hieroſolymitanorum Equitum Magiſtrum, in cujus locum Vignancurtus Gallus ſuffectus eſt; & Philippum Vilhelmum Octovirum Palatinum, illuſtrem Octovirali dignitate cum nobili ad Rhenum Imperio in familiam inducta, totque ſplendidiſſimis nuptiis, quibus filias conjunxerat Leopoldo Cæſari, Carolo Hiſpaniarum, Petro Luſitaniæ Regibus, Franciſco Parmenſium Duci, regioque Principi Jacobo Sobiesko; ſed æque inſignem calamitatibus, quæ mox illum, ut ſunt rerum humanarum viciſſitudines, quammaxime divexarunt; hoſtium vi direptis ejus oppidis, vaſtatis agris, decuſſis munitionibus, civibus expilatis. Adeo proſperitas, ſi extollat animos & priſtinæ fortunæ oblivionem inducat, plerumque nocet.

1690.

Marianne Delphina moritur.

Item Carrafa, Magnu. Hieroſol. equitum Magiſter.

Et Philippus Octovir Palatinus.

Finis Libri Octavi.

Liber Nonus.

1690.

Cæſar ad pacem cũ Turcis renovandam inclinat, ſed honeſtis conditionibus.

FŒDERATOS deceperat ſpes, non magnum nec diuturnum ſibi cum Gallis, quos undique circumvenerant, negotium fore; ſuoque damno perceperant, ſe vix ad eos propulſandos, nedum conterendos, diſtracto alibi Cæſare, ſatis eſſe. Hunc itaque ad reconciliandam cum Turcis pacem vehementer impellere; & ipſe, quam ejus proponendæ ſolicitandæque rationem iniret, ne tenvioribus quàm antea conditionibus accipienda foret, ſedulò deliberare. Nan Sulficarus & Maurocordatus Solymani Regis legati, qui adhuc inviti Comaræ honeſta cuſtodia detinebantur, miſcendis aſtute querimoniis, quòd abire ſibi non liceret, ea de re congredi recuſabant; rati, ſuos poſt mutatam ſuperiori anno belli fortunam iiſdem, quibus paullo ante, legibus paciſci nolle. Denique e re præ-

Ad quos deſcendere Turcæ legati tergiverſantur, & quã ob cauſam.

præſenti nihil magis opportunum viſum eſt, quàm Equiti Huſſejo, Vilhelmi Regis legationem Byzantii obituro, negotium dare ut ejus nomine finiendi belli ſermonem cum Viſirio inſtitueret: functuſque pacificatoris officio, diceret; ſi utrinque armorum tæderet jam prope de conditionibus, quibus redintegrari amicitia poſſet, conveniſſe. Quippe recuperata a Turcis Alba græca, explicataque Servia & Sclavoniæ parte, utrumque Imperium iis modò contineri finibus, quos ipſi propoſuiſſent. De una ſolùm ambigi Tranſylvania, utri vectigalis accedat. Nam Turcas firmum ratumque haberi diploma Tehelio datum, compertum erat, non pugnaturos; idque ille cùm non ignoraret, clam per amicos eam ſibi a Cæſare fiduciariam conquiſierat, pollicitus, Hungaricos tumultus hoc pretio ſe compreſſurum. At prompte repulſa rejectaque non ſine ſtomacho temeritas poſtulantis perfidiæ præmium. Re apud Cæſarem deliberata, Poloni Venetique traducendi in ſententiam erant, & nullo negotio traducti ſunt; utrique jamdiu feſſi bello, & ſe lucrum ex hoſtibus pace magis quàm armis facturos arbitrati. Id unum in ſermonem venerat, quo pacto nomen ipſi legatumque Vilhelmi ad rem adhiberent, quem nondum Regem appellaſſent & nulla ei ſecum intercederet conſuetudo. Placuit, ne hinc mora aut impedimentum fieret, Cæſarem, quas conditiones vellent,

1690.

De ipſa Byzantii agenda mandatur Legato Britannico.

Tehelius clam Cæſarem roget de Tranſylvania ſibi fiduciaria tradenda & repellitur.

1691.

ré, cènſeri vellet. Subijcere autem ſe modò atque Aulam moleſtis implicatos curis impediri, quominus de tranſigendo coirent convenirentque. At ubi mox ad exercitum venerit, otioſe illic agitari negotium & , ſi hoſtes vacuum facilemque afferant animum, abſolvi poſſe. Ita cunctando ſimulandoque arbitratus, bellici apparatus negligentiam in eos inducere, quem ſubdole omni conatu urgebat adornabatque. Nam bellum ſibi penitus propoſuerat, obtinueratque ejus odium Turcas admodum poſuiſſe, facta e proſpero dudum armorum ſucceſſu ſpe, Othomanorum Imperium, ſi paullum ipſi durarent ad belli incommoda, citò in priſtinum robur dignitatemque rediturum. Hunc ut iis animum confirmaret augeretque (levi ſiquidem momento vulgus impellitur) Solymanum ineunte hyeme Byzantium duxerat triumphantis in morem, obtuleratque civibus veteris fortunæ ſpeciem eò jucundiorem, quò tot ærumnis obliterata quotidie magis reviviſcere videbatur. Nec opinio ab re diſtabat. Nam Germani per hyemis tempus Poſſega principe Sclavoniæ urbe e cunctaque, præter pauca ad Dravum amnem munita oppida, provincia deceſſerant; & inſula, quam exadverſum Orſovæ bipartito curſu Danubius facit, in Turcarum poteſtatem venerat. Illam pridem Germani caſtellis munierant impoſuerantque machinas, flumen hoſtibus, ne rati.

Quem libenter ille audire diſſimulat ac tempus, fallendo, dari ſibi poſtulat.

Interea ad bellum ſe comparat.

Germani e Sclavonia diſcedunt.

Orſovæ inſulam objectam amittunt.

1691. ratibus interius penetrarent, interdicturi; & quia illinc facilis exploratuſque aditus in Tranſylvaniam Valachiamque. Quinque militum centuriis detinebatur Sucheſiæ legionis protribuno duce. Ante & poſt receptam a Turcis Albam græcam non ſemel armis tentata vim eluſerat. Fame demum coactum præſidium deditionem fecerat, accepta fide, inviolatum in Tranſylvaniam deductum iri. Quamquam Barbari more ſuo fidem fefellerunt, cauſati nimis illud & deſperata jamdiu ope ſe tenuiſſe. Protribunus capite plexus, milites ſervitute. Non ita multò poſt duplici iidem agmine Tranſylvaniam ingreſſi aliquam Germanis cladem intulerant. Viſirius, priuſquam ab exercitu diſcederet, ingentes copias Temeſuarii, Varadini, Lippæ, Julæ in hoſtium finibus collocaverat, quæ per hyemem quidpiam, prout occaſio & anni tempus ferret, auderent. Hæ primò Tybiſcum tranſgreſſæ, proximam fluvio regionem ſtipendiariam ſibi, ut ferro ac flamma abſtinerent, fecerunt. Dein majus aliquid molituræ, frequenti globo in Tranſylvaniam irruperant; dum ſimul compoſitò Tehelius e Valachia cum valida Scytharum & perduellium manu itemque Turcæ Claudiopolim profecti, Germanicum præſidium an excidii metu ſe dederet, pertentarunt. Cùm nihil pacati accepiſſent nec animus aut vires ad oppugnationem ſuppeterent, ſuburbiis incen-

Deditis Turcæ datâ fidem fallunt.

In Tranſylvaniam irrumpunt.

inceſis vaſtatiſque agris ad ſe remeabant, veriti agmen præda onuſtum legionibus obijcere, quas raptim ad ſeptem hominum millia Badenſis collegerat ex hibernis. Præmiſerat autem cum Herbevillenſis legionis protribuno levis armaturæ equitum turmam, quæ hoſtes carperet ac retardaret. Stetere iſti obverſa fronte collatiſque ſignis partem irruentium trucidarunt, partem cœperunt cum ipſo duce, reliquos in fugam impulerunt. Non auſi tamen Badenſem expectare, qui non procul diſtabat. Quin ad properandum iter quidpiam gravioris prædæ & quinque campeſtres catapultæ a tergo in ejus poteſtatem relictæ. Interea Tehelius ſaltum intraverat, quà in eam provinciam itur taciteque per anfractus montium in inſidiis locaverat, quantum militum licuit; ſpe illuc, ut jam antea expertus fuerat, ſubituros Germanos ad obſepiendam in anguſtiis viam. Nec falſa fuit ſpes. Auguſtus e regnatrice Hannoveræ domo, inſtructor exercitus, cum mille & quinquaginta equitibus ad ipſum repellendum confeſtim moverat. Ubi ad montes Valachiam Tranſylvaniamque dividentes venit, lætus hoſtem illos non ſuperaſſe (nemo ſiquidem comparebat) inexploratò agmen eò infert, loci opportunitate (nam in aperto ſuos milites longe hoſtium numero minores obijcere haudquaquam poterat) aditu prohibiturus. Cùm repentè circumfuſus

1691.

Receduntque & quare.

Germanorum legio incautè progreſſa a Tehelio trucidatur.

1691. fuſus telorum procella cecidit ipſe, totaque penè legio deleta eſt; pauci fuga ſe ſubduxerunt. Tehelius paullum progreſſus caſtra poſuit; priuſquam ultra tenderet, exploraturus quid Turcæ ex oppoſita parte geſſiſſent. Miſſi, qui certi quidpiam afferrent admonerentque ſuarum partium populares datæ fidei: ſe ad arma ubi Thracum ſigna in conſpectu haberent, ituros; citò renuntiarunt: Thraces diſceſſiſſe, & excubantibus Germanis quieta omnia; nec eſſe quemquam adeo vigentem animo aut deſperatione, ut incerto exitu ſe ſe in diſcrimen offerre vellet. Itaque remigrandi conſilium cœpit, metu ne mox irruentibus Cæſarianis, ſibi certum exitium ſubeundum foret. Hæc in vulgus diſperſa, Viſiriique arte commentis aucta, militem ac pecuniam compreſſis querelis in belli uſus expreſſerant: ærumnarum tolerantiſſimo, ſi ſpes accedat, deſiderio priſtinæ fœlicitatis. Apparato bello, gravis alia Viſirium circumſtabat cura. Solymanus aqua intercute laborabat; qui morbus, Regiæ ſecreto adhuc concluſus, in publicum prodierat dum ille aperta lectica Byzantium intraverat. Properante ejus morte, Mehemetis exauthorati Regis Uxorem, divitiarum conſiliique potentem fœminam (nam ne Conjugem proponeret, plura impediebant) cupido inceſſit evehendi in paternum ſolium Muſtaphi majoris filii, quem flos ætatis (annum agebat quintum ſu-

Qui deinde e Tranſylvania recedit.

Conjuratur in Byzantii Regia.

ſupra vigeſimum) excelſaque indoles populo militiæquæ commendabant. In id veteres clientes, aulicorum etiam, prophanæque religionis antiſtitum quoſdem ſolicitaverat, manaveratque ad exercitum conjuratio; facilè repertis, qui compendiò & in re plauſibili ac populari potentiam atque opes ab novo Rege ſibi conciliandas ſuſciperent. Captum ab iis conſilium, & quid huic explicando fieret, non diu latuit Chiuperlium. Nec mora, diſſipandum aggreditur; haud inaniter arbitratus, a Principe, quem ipſe regno non deſtinaſſet, ſe in ordinem coactum iri; tantæque fœlicitatis auctoribus dari præcipuas imperii partes: nunquam neglecto hujuſmodi beneficio, niſi exprobretur; aut qui dederint, ejus merito ſupremæ auctoritati imminere velint. Tacitus conjuratorum alios in exilium pellit, alios occulte necari jubet. Solymano, ut Byzantio diſcedat cum regia domo, ſuadet; turbulentis ingeniis vires atque audaciam addente ea populi multitudine, quæ ſemper rerum novandarum, quippe cui vires non deſunt, ſuſpecta eſt. Ita reliquorum, qui rem moliebantur, conſilio debilitato, cùm paullo poſt ſub æſtatis initium Solymanus morbo confectus Adrianopoli deceſſiſſet, Acmetem ejus fratrem, ut in animo habuerat, e liberali ſed arctiſſima cuſtodia eductum, nullo animorum motu ad imperium extulit. Compoſitis rebus, ac-

1691.

Sed fruſtra; captum a Conjuratis conſilium diſſipante Viſirio.

Et quomodo.

Solymanus Rex moritur, cui frater Acmetes ſuccedit.

1691. acceptaque ab regnandi inexperto, quæ vellet, agendi poteſtate, ſe totum convertit ad belli curas eò alacrius, quò Rex ferociam, quæ pro virtute Barbaris eſt, oſtentabat, mandaveratque ad revocandam Othomanorum gloriam, quicquid ſupereſſet virium, intendi. Præmiſſis legionibus, quotquot undique ſeveriori delectu collegerat, Viſirius medio quintili Albam græcam pervenit, falſa imbutus opinione: Germanos, ſpe deceptos propinquæ pacis incurioſe ad rem bellicam ſe comparaſſe. Illam Cæſar optabat quidem, ſperabatque coalituram fretus maxime Huſſeii Britannici legati literis, nimiùm creduli ſubdolis Viſirii verbis vel ex animi facilitate vel præoccupante eventum deſiderio, quòd ita ſui Regis intererat. Ex iis quoque Sarmatiæ Regem Venetoſque monuerat: legatos mitterent, qui cùm Viſirio de ſedandis inimicitiis tranſigerent, ubi mox medio inter exercitus loco de hac ipſa re cum Badenſi congreſſurus erat; in iſtamque ſententiam Comitem Ferdinandum Marſilium citatis, ut venerat, equis referre Huſſejo reſponſum juſſerat. Nunquam tamen augendi Hungarici exercitus remiſerat ſtudium, haud neſcius ex armorum potentia ſtatui pacis conditiones; & hoſti imparato ad bellum aut nullam aut iniquam dari; hærebatque menti non tantùm accepta dudum a Turcis clades obitumque diſcrimen, quàm

Viſirius in Hungariam ad bellum pergit.

Falſo promittens de pace ibi ſe acturum.

quàm quod longe majus inſtabat, ni præcaveret. Etenim Badenſis ineunte anno in Aulam regreſſus, palam renuntiaverat: nec Tranſylvaniam ſeptem legionibus, quas Comiti Federico Veteranio inſtructori exercitus ad eam tutandam reliquiſſet; nec Pannoniam iis copiis, quibus ipſe præfuerat ſuperiori æſtate, retineri poſſe. Id ſi parum Cæſari penſi eſſet, præberetque aures Gallicum urgendum bellum ſuadentibus, longe minori Hungarici ſolicitudine, iſtud alteri gerendum daret; ſe quidem non amplius commiſſurum, ut hoſtibus objectus impari exercitu, minus iterum famæ ſuæ conſuluiſſe videretur. Hæc Cæſar ſecum animo volutans, cuncta, quæ ad Turcicum bellum ſtrenue perſequendum erant, providerat. Per hyemis tempus Curtzenum quemdam, ejus gentis & linguæ peritum, ad magnos Moſcoviæ Duces oratum legaverat ut nihil ardoris, quo adversùs communem hoſtem arma ſuſceperant, reſtinctum vellent, curaveratque ab Joanne Rege, miſſis in id quoque legatis, ſopitos illorum animos excitari. Quamquam hoc anno nihil profectum vigente ibi adhuc factionum lue, quæ vires ad externos uſus, ut in affecto corpore, penitus concidebat. Et in Poloniam miſerat Thuni Comitem, qui Regi e communi utilitate gerendi belli conſilia ſubijceret. Nam hactenus magnificis expeditionibus, nul-

1691.

Cæſar nihilo ſecius ad bellum ſe comparat.

Legatum ad magnos Moſcoviæ Duces mittit excitandos adverſus Turcas.

Et in Sarmatiam cum mandatis.

1691. lo Fœderatorum proventu & ſua ſemper fruſtratus ſpe damnum retulerat. Diceret autem in utriuſque rem fore, ſi Moldaviam Valachiamque ſibi ſubigendas proponeret, quæ in ejus ditionem redactæ firmatæqne validis præſidiis, Tranſylvaniæ Sarmatiæque munimento eſsent. In id Germanorum equitum duo millia, tria peditum, opem offerret, dum tamen, poſtquam Ver iter aperiret, ala ſenum Polonorum millium acceptis commeatibus excubaret adverſus Scytharum excurſiones, quoad Rex per æſtatem cum exercitu adveniret, ad Tranſylvaniæ fines. Et huic provinciæ non minus Cæſar ab internis ſeditionibus cavendum ſtuduerat auctis præſidiis, firmato popularium ſibi fidiſſimis Abaffii pueri Conſilio, dataque fide: nunquam aliud, quàm quod antea Thracibus, quadragies millium Hungaricorum aureorum vectigal, præter militarem annonam ſæviente per ea loca bello, imperandum fore. Quodque præ ceteris curandum fuerat, ad quadraginta Germanorum millia cum octo inſuper Hungarorum, quinque Arauiſcorum legionibus ſuppleverat in Pannonia exercitum, re frumentaria omnique bellico inſtrumento inſtruxerat ornaveratque. Quæ poſtquam comparata, Badenſis, qui adhuc hæſerat, bellum illic adminiſtrandum ſuſcepit, ſpe quoque illectus, ſupremam vicariamque Cæſari armorum præfecturam, quam poſt Lotharin-

Tranſylvanos quoque ſibi conciliat æquis conditionibus.

Exercitum auget.

ringii mortem cupide appetebat, ſibi tandem, ſuo ſi res auſpicio fœliciter eveniſſent, mandatum iri. Viennam, unde ad Conjugem in Bojoemum diverterat, regreſſus perceptiſque reconciliandæ cum Turcis amicitiæ, in quas convenire poſſet, legibus ad exercitum æſtatis initio iter arripuit. Dravo amne ad Murſam traducto ſigna per Sclavoniam ducit, falsò ipſe pariter opinatus, modicas eſſe Turcarum copias & nihil, quod otio reſtituendo moram faceret, auſuras. Animus erat, adductis in conſpectum legionibus illos ad pacem largiori pretio redimendam adigere, conſpicatos durum ſibi cum tanto exercitu fore bellum. Ubi Viſirio compertum eſt, ingreſſos deſerta cultoribus loca, unde nihil ad victum ſuppeditari poſſet, Germanos ad ſe venire, oblatam eos perdendi occaſionem fovere ſtatuit. Trajecto Savo caſtra metatur, ſimulando metu, prope Semlinum tutiſſimo in loco ad confluentem. Frontem & lævum latus, quæ Danubio & Savo ipſo non tegebantur, vallo foſſaque & centum quinquaginta curulibus tormentis protegit. Simul, velut in pacem intentus officiis hoſtem lenire vellet, mittit, qui Badenſi proſperum ejus adventum gratularetur renuntiaretque ſe omni ope ac benignitate acceleraſſe Marſilii reditum ad Huſſejum. Tantò alacriùs Germanis iter proſequutis non prius diſplicuit initum conſilium, quàm

1691.

Badenſis ejus imperium ſuſcipit.

Ducitque in Turcarum conſpectum ad pacem inſtaurandam intentus.

Viſirium tuto ſe continentem loco reperit.

Ab eo ſpe pacis illic detentus.

1691. quàm peragrata regione ad hoſtes perventum eſt. Tunc enim & ſuum diſcrimen, & Viſirium calliditate præſtaſſe, palam fuit. Convecto vivendum erat, & lintribus per Danubium Salenkemenum uſque, inde vehiculis ad exercitum commeatus afferebantur. Nam ulterius navigationem vetabat fluviatilis Turcica claſſis, quæ Germanicam cymbarum numero ac viribus ſuperabat. Patebat autem, eam interius immiſſam, obſeptoque penitus amne, ipſis alimenta non parum interdicturam. Jam biduum ad hoſtium caſtra commorati fuerant, & nullus ab iis aut pacis aut agendi conventus exibat ſermo; nec ſpes erat, altis munitionibus concluſos, invitos elici ad pugnam poſſe. Itaque Badenſis, dato vaſa colligendi ſigno, viam exercitum, priuſquam gravior annona fieret, regredi juſſit. Id Viſirio haud inopinatum; præceperatque animo quid, ne ſibi hoſtis elaberetur, gerendum foret. Extemplo immittit equitum alam, quæ abeuntibus a tergo inſiſteret carperetque agmen ac retardaret. Ea dictum ferociter exequebatur, nec refrenari poterat niſi obverſa a Germanis fronte initaque pugna. Dum propterea tarde iter expediunt, Viſirius per occultas valles & oppoſitum nemus ab lævo latere cum quinquagenis tantùm levioribus machinis expeditum exercitum ſilentio circumducit celeri adeo greſſu, ut præoccupa-

Qua callide illuſus, & annona laborans viam redit.

Quam ei Viſirius, per obliquum iter prægreſſus, obſtruit.

cupato Germanis itinere ſub noctem inſederit 1691.
editiora loca prope Salenkemenum, quà iis ſi progredi vellent eundum erat. Bucoja ibi legio & aliquod Hoffchirchiæ Caprariæque ſupplementum reperta, quæ ducenis quinquageniſque plauſtris commeatu onuſtis viam non longe ab Danubii ripa, ne ab hoſtili claſſe diriperentur, munitura erant. Pars militum, dum obnituntur, cæſa; pars cum imbelli ſuorum turba, impedimentis & re cibaria, non exigua præda in hoſtium poteſtatem venit. Nox feſſis labore viæ Turcis ad quietem data. Poſtridie juſſi vallum erigere, frontem continuatis operibus per ſaltus ac tumulos muniunt; ſiniſtrum latus Danubio admovent; dextrum carris inter ſe illigatis concludunt. Turcas iter præripuiſſe, nunciatum Germanis eſt a Bucojæ legionis protribuno, qui cum quatuor aliis, nando, neci aut ſervituti ſe ſubtraxerat. Miſſi, qui rem cominus explorarent, illicò retulerunt, cuncta exadverſum oppleta hoſtili exercitu, atque aggerem duci. Perculit id omnium animos in variaſque diſtraxit curas. Miles aſperos clivos, jam ſibi haud parum de via laſſo difficiles; nunc præſidiis, operibus, catapultis impeditos, inexpugnabiles cogitare. Ducibus ante oculos obverſari interclusos penitus commeatus, claſſe Turcica ad obſepiendum amnem altius provecta. Badenſis præter hæc pudore confici, quòd in-

Improviſo duas Germanorum legiones intercipit ac prope delet.

Vallum ubi, & quo conſilio erigit.

Ea de re Germani vehementer anxii, & quare.

1691. incautus in tantam ærumnam exercitum conjeciſſet, ſeque Viſirii arte illuſum conſpicaretur. Quæ dum e ſuo quiſque ingenio taciti ſecum volutant, datur ſtatuendi tabernacula caſtraque muniendi ſignum. Opportuni aderant colles & duo non amplius paſſuum millia ab hoſte diſtabant. Interea Badenſis convocato militari Concilio: non ego vos, inquit, duces, ad conſultandum accerſivi, quo remedio præſens calamitas propelli debeat; unum ſiquidem, pugna. Non ad deliberandum, hæc ne confeſtim an aliquo facto legionibus ad reſpirandum ſpatio, ineunda ſit. Quò enim plus temporis hoſti datur ad ſe communiendum, eò difficilius ad illam pertrahi ac vinci poſset. Non denique ad acuendos veſtros animos, ut qua eſtis bellica ſtrenuitate, ejus memorabile exemplum in tanto diſcrimine exhibeatis; nimis quippe id ſuadet diſcrimen ipſum; omnium maximum, extimulante uberiori gloria, forti viro, ut audeat, incitamentum. Militum cauſa coeundum fuit, quos jam territos periculi magnitudine, penitus, opinor, priuſquam in aciem exirent, profligaret animo conceptus pavor, ſi ad illud explicandum nulla a nobis quaſi deſperatis rebus agitari conſilia cernerent. Nam vera & ſolida virtus, quæ difficultate grandeſcit, paucorum eſt. Dum verò nos diu multumque ſibi conſulentes vident, & mox

Badenſis ad Majores duces concio.

& mox intelligent (ſic enim divulgare oportet) re noſtris expenſa ſermonibus , nullam ſibi eſse timendi cauſam , quin prælium certam victoriam , ingentes manubias pariturum ſit ; quid non iis acceſsurum fiduciæ putandum eſt ? Noſtis caſtrenſem conſuetudinem. Si bona ducum ſuorum opinione milites imbuti ſunt , dictis fidunt , & quicquid ex eorum ſententia gerunt , bene ac fœliciter ſe geſturos arbitrantur . Mente autem præoccupatam victoriam rarò eventus non ſequitur . Huc igitur contendite veſtrum ſtudium ; firmate legionum robur ingeſta opinione : nihil e re magis accidere nobis potuiſse , quàm ut hoſtes properato curſim itinere illic ſe collocaverint , unde ipſorum nemini vitam victoris gladio , impedimenta prædæ liceat ſubducere . Sit iſta conventus noſtri ſumma . Quicquid reliquum , quód ad nos pertinet , paucis expediam . Aciem pugnandique ordinem , niſi quis afferat meliora , ſic arbitror inſtruenda . In duo exercitum partiar . Dextrum cornu habeat peditum majorem partem ; quippe quod nequeat , alluente Danubio , circumveniri ; & iſthac ad impellendam Turcarum frontem tranſiliendæ ſint munitiones. In lævo equitatus pene omnis . Hunc enim circumducere in latus hoſtium ; tranſverſumque agmen , vehiculorum ludibrio potius quàm lorica protectum , invadere in animo eſt . Nec 1691.

Proponit pugnandi ordinē.

1691. vana ſpe ducor, hinc nobis initium vincendi fore. Ubique tamen victoriam, duces, in noſtras partes allicite ſtrenuitate veſtra. Nam cur diſſimulem, quod nimiùm fortaſſe ante veſtros oculos obverſatur? Agitur hoc prælio non una armorum gloria, non Imperii dignitas, non ſplendor Germanici nominis, quæ ſi aliqua obſcurarentur labe, detergi poſſent; ſed extrema florentiſſimi exercitus, Pannoniæque, ne dicam Auſtriæ, ſalus; quam retinere nonniſi vincendo licet. In memoriam revocate, quanto noſtrorum civium ſanguine, quantis effuſis opibus exantlatiſque laboribus repreſſa adhuc fuerit immaniſſimi hoſtis audacia; nec dubito quin omni conatu anniſuri ſitis ut ne rurſus, nobis victis, eò ferocius irruat, quò ab irruendo adhuc cohibita. In mentem veniat, qui foret Cæſaris luctus, Patriæ gemitus, noſtræ gentis diſcrimen, ſi nos Barbarus, non, inquam, ferro contunderet, quod nunquam potis fuerit, ſed veluti clauſtris concluſos, fame necandos, veluti per jocum ſibi aſſumeret; & ſedulam profectò dabitis operam, ut eum calliditatis ſuæ, qua iſthuc nos adduxit, pœniteat. Sibi modò Viſirius plaudit, elatuſque animo recenſet ſuorum clades, tamquam majus daturas triumpho decus, ſibique, quod tanti fuerit, ultoris nomen. Verùm ignorat, generoſa indole viros aliquando gloriæ ſaturitate nervos remit-

mittere; objecto pudore, nunquam non vehementius intendere ac flectere in argumentum virtutis, quòd erraverint. Dimiſſo concilio, magnos Præfecti privato ſermone militibus addunt animos. Pugna in poſterum indicitur. Prima luce movent ſigna. Ab dextera viginti peditum millia in duas acies diviſa Erneſtus Starembergius legatus, Soucheſiuſque prolegato in hoſtem ducunt. Equeſtres Neoburgica Holſatianaque legiones ad occupandum in via tumulum prope Danubium, quatuor aliæ ad firmandum agmen per ripam progrediuntur. Badenſis in hac parte primam locavit operam. Reliquus equitatus & aliquot peditum cohortes ad lævam, quà in planitiem deſcendunt colles, ſe circumfundunt. Viſirii ſub imperio erant quinque & viginti equitum prætorianorum millia, decem provincialium, Scytarum totidem, quindecim Janizarorum legiones. His adversùs dexterum Germanorum cornu vallum prætexuit, & prope flumen validam ſtatuit prætorianorum alam. Ipſe equitatum lævo oppoſuit. Machinas in ſublimiori colle quaquaverſum minitantes locavit. Suarum uſus prope inutilis Germanis fuit, difficili ductu ſeu per impeditas collium ſemitas, ſeu corrupta pluvialibus aquis via. Dexterum agmen breviori itinere primùm concurrit ſubiitque vallum, & in foſſam ab aliquot pyrochitrophoris audacter deſcenſum. Sed tanta e

1691.

Pugna indicitur, & enarratur.

Varii ejus eventus.

1691. catapultis pyrobaliſtiſque repente emiſſa telorum procella ut fœdiſſime anteſignanos diſcerpſerit, reliquis metum ac moram fecerit. Quod ubi a Janizaris animadverſum, ſtrictis gladiis in apertum proſiliunt conſeruntque pugnam. Simul Danubiana illa Turcarum ala in oppoſitum equitatum irrumpens, duas legiones, quæ primæ proceſſerant, circumvenit. Utrinque ibi erant veterani milites; atrox proinde cruentumque prœlium. Non diu tamen Germani ſe tenuere, eo equitum globo prope deleto, peditatu confuſis ordinibus referente gradum & vix non in fugam conſternato; cùm ſecundam Badenſis promovit aciem. Ad ejus impetum Barbari cohibuere gradum; pugna rurſus æquatur, cadebantque invicem perculſi gladiis integri fere ordines. Fortè ibi ſuperabant numero Thracii equites; & pars objectas, quas memoravimus, diſtinebat Cæſarianorum turmas; pars tranſverſa in pedeſtrem eorumdem aciem ſe ſe inferebat. Cui tamen non diu poſt ſeu vires ſeu animus defuit ad obnitendum; quin & conterrita duabus Capraria Scraviaque legionibus in ejus conſpectu vix non propemodum occidione occiſis, iterum diſſolvebatur. Nihilo ſecius Ludovicus Badenſium Princeps, cujus eo die memorabilis bellica virtus fuit, haudquaquam deſpondit animum. Turmas aliquot præſidio impedimentis relictas accerſi atque illico

Summa Badenſis laus.

co

co in pugnam adverſus barbaricum equitatum, 1691.
lacerantem peditum latus, induci jubet. Protruſo eorum ope equitum cuneo, reſpiravit acies; quam Badenſis percurrens, elata voce milites hortabatur, ut hærentes veſtigio integrarent pugnam ac meminiſſent: non alia ſibi hoſtium arma, non alia objici corpora, quàm quæ ſæpius viciſſent; nec modò ſecus futurum, ſi perinde, ut iiſdem viribus, polleant animo. Ab his dictis inſtaurant ordines, pedem & ſigna rurſus conferunt; lentius autem, ut fit, cùm non bene antea cœptis ſucceſſit. Turcæ quoque, debilitata vincendi ſpe, pugnæ ardorem remiſerant minuſque audebant, nec ibi prælium habiturum inſignem exitum videbatur. Id enimvero præter cetera Badenſem terruit, conſcium, nihil ſuis inter victoriam extremamque calamitatem medium eſſe. Itaque ſecum adductis Dunevaldo, Styrum, Caſtellio, Hoffchirchio majoribus ducibus, ſiniſtrum in cornu ad equites curſum contendit, illac hoſtem perfringere conaturus. Jam & inibi directa in hunc modum acie certamen incœperat deſæviebatque. Quinque præierant Hungarorum Arauiſcorumque millia, qui dolabris diſcinderent connexa vehicula viamque ſubeuntibus aperirent. Ala ſimul Germanorum equitum, ut hoſtibus vel a tergo inſiſteret, ſe dilataverat, æquantibus tamen ex adverſo Turcis frontem, ne circum-

1691. cumfundi poſſent. Hinc plurium turmarum concurſu major ſtrages, & varia cedentium alicubi, alicubi protrudentium, utriuſque partis fortuna. Præcipuum momentum circa Viſirium erat ductantem ferociſſimos prætorianorum, quibus equeſtri ſuorum robore Germani pariter obnitebantur; quamquam ægre illorum ferociam repellere nec jam ſtare compoſitis ordinibus potis eſſent, inclinaretque ad Turcas victoria. Dum ſe ita res habet, illuc Badenſis advenit, perrumpenſque ſuorum agmen: una equites, clamabat, in vobis poſita vincendi tuendæque ſalutis fiducia; quam niſi impleatis hoſte cæſo profligatoque, moriendum aut ſerviendum eſt. Id animo, me pugnantem oculis proponite. Reliqua vobis ſubjiciet fatalis neceſſitas & virtus veſtra. Plura loqui tempus non patiebatur. Ducibus, qui ſecum venerant, comitatus primiſque immixtus ordinibus ſe ſtrenue pro communi ſalute in diſcrimen obtulit. Ejus exemplo dedere impreſſionem Germani adeo ferociter ut interrupta primùm, mox diſciſſa vulneribus & multa clade hoſtium acie, victoriam ad ſe denique revocaverint. Quod ubi vidit Chiuperlius; qui adhuc imperio, conſilio, manu, clariſſimi imperatoris partes expleverat; ultima tandem ut conaretur, facto prætorianorum validiſſimo cuneo in adverſum agmen concitatos equos permittere ſecum jubet. Ibi ut patre

Unde primùm, & quomodo Germanis victoria incœpit.

Viſirius pugnans moritur.

patre Mehemete, Acmete fratre dignum erat, 1691.
ferociſſime pugnans, extremum glorioſa morte confecit diem. Viſirio mortuo, victoria ubique ad Germanos inclinavit, ſed ita út ardorem Turcæ non imminuerint. Militum, quos ipſe in pugnam adduxerat, globus objectum perrumpens agmen, in apertum evaſit abſtulitque ſecum Chiuperlii corpus, quod equo inſidens proximi equitum ſuſtentabant, amoris in illum & bellicæ virtutis documento. Equitum Turcarum alii pari ſtrenuitate, alii fuga ſe turmatim ſubduxere. Janizari deſperatis rebus (ira & pudore, quod fortuna belli variaſſet, efferante animos) in hoſtem præcipites irruerunt dubio Marte, quoad præfectum ſuum incredibili prælaintem audacia ſequuti ſunt. Eo telis confoſſo, pauci catervatim ſibi aditum per infenſas legiones aperuerunt. Plures ad lævam declinantes cymbis excepti. Aliis per Danubii ripam quæſita ſalus, claſſe machinarum ictibus muniente viam. Nox & laſſitudo citò inſectandi victos Germanis finem fecit, ſiquidem inclinato ad veſperam die pugnari cœptum, ac tres amplius horas pugnatum. Ad quindecim Barbarorum millia, plerumque pedites prælium abſumpſit, plures vulneribus affecit. Auxit damnum nobiliorum ducum cædes, in iis ſupremi Janizarorum præfecti. Sed præ ceteris cumulavit Chiuperlii mors; quo uno, belli & pacis artium expertiſſimo, e vivis erepto plus ca-

Ejus corpus Turcarum globus ſecum fert.

Quot ipſorum interempti, & quæ relata præda.

1691. calamitatis Othomanicum Imperium, quàm profligato exercitu accepiſſe certum fuit. Ipſo enim vix ad clavum adhibito, illud non modò caput extulerat, ſed & priſtinas recreaturum vires haudquaquam inter ſuos ambigebatur. Captum conſulare caudarum equinarum ſignum, aliaque plura, quinquagenæ majores machinæ, inopi reliqua, ut in ſubitario legionum diſceſſu, præda. Cæſarianorum cæſa fuiſſe ad quatuor millia, & paullo plus vulneribus debilitata, vulgò proditum. Verùm cùm nulla prope cohors ac turma ſe prælio non immiſcuerit, & cùm e tanto exercitu decem non amplius Germani nominis millia præter Hungaros Araviſcoſque Crojæ Duci ad Murſæ & Dravi tutelam, recuperandamque Sclavoniam data, tredecim a Badenſi in ſuperiorem Pannoniam ducta, & modicum præſidium Petri Varadini, inſtauratis ibi parumper munitionibus, relictum fuerit; victoriam largiori coemptam fuiſſe pretio, æqui rerum æſtimatores non dubitarunt. Certe quidem plurimo ſtetit illuſtri ſanguine, fato functis in acie aut mox vulneribus Suchesio præfecto Fabrum, Chriſtiano e principe Holſatiana familia inſtructore exercitus; tribunis militum Kaunitio, Buc hojo, Bilavio; protribunis Comite Sdrino, poſtremo inclytæ familiæ ſurculo, Pettingio, Richardo Starembergio, Mulionio, Verolio, Kalltenio, in-

Quot Germanorum.

Inter quos plures illuſtri ſanguine aut militari præfectura.

1691.

inſtructoribus legionum ; centurionibus , aliiſque minoribus militiæ præfectis novem & ſexaginta. Lætiſſimus tamen partæ victoriæ nuntius Cæſari & Aulæ contigit ; grato atque jucundo , ſi ſalutem attulerit , vel ipſo mali dolore. Utque ſæpius eventuum quàm conſiliorum fœlicitate metimur rerum geſtarum decus ac meritum , extemplo diploma ſupremæ ubique Cæſarianorum armorum præfecturæ, ampliſſimum præmium , Badenſi datum. Is ad Petri Varadinum ſtatim a pugna exercitum promoverat, ne aeris gravitate ob inſepulta cadavera tentaretur militum valetudo. Ibi recenſitis copiis, exploratiſque viribus, tanti eas non eſſe conſpicatus ut Albam græcam victoriæ præmium ſibi proponeret, ab ipſa abſtinuit ; cùm præſertim ad triginta Turcarum millia illic ex fuga ſe collegiſſent, Caliloque prætori delata militaribus ſuffragiis imperii ſumma , oſtentarent feroces animos, Scythis haud ſemel prope ſub Germanorum vallum immiſſis prædæ cauſa ; non irrita audacia, quamquam punita. Satius viſum, diviſis copiis Crojæ Ducem Boſniæ prætori obijcere , quem , cùm ad ſigna vocaſſet provincialium quotquot prope vigebant militari ætate, Murſam petiturum timebant; ſe Varadinum ad Tranſylvaniæ fines oppugnatum ire. Ille cum memorata militum manu ad Savum profectus, ubi comperit , prætorem audita ſuorum clade trans

Badenſis a Cæſare ſupremus ubique exercitus ſuorum ductor declaratur.

Croyæ ducem ad recuperandam Sclavoniam mittit.

1691. trans amnem ſe tenuiſſe, mille ſolùm equitibus ſecum ductis & aliquot peditum cohortibus, reliquis Murſam pergere cum tormentorum apparatu juſſis, citeriorem Savi ripam a paucorum Turcarum præſidiis expedire ſtatuit. Sub ejus adventum traducto illi fluvio ſe retulerant. Itaque Broda Gradiſcaque firmatis aliquot Araviſcorum cohortibus, Poſſegam provinciæ caput progreſſus, deſertam reperit, quamquam paullo ante Salenkemenſe prælium fruſtra illam Germanorum globus Kaunitio tribuno duce non ſine ſuorum cæde oppugnaſset. Tota proinde Sclavonia in Cæſaris iterum poteſtatem redacta, Murſam & ipſe petiit acceleravitque feſſis legionibus, quo ſe reficerent, hyemandi tempus. Interea Badenſis longo ærumnoſoque itinere (Autumnus medio octobri jam præcipitabat) Varadino ſecum adductas copias admoverat, auctas ad duodeviginti hominum millia, quinque, dum iret, a Veteranio acceptis; qui comperta Turcarum ſtrage cùm Tranſylvaniæ haud amplius timendum cerneret, Lippam dudum oppugnatum venerat, triduoque tormentis concuſsam voluntaria deditione in jus poteſtatemque receperat. Jacet Varadinum ad Chryſii amnis ripam plano loco; ſed rupes, quæ arce occupatur, in medio aſsurgit. Quinque oppidum cingunt roſtrata propugnacula, totidem arcem; vallum ſuburbiis, quæ

Felici eventu.

Badenſis Varadinum oppugnat.

Oppidū & oppugnatio deſcribuntur.

quæ late patent, munimentum eſt. Magni momenti locus, quippe illinc facilis in Tranſylvaniam aditus; hinc ab ea parte in Hungariam clauditur. Ante annos duos ac triginta, dum adhuc manerent induciæ, vi Cæſari a Turcis ereptum, nunc repetere Badenſi, e re nimiùm viſum eſt; quieturis nunquam Hungaris perduellibus & labili ſemper Tranſylvanorum fide, niſi hoc ſublato ad rebellandum mutandamve mentem incitamento. Spes quoque illexerat, præſidium, ſuorum territum calamitate, deditionem facturum, metu priùs quàm hoſte victum. Trajecto Chryſio, aggerem ducunt machinaſque expediunt. Suburbiorum vallum brevi diſcuſſum viam àggredientibus dedit. Sed impetum Barbari non expectarunt, cedenteſque cum omni bellico apparatu collectoque ibi penu intra oppidi mœnia, duram hoſtibus moram interponebant, eos rati vel ipſa anni tempeſtate conſumptum iri. Quinque intus erant armatorum millia, & quid animorum gererent, ſatis oſtenderant repudiatæ magnifice ferociterque literæ, quibus, antequam vallum induceret, illos Badenſis ad urbem tradendam ſolicitaverat. Nihilo ſecius feſtinabat opus, ac vicenis binis concuſsus machinis lato ſpatio corruerat murus, patebatque aditus ſubituris. Et illinc præſidiarii, veluti congredi refugientes, ſe retulere. At ubi per in- 1691.

1691. cenſas dirutaſque ollis incendiariis domos ad interiora propugnacula accedere hoſtem vident, bis terque erumpentes, illum haud levi multatum cæde longius protrudunt nec ſinunt certam figere ibi ſedem. Ad hæc accedebant pluviæ ceteraque hyemis jam adventantis incommoda. Quocirca Badenſis vi nunc abſtinendum, vetitumque commeatibus oppidum fame ſubigendum ſtatuit. Diſpoſitis circum ſtationibus firmatiſque valida munitione ſub Arupeni Principis imperio; ſimul per propinqua loca diſtributis in hiberna legionibus, ipſe Viennam pergere haud ultra moratus eſt; comperto, factam ſpem Turcas iterum fefelliſſe reconciliandæ pacis, cujus cauſa ad Imperii fines conventus indictus fuerat. Nam Rex Achmetes audita ſuorum clade, Purpuratis in conſilium vocatis, ex ipſorum ſententia conſtituerat ſimulandum, veluti neceſſitate expreſſum, otii deſiderium, quo deceptos Germanos ne pro præſenti fortuna urgerent arma, in negligentiam induceret. Itaque faciles Huſſejo Britannico legato pacificatori præbere aures; eique renuntianti, quæ ſibi de legatorum congreſſu decernendo Marſilius retulerat, non modò aſſentiri, ſed inſtare ut hunc extemplo comitatum regio internuntio citatis equis remitteret, Badenſi dicturum, in viam ſe daret. Viſirium enim non diu fore quin ſe ad colloquium ſiſtat. Badenſis tamen ſeu

Oppugnatio in obſidionem vertitur.

Turcæ aſtu pacem cupere ſimulaverant.

ſeu dictis parum fidens ſeu quòd ita e Cæſaris majeſtate eſſe crederet, Varadino haud quaquam diſceſſerat. Miſerat autem in Germaniam Sarmatiamque nuntiatum, ut Fœderatorum legati accelerarent. Affuit illico ab Joanne Rege Siradiæ præfectus. Venerius, qui e Viennenſi legatione pro Veneta Republica tranſmiſſurus eò erat, ſerò movit & lento gradu, Turcarum fallaciam ex ipſa agendi ratione ſagaciter expiſcatus. Nec animus eum decepit. Parum proceſſerat, cùm Viennam redeuntem Badenſem reperit, fruſtratum colloquii ſpe certioremque redditum Viſirii nectentis in Aula moram, nec inde pedem. Halius hic erat, e Byzantii præfectura ad ſupremum Magiſtratum in Chiuperlii locum evectus exacta quamvis ætate, probabili tamen, ut in ſubita occaſione & a novo principe, judicio; quippe gradatim & longo expertus rerum uſu. Non illi erat ignotum, Gallico bello diſtrahi vehementer Cæſarem, & Salenkemenſem victoriam Pannonici exercitus vires ſummopere debilitaſſe. Chiuperlii proinde mentem ſequutus, armis ſarcienda vulnera Reipublicæ, nec quieſcendum, niſi Imperii gloria penitus reſtituta, ſuadebat eò forſitan audacius, quò ne ſenio fractus videretur. Et Achmetes animi ferocia deterrebat mitiora conſilia, memor priſtinæ, quam puer viderat, Majorum ſuorum fortunæ; prope ignarus adverſæ, cujus, diligenti custo-

1691.

Nunc fefelliſſe deteguntur.

Quo id conſilio fecerint.

1691. cuſtodia per vitæ reliquum domi concluſus, vix conſcius fuerat. Una igitur apparandi belli erat cura eaque ſolertiſſima nec inanis; tantæ molis Imperio, ubi quis norit excutere, nunquam non ſuffecturo militem ac pecuniam. Id Cæſari eò gravius accidit, quò cœperat ſacri belli ſocios armorum tædium, ſibique jam prope ſuſtinendus penitus erat hoſtium impetus. Nam Sarmatæ hoc quoque anno factam ſui ſpem deluſerant, nuptiis licèt regii Principis, Thuni legatione, magniſque promiſſis excitatam. Rex Concilium gentis, quamquam ab hoc plura in rem militarem petenda forent, non advocarat; haud ignarus: ingentes ibi turbas concitum iri, ulterioribus provinciis pacem, qua ſibi ærumnarum finis adeſſet, efflagitantibus; reliquis bellum exhorreſcentibus, unde civium aliis ingens calamitas, cunctis dedecus. Sæpius Senatum conſuluerat: quo pacto depreſſa obſcuro armorum ſucceſſu Sarmaticæ ſtrenuitatis fama erigi atque extolli poſſet. Illic decreta fuerat ad Moſchos legatio, quæ conſopitos eorum animos ad arma incenderet, fœderiſque admoneret & Kioviæ Smolenſkique; quas urbes ipſis dimiſerant ut inita ſecum ſocietate Turcicum ſimul urgerent bellum, & hoc ſolùm nomine divulſerant ab Sarmatici Imperis corpore. At nihil inde utilitatis obvenerat, Aula inteſtinis adhuc ſuſpicionibus ab externis

Ab Sarmatis nihil geſtum.

Miſſa tantum ad excitandos Moſchos legatio.

nis curis diſtracta ; & quia mutua querelarum de violatis fœderis legibus acerbitate certatum eſt ; qua quid ineptius ad flectendos conciliandaſque hominum mentes? Reliqua belli ab Senatu in Regem rejecta . Occultis tantùm ſermonibus indicatum , non eſse e Republica, præmiſsa equitum ala , quam Cæſar poſtulaverat, munire Tranſylvaniæ fines: nunquam non ſuſpecto odioſoque Polonis Germanorum in eam provinciam dominatu . Hæc rei militaris negligentia perculit Regem , gloriæ avidum , fœderis memorem ; non tamen abſterruit , quin illam pecunia & Marte ſuo , ut ut licuit , excuteret . In eo ſiquidem ſemper incorrupta manſerunt obſtricta Fœderatis fides, perpetuum in Turcas odium . Defuere illi ſolùm ad rerum proſperitatem civium concordia accommodatioraque rebus conſilia. Nunc quoque ejus animum vehementius extimulabant ſequeſtres Jacobi filii nuptiæ & dudum publice privatimque accepta clades Scytharum incurſu , qui primo Vere in penitiores regni provincias penetraverant , ferro atque igne vicos agroſque , in his Regis prædia, depopulati, abacta præda & magna captivorum multitudine ab intimo Sylvarum receſsu , quò aufugerant . Ergo coactis medio ſextili equitum viginti millibus , Naparim ponte , Poratam nando tranſgreſsus, continuatoque in Molda-

1691.

Quæ nihil proficit, & quare.

Non ſine Regis dolore.

Scytharum depopulationes.

1691. daviam itinere Jaſſium regionis caput advenit. Illinc Regulus nobilioreſque cives cum omni, quæ allicere ad prædam poſset, re domeſtica in abditos montes ſe ſubduxerant. Oppidum patuit. Sed quia immunitum & duriori nunc oppreſsum annona, late circum populato agro, retineri non poterat, tandiu ibi ſolùm facta mora, quoad tentata Reguli fide an Turcarum partes deſereret, acceptum eſt, id in ejus non eſse poteſtate, obſide Byzantii filio; & ſi poſset: ea ferocitate, qua Sarmatæ ſecum agerent, amicitias, dicere, & fœdera non conciliari. Rex quid ſibi gerendum eſſet æſtuabat, non belli, quæ nulla erat, ſolicitudine, ſed pudore inutilis ignobiliſque laboris & metu famæ. Vacuæ provinciæ ab legionario Thracum milite auxilio venerant Scytharum ad quindecim millia, qui numero ac viribus impares cum hoſtibus acie congredi non audebant; furtivis tantum incurſionibus carpebant agmen nec raro commeatus intercipiebant. Eos equorum pernicitate & locorum notitia prope inexuperabiles profligare Sarmatæ haud potis erant, quin ab iis nonnunquam in diſcrimen adducti. Rex ad muniendam rei frumentariæ viam mille quingentorum alam Principe Lubomirſchio duce præire juſſerat. Paullum progreſſis circumfunditur longe major Scytharum globus. Nox circumventis ſaluti fuit; qua unus

Jo. Rex in Moldaviam ducit exercitũ.

Nullo proventu.

Nec ſine aliquo ſuorum diſcrimine.

unus & alter per hoſtium ſtationes elapſus, Regem ſuorum periculi admonuit. Nec mora cum omni levi armatura illuc properat. Ad ejus adventum Scythæ ſe diſſiparunt; ſed ita ut per agros torridis herbis igne conſumptis plus hoſti moleſtiarum attulerint, quàm ſi viribus ad anceps prælium valuiſſent. Id Regi eò gravius accidit, quòd nec inſuetum nec inopinatum; & præcognitæ calamitates, ni caveantur, damno dedecus addunt. Optimum, ut in ea rerum difficultate, conſilium cœpit propius Tranſylvaniam exercitum admovendi ne durioribus in dies incommodis conflictaretur. Oram illam ob Cæſarianorum propinquitatem leviori negotio retineri, nullo propemodum in poteſtatem redigi poſſe, jam ſuperiori anno, ſuperatis ibi firmatiſque præſidio præcipuis oppidis Socidava ac Niecmeze, veluti compedibus illigatam. Inde verò in reliquam provinciam faciliori greſſu victoriam peragraturam. Dum eò ſigna ducit, Chelmæ præfectus, ut condictum fuerat, conſcriptis aliquot Coſaccorum legionibus, qui libenter ad ejus imperium conveniebant, Soracam ad Naparim oppugnatum petit; ſpe, illuc Scythas ab carpendo Regis agmine abſtractum iri, oppidum tutaturos, quà iis in Beſſarabiam iter ad ſuos lares. Quatuor haud amplius millia eò adducta non longe a mœnibus conſtitere; initaque ibi cum ſex, quot erant, hoſtium mil-

1691.

Quo eos feliciter expedit.

Soraca Sarmatis deditur.

1691. millibus pugna, velitum in morem biduo pugnata. Noctu dein Scythis clam digreſſis, cives nihil morati ſe dediderunt. Interea Rex aliquot parvi momenti ad Transylvaniæ fines oppida, nuſquam eductis armis, in poteſtate habuit. Unum Nimichum, infeſſum popularium præſidio, nonniſi poſt tridui verberationem in victoris ditionem conceſſit. Ad illud retinendum quadringenti Sarmatæ cum ſex muralibus machinis & commeatu impoſiti. Magna jam tandem per id locorum incommoda exercitum affligabant, præſertim pabulandi inopia, qua equi cum vectarii tum bellatores ingenti numero periere. Scythæ quoque, addita Reguli juſſu incolarum manu, quaquaverſum diſcurrentes, duriorem hoſtibus annonam faciebant non ſine aliqua ab ſignis diſcendentium cæde; & hyems urgebat. Itaque remenſa via in hiberna Sarmatarum exercitus reductus eſt, impari laborioſæ ærumnoſæque expeditionis relato præmio. Id Regem præteritæ gloriæ memorem, præſentis anxium, vehementer angebat, ſedandæque, ut ſibi quiſque blanditur, ægritudini conijciebat in Germanos improſperi ſucceſſus culpam, quinum millium pollicitos opem inani eventu. Contra Cæſar obijciebat negatum ad Tranſylvaniæ fines vel per exiguum tempus equeſtre Polonorum præſidium; & in vacua a Turcis provincia nihil per reliquum anni ab ipſis geſtum, quo

Poſtmodum in hiberna dimiſſis.

Mutuæ inter ipſos & Germanos querelæ.

1691.

quo liberarent facti dudum quoque promiſſi fidem. Hinc rurſus invicem exulcerati; & inutile, disjunctis animis, armorum fœdus. Querimoniæ ex eo pariter ultro citroque jactabantur; ab Thuni Comite Cæſaris legato, quòd Bethuniæ Marchioni, quem Sarmaticæ ſocordiæ auctorem putabat, commeatus ab Aula non daretur; ab Rege, quòd ita ſibi Gallorum inimicitiæ quærerentur. Cetera manſere ſuſpicionum diſſidiique ſemina. Betbunius ab Ludovico Rege in Sveciam legatus, de ſe litem diremit oſtenditque, Sarmatas jamdiu ſua ſponte inglorii calamitoſique belli pertæſos, ad illud incurioſe perſequendum non ſe indiguiſſe hortatore, cùm eadem manſerit negligentia. Longe quoque minori ſtrepitu hoc anno a Venetis concrepuere arma, reſideſque elanguiſſe, in magnum fœderis detrimentum vertit. Non una fuit ceſſandi cauſa. Mortuo ſub anni exordium octavo Alexandro P.M. ejus ope, quam validiſſimam ſperaverant, orbatis non parum conciderant ærarii militiæque vires. Maris præfectum in Cornelii locum ſuffecerant Dominicum Mocenigum, lenituri potius invidiam adhibitæ nimiæ ſeveritatis, qua illum Dalmatiæ prætura ſe abdicare præmature juſſerant; quàm rati, æquaturum conſilio & belli ſcientia maximam dignitatem. Deerat quoque ſupremus copiarum ductor. Nam Galianus Guadagnii Dux, eo mu-

A Venetis bellum languet, & quare.

 ne-

1691: nere adhuc functus, honeſtam miſſionem lubens acceperat; vir militaris ingenii blandiendique inexperti; quo nunquam ab iis initur gratia, qui in libera civitate rerum potiti omnia infra ſe volunt. Quare ſimul cum proſperi ſucceſſus ſpe ſtudium, ut fit, deferbuerat ornandæ rei militaris, cautaque audacioribus conſiliis ſucceſſerant, quibus Reſpublicæ, ni certò eventura ſint, raró gaudent. Diſcedenti Mocenigo Senatus mandaverat, ut quid majores duces de Aulone Caninaque ſentirent ad ſe referret; quod eas fatum maneret, judicaturum. Sententiis enim variabant Patres: muniendæ retinendæne forent; veriti alii ejus tuendæ, quippe intra feros populos, difficultatem; alii Cornelii de transferendo in Epirum bello propoſitum averſati metu, ne Reipublicæ male ita conſultum foret; an invidia, quòd ei melius ille Dalmaticis expeditionibus conſuluiſſe videri poſſet. Verùm vixdum Corcyram pervenerat, certior factus, Barbaros ſumma hyeme conſcriptam ſubitario delectu militum manum eò ducere; Caninamque, nondum inſtauratis mœnibus & ob annonæ caritatem infrequenti præſidio, nullam repellendi hoſtes ſpem facere; non expectato Senatus reſponſo, illam nudari munitionibus vacuamque deſeri juſſit. Nec ita multò poſt cùm Turcæ auctis copiis Aulonem peterent; hanc quoque, priuſquam id ſibi Senatuſconſul-

Mocenigus Caninam mœnibus nudatam deſerit.

to

to permiſſum ſciret, educto præſidio omnique bellico apparatu, ſtatuit ſubruendam. Rem difficilem, cùm in propinquo eſſet hoſtis, ordine geſturum illuc miſerat cum aliquot cohortibus actuariiſque Carolum Sparum inſtructorem exercitus; qui ubi vidit jam circumſeſſum oppidum leviori negotio defendi quàm exhauriri in oppugnantium conſpectu, nec facile deleri aut lacerari poſſe, propugnandum conſtituit, ratus illud validis concluſum muris & aliqua extrinſecus ſubitaria munitione ſtare adverſus primos impetus poſſe, nec Turcas multùm, cùm hyems inſtaret, ſub dio duraturos; miteſcente deinde anni tempore in Hungariam properaturos. Itaque cum iis copiis, quas ſecum adduxerat, mœnia ingreſſus, Mocenigum de re admonuit, iſque celeriter eò progreſſus cum claſſe longarum navium præſidium ad bis mille armatorum auxit. Nihilo ſecius Aliles Turcici ductor agminis oppugnationem urgere non deſtitit, ſpe cùm ipſe longe hoſtem præſtaret numero (decem ſub ſignis habebat peditum, quatuor equitum millia, collectitiam turbam) celeriter oppidum corona cinctum in poteſtatem redactum iri. Paucis diebus incompoſito aggere ſucceſſit ad foſſæ labrum ſeptemque ſtatuit curulia tormenta, quibus muri, quamquam imperite, quatiebantur. Inter hæc Veneti eruptione facta quidpiam valli & aliquot hoſtium ſtraverant. Mox

1691.

Sparus Aulonem propugnat;

A Turcis oppugnatam.

Occiditur.

1691. Mox iterum egreſſi, citò gradum intrà munitiones referre, inſurgentibus ferocius Barbaris, coacti ſunt, paucorum affecti cæde. In eo tumultu Sparus cecidit, majoris quod ſui laxaverant tormenti telo, caſu an dolo, dum mœnia circumiret, interemptus; idque præſidiariis magnæ inſtar cladis fuit. Quamquam lente oppugnatio procederet, Turcæ urgere facinus obſtinabant; idque Mocenigo priſtinum deſerendi oppidi propoſitum in mentem revocavit. Brevi ſuſpenſa caveis mœnia, egeſtum quicquid ad manus erat; deductumque ad naves præſidium catapultæque omnes, quatuor tantùm in hoſtium conſpectu relictis ne, ſi dimotæ, quid ageretur, argumentum darent. Non tamen id eos latuit; quamquam non ſatis expedito, ut in re ſubita, conſilio, vel ignavia quieverint dederintque nitrato pulveri ſpatium diruendi muros corrumpendique igne ac ruinis ædes. Mocenigus male ut de re inconſultò geſta, præoccupatoque Senatus judicio, Venetiis audiit, muſſitante plebe: commode nunc Aulonem defendi potuiſſe, intactis adhuc munitionibus; vix paucorum nece debilitato præſidio; explicata ad litus, unde ſupplementum acciperet, via; hoſte imperito & mox in Hungariam diſceſſuro; deinde validioribus adversùs ferociores impetus circumſepiendum operibus; nec melius uſquam pecuniæ militiæque robur impenden-

Mon oppidum a Venetis vacuum deſeritur.

Qua de re Mocenigus male audiit.

dendum quàm in eo retinendo terreſtris maritimæque opportunitatis ad proferendos Imperii fines propugnaculo; & Patribus, ut cùm ſolicitudo aut æmulatio non amplius obſcurat ingenium, in id jam prope conſentientibus. Non ultra privatas querelas res abiit, nec Senatui e republica viſum, in id inquirere, quod infectum fieri non poſſet; damnatum aut improbatum, imperitos civibus ſermones; moderantibus rempublicam improvidi conſilii probrum daturum foret. Mocenigus felici navigatione ad Peloponneſum appulſus, nullam hoc anno rei ſtrenue gerendæ materiam habuit, Turcis ad iſthmum accedere & quidpiam tentare nequaquam auſis. Claſſis quoque bellicarum navium ad exigendum à Græcis tributum Ægæum circumvagata, & paucos dies ante Abidi fretum ad potentiæ oſtentationem morata, dum Turcica ſtaret interius in anchoris, Naupliam rediit. Non ita ſane bellum, quod inter Chriſtianos Principes gerebatur, elanguit. Ad illud ampliori militum delectu Fœderati ac Rex Ludovicus ſe comparaverant. Armorum exitus ex Angliæ fortuna pendere videbatur. Vilhelmo enim ſi domeſticis diſcordiis atque Hibernico tumultu occuparetur ideoque ſigna ferre extra Regni fines non licuiſſet, compertum erat, reliquos cum eo conjuratos adverſus Gallos, his coercendis, non parum alibi diſtento Cæſare, haud ſatis

In Peloponneſo, & pelago nihil geſtum.

Quid hoc anno a Chriſtianis Principibus bello geſtum, & quo ejus gerendi conſilio.

1691. ſatis fore. Poſt ſuos prælio victos, in Galliam ſuperiori æſtate, ut dictum eſt, regreſſus Jacobus Rex deſcenderat in Normanniæ litus. A Bullionii Duce regio apparatu deductum ad S. Germani Fanum, poſtridie ejus adventus, convenerat ſalutandi cauſa Ludovicus Rex, ipſique deploranti ob impares vires acceptam cladem reſtituerat animos, fatus: prudentis eſſe, fortunæ varietatem ad conſilium flectere; fortis, quò plus illa impellat, eò audacius obniti. Vires in Hibernia facilè inſtaurari poſſe; in Anglia Scotiaque turbas iterum concitari. Non enim iſthic quieviſſe cives voluntate, ſed fallente occaſione; illic manere fidiſſimos populares, ad retinendamque ipſorum fidem validiora oppida, portus ad illiciendam auxilii ſpe. Id paullo poſt enucleatius oſtenderat Talbotus Tyrconelli Dux, Hiberniæ prætor, qui, hoſte repulſo a Limmerici mœnibus, renuntiatum advenerat, quó loco res forent quidque iis erigendis pro ſua fide gerendum cenſeret. Occidentalem oram trans Sinajum amnem, ubi munitiores arces, portuoſum litus, egregia populorum voluntas, totum eſſe in Jacobi Regis poteſtate; Inſulam perſonare vocibus averſantium illegitima imperia; non deeſſe delectui militem, ſed militi arma bellicumque apparatum, quodque præ ceteris providendum eſſet, militaris artis peritos duces, qui corporum ro-

Regreſſum in Galliam Jacobum regem Rex Ludovicus melioris fortunæ ſpe fovet.

Itemque Tyrconellus.

bo-

bora diſciplina exacuant, imperio moderentur. Hæc ſi ſuppetant, bellicoſam gentem ſibi ad rem ſtrenue gerendam ſufficere, ac malle ſuis quàm alienis viribus bellum opprimere. Itum in hanc ſententiam, ex eaque Jacobus clientelas amicorumque fidiſſimos ubique ſuarum gentium per hyemem ad tumultuandum inſtigare; Ludovicus novo ornando bellico apparatui, qui Vere primo traduceretur, jubere ſedulò dari operam. Et ſane ubique per Hiberniam adversùs Vilhelmi partes conjuratum eſt, ſed aut inani conatu aut irrito eventu. Initio anni provincialium plures furtim, conſciis tantùm civium paucis, Dublinum intraverant, ignem, quot plurimis poſſent, Ædibus illaturi; quo præſenti periculo diſtraherent a publicis curis omnium animos, dum interim octo Jacobæorum legiones, quæ jam Sinejum pervenerant Sarsfieldi tribuni militum ductu, intra mœnia receptæ, præſidium adverſæque factionis principes edita ſtrage diſſiparent. Interceptis literis proditum conſilium evanuit; &, cùm illæ tacerent conjuratorum nomina, probabili ſuſpicione in advenas exilio & carcere, in Catholicæ Religionis alumnos ſeveris legibus animadverſum eſt. Per diverſa deinde loca, priuſquam Ver inciperet, Jacobæi divexarunt plura ignobiliora oppida, obtenta in legitimum Regem fide, veriùs prædæ cupiditate. Catervatim

1691.

Jacobæorum in Hibernia motus.

1691. diſcurrentes, non ſemel cum Vilhelmitis mutua cæde levioribus præliis congreſſi ſunt; pulſi tandem Killoco, Fullimora, Raghamo caſtellis, in avios ſaltus primùm diſperſi ſeſe abdidere; mox in apertam militiam deſcripti, ſuæ partis copias auxerunt. Nec montani, fidiſſima Jacobo gens, in Scotia quievere. Verùm cùm impetu magis quàm conſilio nec ſub unius imperio ſigna per globos ſequerentur, nihil ad rei ſummam, parum ad inijciendum ſui metum, quo in ſe quidpiam hoſtium averterent, profectum eſt. Moniti: in diverſa diſtractos æque ab amicis inimiciſque parvi pendi; & in civili tumultu, ſi ad manus ventum ſit, nullum ſervatæ fidei, ejus ni conſtet fructus, dari præmium: de uno eligendo imperatore, cujus auſpiciis arma tractarent, deliberaverant. Dum inter ſe non conveniunt, Jacobumque Regem, ut cum externis auxiliis illuc tranſmitteret, obteſtantur, ſuboluit Vilhelmitis conjuratio, detectaque, ut fit, ſua ſponte cecidit. Eam plures, præcipuæque nobilitatis viros, auctores habuiſſe, fama vulgavit. Paucis nec magni nominis injecta vincula; reliqui veluti ignoti, fortè ne ipſorum diſcrimine procella recrudeſceret, non conquiſiti. In montanos nec legionarius miles nec quæſtio adhibita. Hos tamen quandoque ſaltubus egreſſos, ut vaſtandis agris ad ineundum ſecum fœdus campeſtria cogerent op-

Et in Scotia.

Utrobique perperam directi, ac proinde facilè diſſipati.

oppida, populares ipſi levi utrinque cæde in tuta receptui loca detruſerunt; odio ac dolore actæ prædæ, quin armorum ſocietatem ſuaderent, vehementius animos alienantibus. In Anglia veteris conjurationis manebant ſemina, eò frugem feracius editura quò intimis defoſſa mentibus delituerant; niſi conſilium, ut ſæpius antea, caſus corrupiſſet. Vilhelmus Rex, parti jam ſibi a civibus otii deceptus ſpecie, in Hollandiam ineunte anno navigaverat, de re navali Belgicoque bello, quod ipſe adminiſtrandum venerat, cum fœderatis Ordinibus deliberaturus. Ejus diſceſſum, qui conjuraverant, ſuam rati occaſionem eſſe, communicatis inter ſe conſiliis, Preſtonum dynaſtam & Ashtonum quemdam in Galliam renuntiatum mittunt Jacobo Regi, quid ſibi eſſet virium & quæ molirentur. Externis auxiliis ad hominum viginti millia, equitum præcipue, quibus inſtructos equos daturi forent, opus eſſe. Si & ipſe tranſmitteret, magnum rei gerendæ pondus additurum. Nam fides, animus, virtus præſentia Principis excitari; & plura pudore fieri, quæ, ſi non conſpecta, negligerentur. Commentario conſignaverant, quod navibus litus petendum foret; quæ ibi arces præſidio infrequentes facileſque ſuperatu; quid ubique ſperandum a potentibus, a plebe, a magiſtratibus. Quantum Vilhelmo in Anglia conſtaret mili-

1691.

In Anglia adverſus Vilhelmum Regem instaurata conjuratio.

Quo conſilio.

1691. tum ; quo ſtatu claſſis & quando ſolutura videretur. Maturaret, priuſquam illa, in altum educta, litus prohiberet; & ipſe reputaret ſe iis fidere tutò poſſe, quorum voluntatem infauſti ſucceſſus non mutaſſent ; & qui, niſi explorata ſpe, in apertum diſcrimen iterum non ſe commiſſuri eſſent. Dum nuntii conducto in Galliam navigio ventum expectant, gubernator ex ipſorum ſolicitudine quidpiam ſuſpicatus & ſibi timens, rem magiſtratui defert; a quo juſſus, quandocumque anchoras moliturus eſſet, dare ſignum, eos prodidit. Immiſſis apparitoribus, capti damnatique. Ashtonius laqueo ſuſpenſus. Preſtonius poſt longas ambages prolatis conjuratorum pluribus vitam redemit. Aliqui ſtatim ex ejus dicto (nam literæ tacebant nomina) in cuſtodiam traditi, quos inter Clarentiæ Comes, Jacobi levir, nuper e Londinenſi arce in libertatem reſtitutus. In alios occulte aut palam, prout res ferebat, inquiſitum. Major tamen res viſa, quàm quæ præſente Vilhelmo non indigeret. Affuit illico, ægre licèt a Belgio atque ab exercitu divulſus. Tacto ulcere, illud novit, ſi ferro & igne tentaretur, exaſperatum iri. Recenti dominatu blandiendum civibus eſſe, nec ſeverioribus exemplis excitandum ancipiti adhuc multitudini abiudicati Principis deſiderium. Clementiæ fama confirmari amicorum animos,

Quo caſu patefacta.

Paucorum nece opprimitur.

Vilhelmus in Angliam redit.

Faci è placatur & quare.

mos, dubios trahi, averſos deliniri; ſimulque ſatius eſſe, numero ac viribus potentes reos non accuſari, quàm, quod plerumque in tanta rerum perturbatione vitari nequit, abſolvi. Itaque diremptis quæſtionibus nihil ſævitum. Suppleta ſolùm alicubi præſidia; quique ſui ſuſpicionem moverant, militiæ præfecturis ac magiſtratibus abire juſſi. Cantuariæ, Gloverniæ, Norvici, Batoniæ, Eliæ, Ciceſtriæ, Petropolis ſacrorum præſides exauthorati, quòd obſtinarent ſe haudquaquam ſacramento obſtringere novo Regi, quamquam vel præcipua ipſorum opera in Britanniam adducto. Quod pariter argumento fuit: civili tumultu non ſibi eam gentem propoſuiſſe, deturbare avito ſolio Jacobum Regem, ſed ejus potentiam intra certos fines cohibere. Verùm initia conjurationum regi poſſunt; ſi ſe corroboraverint, frænum ut reliqua horribiliora non audiunt. Vilhelmus pari prudentia ac fœlicitate diſſipato conjurationis turbine in Belgium extemplo ad exercitum rediit, anxius ne, nutante illic ſociorum fortuna, concideret fœdus aut vacillaret. Hibernicum bellum Ghinchleo prolegato gerendum dedit, inſtruxitque veterano milite, quo ſaltem, ſi debellare non poſſet, urgeret hoſtem. Quamquam eadem, quæ in Britannia, proſperitas ibi quoque præter opinionem ei penitus obſequuta eſt. Proluſum primò aliquot per hyemem levioribus præliis, quibus

1691.

In Belgium regreditur.

Hibernicum bellum Ghincleo gerendum tribuit.

1691. bus Jacobæi, ne pacatis dubiiſque citerioribus provinciis imminerent, ultra Sinejum amnem repulſi ſunt. Lansburgum oppidum trium millium præſidio tenebatur. Eò Brouverus tribunus militum coacto e proximis hibernis agmine duxit infenſa ſigna. Advenienti obviam præſidiarii ſe ſe effudere ad anguſta loca. Cœptum ibi prælium pugnatumque ferociter trecentum utrinque ſtrage. Ceſſit denique oppidanorum acies majori Vilhelmitarum numero, non virtuti, intraque mœnia ſe recepit; nec ita multo poſt amnem tranſgreſſa, vacuum reliquit oppidum, fœde prius nitrati vi pulveris dilaceratum. Et ab Atlona duum millium trecentorum manus longiùs proceſſerat occupaveratque circumjacentia non multi momenti oppida. Hinc Vilhelmitis metus ne ſolicitatis clientelis malum ſerperet, penetranſque intra viſcera ulcus dilataret. Quare priuſquam renaſcentis hoſtium proſperitatis fama latius pervaderet ſuaderetque populos ad defectionem, quæ difficilius, ubi in apertum prodiit, extinguitur, Ghincleus raptim circumpoſitis præſidiis ad ſe vocatis ad hoſtem pergit. Is pariter in unum collectis copiis arduo ſe loco circumvallaverat poſtquam novit infeſto ſe peti agmine. Certatum ibi aliquandiu eſt; ſed cùm jam vallum non refrenaret tranſcendentium impetum, Jacobæi fuga in proximam ſylvam paludeſque, un-

Aliquot oppida ei cedunt.

unde noctu Atlonam, paucis deſideratis ſe ſubripuerunt. Hyemalium expeditionum eventus portendit belli exitum per æſtatem gerendi, quod primò cruentum & anceps, Vilhelmo denique victoriam peperit. Ad illud utraque factio diligenti ſtudio ſe comparaverat. Tyrconellus prætor initio anni e Gallia redux pecuniam, arma, bellicumque apparatum ad ſuos attulerat. Ineunte Vere Neſmondi toparca duodecim bellicis navibus, quadraginta actuariis Lymmerici portum tenuit. Ex ea claſſe in litus expoſiti centum viginti Gallici nominis armorum præfecti, in hiſque oppidi ad S. Ruthi Fanum dynaſta, cui ſummo cum imperio jus in milites mandatum fuerat. Præterea centum quinquaginta e Gallica nobilitate adoleſcentes, trecenti vicenique patritio pariter ſanguine Scoti ac Britanni, qui gregariorum fidem ſtrenuitatemque ſuo firmarent exemplo & virtute; aliqui etiam tormentorum libratores, duo militares architecti, mille calonum lixarumque, qui manus, ſi foret uſus, conſererent; armorum ac veſtium quantum ad ornanda hominum ſexdecim millia ſatis eſſet; undeviginti murales machinæ; plumbi, nitrati pulveris, telorum plurimum. An ſe iterum, illuc regreſſus, in belli aleam committeret Jacobus Rex, vix conſultatio fuit. Patebat enim plus formidinis periculo ſuo quàm præſentia militibus animorum inje-

1691.

Tyrconellus in Hiberniam regreſſus magna ducit, atque accipit Gallorum auxilia.

Quæ fuerint, deſcribuntur.

1691.

Rbutius Gallus ſupremus ibi armorum præfectus.

injectum. Hac ope Hiberni admodum recreati ad ſigna frequentiſſimi convenere, centuriatique quoad arma ſuppeditarunt. Suppleto exercitu Ruthius admovit caſtra propius Sinejum amnem, ripam, quà ſe verteret hoſtis, muniturus. Magna quoque Atlonæ Lymmericoque præſidia impoſuit, ſi alterutrum ille ſibi prius deligeret ad oppugnandum. Nec falſus fuit. Gincleus vixdum ex hibernis adulto Vere copias eduxit, Atlonam pergit. Ballymora paluſtri ſita loco iter intercipiebat. Renuenti in poteſtatem niſi honeſtis conditionibus ſe tradere, incuſſus aries dirutaque parvi momenti mœnia. Cùm omnia ad irruendum parata forent, præſidiarii (octingenti erant) ſe dedidere. Inde Atlonam legiones ductæ. Hanc eo ipſo diviſam flumine pons conjungit. Muri per gyrum nudi ab interno aggere, parmis extrinſecus proteguntur. Arx priſci ſed validioris operis in ulteriori ſedet ripa. Prius cis amnem oppugnari cœpta novemque muralibus machinis lunatæ lorica munitionis prope Dublinenſem portam dejecta. Mox tricenis aliis trifariam diſpoſitis, oppidum ab ea parte diſciſſum latam aggreſſuris aperuit viam. Juſſi proinde quingenti pyrochitrophori, quos decem ſagittariorum centuriæ ſequebantur, conſcenſis ruinis impetum dare: Plures dum irent hoſtium telis abſumpti, alii vulneribus debilitati. Nihilo tandem ſecius con-

Ghincleus Atlonam oppugnat, ſuperatque.

Oppugnatio narratur.

congreſſi, vibranteſque ea copia manuales igniferas ollas ut nemo exadverſum conſiſtere loco poſſet, moverunt objectam aciem in fugamque averterunt, quadringentis occiſis; ſuorum non paucis hoſtili pariter ferro detruncatis. Quicquid ibi reliquum præſidii erat, per pontem & nota vada cis amnem ſe recepit. Illi extemplo adductis ad pontis aditum prætentamque ripam tormentis, arcem objectaque urbis mœnia ingenti ſucceſſu lacerant. Non tamen ad ea ſubeundi ſuppetebat animus, ignoto adhuc fluvio & ponte a præſidiariis interciſo. Fruſtra bis illum aſſeribus, ut daret viam, continuare aggreſſi, fœde jaculis diſiecti proſtratoque, vixdum conſterni cœpiſset, tabulato re abſiſtere coacti ſunt. At æque moram peroſi, cùm hoſtis ad ferendam opem acceleraret, ſtatuunt fluvio ſe committere, quem non ultra trajicientium pectus compererant ſeſe extollere. Quingentis nunc quoque pyrochitrophoris prima conſtabat acies, tribus legionibus ſubſidiaria. Rei moderandæ impoſiti Darmſtadii & Virtembergæ Principes majoreſque militiæ duces Tettaus, Melonerius, Machajus. Aquam ingreſſis expediebant iter murales machinæ, telorum grandine ſubmoventes hoſtem a propugnaculis. Verùm & iſte pari ferocia jaculabatur implebatque cadaveribus amnem, aerem boatu & morientium gemitu. Illi tamen impavidi, in adverſam ripam pro- 1691.

1691. rumpentes per tela ſtragemque murorum, addente periculo audaciam, haſtatos, qui aditum prohibebant, impellere adnituntur. Pugnatum ibi ferociter & æquis viribus; nec perfringi haſtarum ſepes ab oppugnatoribus potuiſset, ſi paribus quoque armis certatum foret. Verùm geminata pyrochitrophori flammiferarum ollarum procella, quo telo carebant oppidani, turbarunt adeo, dum quiſque ictum cavendo ſibi conſulit, iſtorum ordines ut non amplius urgentium impetum ſuſtinere potis fuerint. Pulſi pone arcem ſe colligunt atque inde per averſam portam victoris iræ certoque diſcrimini ſe ſubducunt. Mille in fuga aut prælio ceciderè; trecenti capti, in his inſtructor exercitus Maxuelus. Mors parem prope ademit hoſtibus numerum. Atlona capta ac direpta, Ghincleus traductis Sinejum copiis, proſequitur fugientium veſtigia, qui ad ſuorum exercitum, non procul diſtantem, pedem retulerant docuerantque Ruthium imperatorem quid geſtum foret. Is non temere ex ipſa re conjectatus citò affuturum hoſtem, tutum ſtativis aptumque muniendæ retro regioni locum capit. In fronte paluſtre ſolum, depreſſis tamen ut per æſtatem aquis, ſtabili & æquo fundo. Media tantùm e vadis lata ſurgebat via. Caſtrum in colle dirutum & aliquot inſeſſum cohortibus lævum muniebat latus. Dextrum in molles tumulos pro-

Ruthius ad pugnam ſe comparat.

protendebatur, ubi quidpiam valli excitatum, locatumque magna ex parte, quippe illinc præſentius periculum, equeſtre robur. Eò nulla mora ſe hoſtis contulit, prælio decreturus. Quod poſtquam Ruthio exploratum fuit; pridie quàm acies concurrerent, majoribus ducibus tribuniſque militum ad ſe vocatis: manus, inquit, provocantibus hoſtibus, nec nobis invitis, conſerendæ ſunt, commilitones. Si quo res noſtræ verſentur loco; ſi quamobrem arma geramus, & prælium committi debeat, nobiſcum animo cogitemus; non dubito quin vel extremo conatu victoriam conſequi anniſuri ſimus. In eam fortunam devenimus ut jam, qua conſiſtamus, terra deficiat. Militiæ labores ſuſcepimus pro vera Majorum noſtrorum religione, pro legitimo tuendo imperio, pro aris ac focis. Pugna capeſſenda eſt pro vita, decore, ac libertate. Non enim hoſtis immaniſſimus Hibernos victos tantùm habere ſtudet, verùm ſervos abjectoſque, ut in ipſos more ſuo duris conditionibus ſævire poſſit. Adeſt proinde nobis quicquid invictos mortalium animos, atque inexuperabiles vix non reddit præliantium vires, honeſtiſſima cauſa, extremum diſcrimen, fatalis neceſſitas. Hæc ſi ante mentis oculos obverſentur, qui fieri profecto queat, ut quiſque, dum acie concurſum fuerit, tanta nobis pericula objicentem parantemque calamitates, inſana prope di-

1691.

Ejus Concio.

1691. dicam ferocia non petat, protrudat, laniet, diſcerpat? Bruta animantia in ſalutis dubitationem adducta atque in arctum compulſa, duplicant adeo vires, tantaque rabie efferuntur ut plerumque periculum in aggredientem vertant. Et quod belluis natura indit; nos natura, virtuti & conſilio conjuncta, non doceat? Nullum ſane telum deſperatione vehementius; cujus ne aciem retundam, juſſi ego diſſolui pontes qui noſtrum ad penitiores urbes iter continuant. Id militibus, ubi de vobis audient, puto ſuaſurum: nunquam pedibus in fugam effuſis, armata ſolùm igne ferroque dextra bene ſibi conſultum fore. Quamquam quid ego hac triſti horridaque oratione utor? Ad certam victoriam ſatis eſt, ut nihil militi, nihil vobis conſuetæ virtutis decedat. Nam bellico apparatu æquamus hoſtem, numero facilè ſuperamus; quo utroque ille nobis, cùm ſuperiori anno vicit, præſtabat. Curate igitur in craſtinam pugnam corpora; lætitia quadam mentis animos augete; pugnate demum optimi Regis, patriæ, Religionis memores. Portendo equidem, ſpem, quæ in robore & fide veſtra collocata ab ipſis non immeritò eſt, haudquaquam deceptum iri. His vocibus inſtincti, parem in legiones inducunt ardorem pugnæ. Poſtridie velut ex compoſito utrinque in aciem educuntur. Ghincleus, juſſo equitatu intrare ſtagnantes aquas,

viam,

viam, iis interiacentem, peditatui munivit. Dein, machinis expedito ex objectis ſtationibus ſpatio ad frontem agminis dilatandam, ſigna intulit. Prælium ubique initum & inſigni perpetratum ferocia; neutrò inclinante victoria, diu manſit. Denique Vilhelmitarum peditatus, incredibili hoſtium impetu telorumque obrutus tempeſtate, veſtigio divulſus, cedere ac nutare cœpit. Dum inductis ſubſidiis fruſtra redintegratur, & ex adverſo auctis, ut fit, vincendi lætitia viribus, prope in fugam impellitur, caſus Jacobæis victoriam abſtulit. Suis Ruthius legionibus obequitabat, inclamitans, ne quidpiam remitterent; quin contra, quod paullum reſtabat ad profligandos hoſtes, connicerentur; in idque e re nata digerebat conſilia; cùm ei fortuitum e curuli tormento telum caput decuſſit. Rumor extincti imperatoris per aciem diſperſus repentè vices mutavit. Jacobæi ſua fracti calamitate, veluti præciſis nervis continuere impetum. Hoſtes ad eorumdem ſegnitiem inſtauratis animis & aliquot novis inductis cohortibus tantam dedere impreſſionem ut adverſos perruperint ordines, affectoſque vulneribus & multa cæde coegerint pedibus ſe committere. Equeſtris pugna non adeo exarſit. In dextro Jacobæorum cornu conſerta, ubi equitum robur locatum fuerat, non ultra velitarem morem proceſſerat, quoad pedites incerto Marte

1691.

Prælium initur.

Primò fauſtum Jacobæis.

Deinde ob Ruthii imperatoris mortem Vilhelmitis.

1691. *Qui penitus hoſtem fugant.*

te collidebantur. Horum deinde fortunam ſequuta eſt. Fugientium veſtigiis adhæſere tandiu Vilhelmitæ, quouſque nox itinera occuluit. Eorum pars major taciti rediere ad ſuos lares; pars Lymmericum profecti. Cæſi in prælio aut in fuga traduntur ad quatuor millia; qua tamen ærumna luctuoſior extitit imperatoris mors, pluriumque præfectorum; quorum centum pariter & quinquaginta capti præter gregariorum quadringentos. Machinæ, impedimenta, omniſque bellicus apparatus in victoris poteſtatem conceſſit. Huic autem non ſine ingenti pretio comparata victoria eſt. Mille perierunt, in his majorum minorumque ducum plures. Par quoque ſauciorum conditio ac numerus. Eo prælio penitus contuſæ Jacobæorum vires, non clade, quæ poterat facilè reparari, ſed popularium voluntate, jam demum, quò ferret belli fortuna, ſe ſe inclinante. Ghincleus paucos in caſtris hoſtium moratus dies reficiendis præda otioque militibus, copias Gallivam duxit, nobile munimentis oppidum ad Auſobæ fluminis æſtuarium, Hiberniamque tuto portu aperiens navibus ad occidentem. Frequens ibi erat præſidium Duſſono præfecto, qui ad deditionem ſolicitatus ferociter primùm reſpondit. Poſtquam verò ſuperaſſe hoſtes amnem vidit, & ſe ope, quæ fruſtra tentata fuerat, prohiberi, accepta Lymmericum abeundi cum præſidiariis venia il-

Quanta utrinque cade.

Ghincleus victorem exercitū ad invadendam Gallivam ducit.

Ejuſdem potitur.

illinc diſceſſit. Mox aliqua per id locorum oppida poſitis armis nullam victori fecere moram. Slegum ſe tenuit, quoad immiſſo militum globo vulnerari machinis cœptum. Reliquum erat Lymmericum, arx totius inſulæ munitiſſima, quo ſoſpite Cannacia provincia, oraque illa ad occaſum vergens, Jacobæis adhuc obtemperabat. Itaque Ghinckeus, non ad pauca minoris momenti oppida, quæ nondum ad ſe defecerant, circumducendum exercitum arbitratus, ſed, ubi penitus profligari poſſet, urgendum bellum, eò ſtatim ſigna vertit, illectus quoque Tyrconelli prætoris morte, quem per hos ipſos dies, animi ex afflictis rebus ægritudine urente vitale robur, morbus abſumpſerat, dum Jacobo regi fidiſſimus conſilio atque auctoritate cives ærumnarum pertæſos a mutanda fide removeret. Situm eſt Lymmericum prope oſtium Sineii fluminis, cujus dividitur profundo & lato alveo, patiente adhuc navium. Mœnia interſciſſa roſtratis propugnaculis interior fulcit agger, exterior circumit foſſa, cujus marginem ſepiunt triquetræ munitiones. Oppido Uſſonus Gallus moderabatur, ſed & ſupremi aderant magiſtratus & quicquid reliquum majorum ducum; eòque ex fuga contraxerant armatorum ad quindecim millia; qui tamen plurimi, equitatus præſertim ſuburbana in planitie, qua occidentem reſpicit, non longe a mœnibus,

1691.

Mox Slegi.

Tyrconellus moritur.

Lymmericum deſcribitur.

Quò Jacobæorum reliquiæ ſe receperant.

1691. nibus, ne intus multitudine ſeſe impedirent, caſtra poſuerant. Quippe in alteram partem, recipiendis commeatibus expeditiorem, hoſtis tranſmiſſo amne commigraverat, illinc urbem, cùm utrinque non poſset, oppugnaturus. Ingentem ſecum adduxerat machinarum apparatum, quæ trifariam diſpoſitæ, ollis incendiariis tecta, muros ictu frequenti diverberabant. Simul aggreditur duplici loco vineas agere, quas tamen jaculis perpetuò, aliquando oppidanorum eruptionibus retardatas, lente promovebat; nunquam ad exteriora munimenta, licèt ariete percuſſa ruinam fecisſent, ſubire auſus. Illi enim, intermedio conſtructo inter ſe atque hoſtes vallo, viam interſepſerant ſuiſque nimium fidebant viribus, quæ recentibus ſubſidiis, ubicumque vellent, renovatæ, haud facilè defectura videbantur. Quod ubi Ghincleo animadverſum eſt, novitque durum ſibi facinus propoſuiſse nec ſuperabile niſi excluſo mœnibus hoſtium agmine, quod trans amnem diverſabatur, vel intra muros concluſo ut annona citius ingraveſceret, moleſtiuſque obſidio civibus incommodaret; ſtatuit illud exercitum traducere, pugna alterutrum conſequuturus. Itaque ad tormentorum vinearumque cuſtodiam relictis quot ſatis forent militibus, quicquid reliquum legionum habuit, fruſtra prohibentibus equitibus ſagittariis, qui propere ad ripam ſe obiecerant inje-

Illud Ghincleus oppugnandum aggreditur.

Difficili & lento processu.

ſto ponte flumen trajecit. Ibi levibus nonnunquam præliis, quæ parum ad rei ſummam, certatum eſt; jamque oppugnatio ad quintum & vigeſimum diem perveneràt. Ambo ſibi timebant appetente hyeme; Vilhelmitæ, ne retento ab hoſtibus Lymmerico Vere primo bellum recrudeſceret; Jacobæi, ne mari nunc anni tempeſtate, poſtmodum adverſa claſſe impedito, nulla ſibi foret ſalutis via. Ex hac opinione (quod utriſque commodum erat) de paciſcendi conditionibus agitari cœptum; eæque tandem in hujuſmodi ſententiam conſcriptæ ſunt, ut invicem graves alter alteri fuiſſe reputaverit, Conventum, ut Lymmerico ceteriſque oppidis, quæ adhuc in ipſorum fide manebant, totaque inſula decederent militari honore quotquot Jacobi Regis auſpicia ſequuti, ab iis diſtrahi nollent. Abeuntibus naves & commeatus in Galliam aut quò vellent, nullo accepto naulo, darentur. Abeundi facultas non minus foret Gallis quàm Scotis Britanniſque, gregariis quàm ducibus, indigenis quàm advenis, dum tamen intra certum tempus in id ſua ederent nomina. Arma, equos, argentum, gazam, conjuges, liberos ſecum eveherent. Manentibus frui liceret otio ac patrimonio, nec fraudi foret, Jacobo meruiſſe vel ejus partes tutatos. Ob æs alienum aut crimen retineri nemo poſſet. Quicquid Hibernici nominis bello captum, in li-

1691.

Sermo de oppido tradendo injectus.

Concluditur memorabili cōditione, quæ deſcribitur,

1691. bertatem reſtituerent. Ita in Hibernia res compoſitæ variante, ut plerumque ex præoccupata opinione, vulgi judicio; cenſentibus aliis incommodum fuiſſe Vilhelmo Regi, tot inde copiis emiſſis hoſtium ſuppleri exercitum; aliis male ſibi Gallos conſuluiſſe, univerſa in fines Imperii ſui averſa belli furentis ira. Verùm & iſtis non tanti erat, ibi aliquid præcipitanti nimiùm fortunæ afferre moræ, ut maximas in id impenderent vires, longe utilius alibi valituras. Et plurimùm Vilhelmi intererat, qualicumque remedio ulcus ſiſtere, quod exemplo & mutui auxilii ſpe in Scotiam Britanniamque nondum

Hinc penitus Vilhelmo Regi Hibernia accedit.

penitus confirmatas ſerpere minitabatur. Patebat ſimul, eum Hiberniæ cura ſolutum ac liberum poſſe Fœderatos præſenti ope armorumque majori ſtrepitu ad alacrius audendum excitare. Quocirca eidem ulceri altius cicatricem

Qui mitius agendo populorum animos ſibi conciliat,

obducturus, auctor ille etiam Anglicano Concilio fuit, ut cùm catholica adhuc religio in Hibernia floreret, nemo ibi magiſtratum adeptus ad ejus deteſtanda ulla dogmata, dum fidem pro bene gerenda republica obligaret ſuam, adigeretur. Qua lenitate non parum ab ea gente mœroris abſterſit indiditque conciliandæ benevolentiæ ſemina. Adeo ad flectendos animos nihil æquis moderatiſque legibus potentius eſt.

Non eadem ipſi in Belgio proſperitas.

Non eadem Vilhelmum proſperitas in Belgium eſt proſequuta. Media hyeme periculoſaque naviga-

vigatione in Bataviam tranſvectus, Hagam extemplo ſe contulerat, exceptus triumphali pompa plauſuque. Senatum ingreſſus, plura dixerat de confecta celeriter fœliciterque Fœderatorum præcipue Ordinum auxiliis Britannica expeditione; de ſe pauca, ſed plena in eos amoris & grati animi. Hortatus deinde ut quantis valerent viribus commotam in Gallos tempeſtatem impellerent, addiderat: ſe regno, quamquam prorſus turbulentis ingeniis nondum vacuo, diſceſſiſſe ratum nuſquam melius operam ſuam pro communi ſalute locatum iri quàm obeunda ſuprema armorum præfectura, ſibi a Republica vixdum ex ephebis egreſſo olim credita. Hac igitur ſe defuncturum, eòque libentius quòd ita novo argumento compertum redditurus eſſet, non ſe illam ambitione aut dominandi libidine (quippe qui utramque regia dignitate expleſſet) adhuc geſſiſſe; ſed ut Majorum exemplo patriæ tueretur commoda ac libertatem. Quod quidem a Senatu auditum læto annuenteque in ſpeciem vultu, tacite verò mœſtis animis, verito ne nimis ex ejus arbitrio pendendum ſibi foret; iis raro morigeris qui, ſi nolint imperata facere, cogi nequeunt. Dein quidpiam a Rege datum temporis excipiendis Principum Procerumque ſalutationibus, qui frequentes ad ipſum officii aut demerendæ beneficentiæ gratia convenerant. Enituere inter primos Octoviri Brande- 1691.

Batavorum Senatum alloquitur.

 bur-

1691\. *Plures Principes majoreſque militum præfecti ad eum conveniunt.*

burgenſis & Bojoarius, inter alteros Hiſpanienſis Belgii prætor Caſtanagæ Marchio. Cunctis ille veterem conſuetudinem comitate; magnificentia & agendi majeſtate recentem fortunam exhibuit; quæ omni officiorum genere obſequiiſque celebrata, nunc etiam documento fuit: unam ſpectare homines eventuum fœlicitatem, ad eamque nullo boni malive diſcrimine ſe circumflectere. Stabile & incorruptum nonniſi a poſteris, quippe quod ſine metu aut ſpe, rerum judicium eſſe. Inter hæc de reprimenda Gallorum ferocia, qui per eos dies populationibus corraſiſque trecentis ſcutatorum millibus Hiſpanienſe Belgium fœde vexaverant, de omnique gerendi belli ratione frequenter conſultum; cùm denique dimiſſo conventu & Vilhelmo animi & venationis cauſa Loum digreſſo, nuntius affertur: Montes Henoviæ provinciæ caput cinctum Gallicis armis atrociter oppugnari. Pudor atque admiratio Regem inceſſit, ſe vicinaque ſaltem arcium præſidia tantam rei molem, non uno die non levi ſtrepitu comparandam, latuiſſe. Ne id Galli (quod ad famam negligentiæ obliterandam reliquum erat) inultum ferrent, remenſo itinere confeſtim juſſit legiones Hallam ex hibernis deduci, properare viam, rem nulla mora bellicam expediri; utque præſens imperata urgeret, eò pergit. Ad prima Veris ſigna Gallis iter Montes

Quibuſcum de belli gerendi ratione agit.

Montes Henoviæ oppidum Galli invadunt.

tes

tes indictum. Prægreſsus Beuflerſi Marchio cum aliquot legionibus itinera ad oppidum interclu-ſit. Mox reliquus ſupervenit exercitus ad ſexaginta hominum millia cum quatuor legatis Humiereſo, Luxemburgio, Duratio, Fevillada, & magna illuſtriorum militiæ ducum frequentia. Statim deinde cum Delphino, Duce Aurelianenſi fratre, & hujus filio Carnotenſi Duce Rex Ludovicus affuit, rei gerendæ imperio auſpicioque ſuo præfuturus. Urbs eminet alluiturque paluſtribus aquis, circa late ſtagnante, qui per eam paludem progreditur, Trovilla fluvio. Ab ea parte, qua meridiem ſpectat, pedibus aditur ac ſe patefacit. Ubi ſtagnum munimento eſt, validis tantùm muris concluditur, interjectis identidem rotundis turribus, & raro, quandocunque longo intervallo ſe inflectunt, roſtratis propugnaculis. Ultra foſſam viamque tectam, quicquid e paludibus emergit, variis caſtellis occupatur. At ad meridiem ſurgunt potentiores latioreſque munitiones; præcipueque impoſitum ſemilunari cornutum opus aditum ad portam prohibet. Præerat oppido Bergæ Princeps cum ſeptem veteranorum millium præſidio, congeſtaque erat rei militaris, quanta ſufficeret validiſſimæ propugnationi tuendoque maximi momenti loco, quo Henovia provincia nobiliſſimæque urbes, Bruxellæ in primis, protegebantur. Ei primùm Gal-

1691.

Præſente Ludovico Rege.

Oppidi munitiones deſcribuntur.

Oppugnatio narratur.

1691. Galli frequentibus ſtationibus per arva circumfunduntur; juſſuſque Humiereſus longius ducto ſeptem millium agmine adversùs hoſtem, ſi vagaretur, quidpiam moliri aut excubare. Rex obequitando ſpeculatus mœnia ſitumque urbis, primò explorandum cenſuit an diductis aquis liceret aliqua ex parte vada nudare. Quod cùm longum dubiumque fore intellexit; ne procraſtinando in diſcrimen rei eventum magis adduceret, vineas, quà ſtabile ſurgebat ſolum, quamquam validioribus interſeptum operibus, agi, e militari arte ac re præſenti magis duxit. Et illæ quidem ad utrumque operis cornuti propugnaculum incredibili celeritate ductæ, quamquam oppidani nocte dieque majoribus minoribusque tormentis omne miſſilium genus effunderent. Verùm tanta erat ducibus militibuſque properandi alacritas, addente animos Rege (qui nonnunquam vel interiora hoſtium telis opera ipſumque aggerem perluſtrans, teſtis alienæ virtutis adeſſe voluit) ut nihil præ ſucceſſus gloria prius haberent. Vineis ad foſſæ labrum adductis, hæc ad ſiniſtrum ejuſdem munitionis cornu æquari cœpta. Mox in illam audacter Galli ſe immittere. Sed cùm nimiùm paterent vel minutis e muro deſuper frequentiſſime contortis jaculis,& plurimi diſcerperentur, incœpto abſtitere. Per noctis tenebras iteratum facinus, proſpero ſucceſſu (nam cœco ictu pauci pro-

proſternabantur) finem habuit, fixuſque ibi firma ſtatione gradus. Interea quinque ac tricenæ majores machinæ a fronte a latere adverſæ munitionis decuſſerant mœnia. Aperto aditu lenitoque ruinarum clivo prætoriani pyrochitrophori, quos una ſui nominis legio ſubſequebatur, dedere impetum. Bis repulſi, inſtaurata pugna conatu non deſtitere, niſi mediam in aream hoſte propulſo; qui tamen recenti milite recreatus, non ita multo poſt ſe iterum intulit adeo ferociter ut non modò aggerem ad propugnaculi fauces jam prope ab Gallis excitatum deturbaverit, ſed obſtinato prælio & mutua ingenti cæde illos viciſſim vel ultra foſſam detruſerit, fruſtra primipilis ceteriſque ordinum ductoribus, intento in fugientes mucrone ut ſaltem ancipiti metu gradum ſiſterent, connitentibus. Ubi intra vallum ad ſe rediere, pudor infauſti eventus excuſſit metum; avideque poſtulantibus novam pugnam, in poſterum diem, priuſquam ardor animi conſediſſet, indicitur. Suppleti auctique ſeptem aliis pyrochitrophorum cohortibus; ſubſidiaria e prætorianis Helvetiis acies conſtituta. In prima fronte, qui pridie ceſſerant, locati, labem illam egregiis factis aut decora morte deleturi. Agmen in clivum erigentibus obviam ad ſupercilium fuere quadringenti armati ſariſſis, falcibus, igniferiſque manualibus ollis, quot inſtru- 1691.

1691. ſtructos excipere valuerunt ſtrage murorum patentes fauces. Multa utrinque corporum laceratione tres amplius horas, neutrò inclinante victoria, pugnatum erat, cùm Gallis ab dextero extremo latere per ipſa ceſpitibus compacta mœnia in munimentum evadentibus diſtrahentibuſque ad novum terrorem propugnatorum partem, ii utrobique ad reſiſtendum impares occidione propemodum occiſi ſunt. Vacuam illi ſubire aream, nimis infeſtam immiſſis ex oppidi ſuperjacente lorica jaculis, non tamen auſi. Terram præ ſe molientes, vallum caute in dexteram promovebant. Quamquam non diu fuit, cùm pertæſi lenti operis, aperto corpore nec ſine plurimo ſuorum ſanguine in ſubjectum triquetræ munitionis ſpatium exilientes, aggere ſe abdiderunt. Succeſſu læti ad eventum properant. Sex inde machinis, tricenis e foſſæ margine, oppoſitam parmam ac ſemilunare ad lævam opus nulla requie atrociter feriunt. Interea e captæ munitionis extremo latere ſe ſe inferentes, ab interiacente via tecta oppidanos propellunt ingenti mutua cæde, materia identidem ante ſe aggeſta ut, quò ſenſim proceſſerant, ſtabili conſiſterent gradu ac pedem figerent. Tertio die ultra roſtrum ſe circumduxerant; jamque arietes tantum decuſſerant mœnium, tantumque foſſæ compleverant rudera injectique faſces ut quinquagenum in fronte agmi-

agmini darent viam. Id enimvero civibus injecit metum ne parmæ jam tandem ſuperatu facilis hoſtes potiti, illinc breve conatu ſuffoderent diruerentque oppidi muros, nec amplius honeſtis conditionibus & ſalvis rebus urbem accipere in deditionem vellent. Accedebat non ſine omnium lacrymis in dies ædium ruina, quas viginti quinque pyrolmi, vixdum oppugnatio inceperat, aſſidue verberabant. Nunc totidem ex area cornuti operis jaculantes cumulabant ſtragem; nec illata illinc flamma, quin ſe dilataret, comprimi ubique poterat. Cives tantam rerum ſuarum labem tacito primùm dolore pertulerant; dein vulnerati animi indicia, gemitus interruptæque voces conſequutæ. Vicit denique tentatam diu patientiam caſus quidam, quo & præſidium vacillare viſum. Olla incendiaria in magnum ſulphurati pulveris acervum arce concluſum inciderat: iſque concepto igne ferociter baccatus ipſius arcis, parvi ceteroquin momenti, muros & circumjectas late domos abſtulerat, quodque ad terrorem plus valuit, quingentos puberes. Dum obito periculo fremit civitas, prætorem adeunt magiſtratus: commemorant, quanti ad eum diem ſteterit civibus fides in Hiſpanos ſua: nec ullis, addunt, unquam ærumnis, hæ ſi hoſtium vim refrenare poſſent, convulſum iri. At quandoquidem, quæ adhuc ſuper- 1691.

Digitized by Google

1691. perſint ſeu murorum lorica ſeu militum numerus ſeu bellicus apparatus ad illam paucos dies cohibendam vixdum ſufficiant, nec in tempore a ſociis affuturum auxilium, ſpes affulgeat; non eſſe cur longius innocui populares inutilis conſtantiæ productæque deditionis pœnas luant: ac ſibi, ſin minus velit ipſe, conſulere prohibeantur. Prætor gnarus vera eſſe, quæ dicebantur, eoſque utpote armis inſtructos ac longe militum numerum ſuperantes, id extorquere poſſe, quod modeſte poſtularent: paullum ſimulando tergiverſatus ne libenter eorumdem voluntati ceſſiſſe videretur, annuit denique in hoſtium poteſtatem urbem tradere. Propoſito deditionis ſigno, facilè de conditionibus conventum eſt. Quindecim non amplius dies munitiſſimi oppidi oppugnatio tenuit. Abiere cum omni militari honore, ſex machinis, & re domeſtica præſidiariorum quatuor millia quingenti. Reliquos ferrum deleverat. Gallorum haud minus quatuor millibus deſideratum: non grande pretium, ſi rei momentum expendatur; minimum, ſi gloria facinoris &, quæ in bello valet plurimùm, inclinata inde hoſtium fama. Rex impoſito illic peditum decem, equitum quatuor millium præſidio, iiſque præfecto Vertillaci dynaſta inſtructore exercitus, ſeptimo ac vigeſimo poſtquam diſceſſerat die victor Verſalias rediit. Militi-

Cujus eventus Gallis fælix, urbe in poteſtatem accepta.

Qua utrinque cæde.

litibus datum ut ſe reficerent quidpiam otii. Nam & hoſtes hyematum copias remiſerant; quæ quamquam ingenti ſtudio Hallam properare juſſæ, non eo convenerant numero ut ſatis ad opem obſeſſis ferendam aut aliquid in Gallos audendum Vilhelmus, qui aderat, fore putaverit. Is inde in Britanniam, ut dictum eſt, celeri curſu iter arripuit; reverſuſque unum & vigeſimum poſt diem, ornandæ accelerandæque rei militari eò impenſius contulit operam, quò magis extimulabat ſaucium animum hoſtium proſperitas atque intolerabile generoſo Principi famæ periculum. Adulto Vere ad arma diſcurſum, eductaque rurſum ex hibernis ſigna. Gallis præerat, ut ſuperiori anno, ſummo cum imperio Luxemburgi Dux legatus, ducebatque ſeptem vicenaque millia peditum, tricena equitum. Nec procul inter Moſam Moſellamque flumina cum novem equitum, decem peditum millibus diverſabatur Beuflerſi Marchio prolegato. Fœderatis imperitabat Vilhelmus Rex pari exercitu, ſed ita ut Gallorum equites æquaret peditibus, ac viciſſim illorum peditatum equitum ſuorum numero. Clivenſem Juliacenſemque oras & Moſæ propinquam ripam Flemingo duce Brandeburgenſes Haſſianique, qui aucti paullo poſt Leodienſium globo quatuordecim conſtabant millibus, adverſus Beuflerſi legiones tutabantur. Et Caſtanagæ

1691.

Ludovicus Rex Verſalias redit.

Quæ utrinque vires.

 Mar-

1691. Marchio ſeptem millia ſuo Regi merentia ſecum adduxerat, regionem trans Scaldim amnem populationibus prohibiturus. Tantum invicem inſtructum robur magnam ſui expectationem commoverat, quæ tamen vulgi inſatiabilem rerum novarum cupiditatem fefellit. Primæ Beuflerſi copiæ Leodio admovere ſigna. Conſilium erat, Epiſcopum, qui ei dominatur, populareſque, ut in Gallorum partes concederent, ſolicitare ruinarum, incendii, tumultus metu. Plures enim Cardinalis Furſtembergii clientes inerant, quos de cienda ſeditione fidem obligaſſe ſuam (& fortè obligaverant) ſuſpicio manebat; cui tamen tempeſtive præcautum exarmata plebe. Galli ab ipſo adventu in Carthuſiæ collem urbi imminentem direxere agmen. Locus oppidanorum præſidio tenebatur, qui tamen vixdum muri parte receſſum claudentis dejecta, cùm fruſtra obnixuri eſſent, ad ſuos intra mœnia ſe retulere. Quatuor ibi locata majora tormenta, quæ ignitis globis; duodecim pyrolmi, qui ollis incendiariis in tecta, in cives flammam ſtragemque inferrent. Hos primùm raris ictibus miſſoque internuntio, quanta impenderet ſibi clades, fruſtra admonitos (ſiquidem faciebat animos repulſus haud ſemel hoſtis a portis ſuburbiiſque), atrox demum igniferorum miſſilium tempeſtas perculit. Inde tamen mutata ruinis oppidi facies, non civium fides

Leodium verberatum a Gallis.

Nihil inde territis oppidanis.

ſides. Quam Beuflerſius ab omni parte invictam conſpicatus; compertoque, ad opem afflictæ quaſſatæque urbi ferendam approperare hinc validam Batavorum Tillio præfecto, illinc Lippæ Comite Brandeburgenſium manum, militibus colligere vaſa juſſis, prope Bullonum ſe recepit; nec ita multo poſt, paucis ibi ad ſubitos caſus relictis legionibus, iter cum reliquis ad conſularem Luxemburgi exercitum continuavit. Tota ſiquidem in eam partem verterat belli moles. Ille dudum Hallam proceſſerat, oppidum frequenti præſidio ſed ſubitariis tantùm operibus circummunitum intercepturus. Non prius properantem ſilenti agmine ſenſere oppidani, quàm prope mœnia ſtatuentem ſigna conſpexerunt. Dum jaculis militem, in foſſæ margine incredibili audacia erigentem vallum, ſubmovere ſtudent; ſex repente murales machinæ quatuorque pyrolmi in colle, cui ſubeſt oppidum, ædium & corporum ſtragem minitantes apparuere. Id ubi vidit Thiani Comes, qui rei militari moderabatur, veritus ne citò redacto in anguſtias oppido, nulla dedituris foret libere abeundi venia, clam ex averſa porta eductis concubia nocte militibus relictaque impedimentorum parte, ne tardarent agmen, ſe ſubripuit. Galli urbem ingreſſi dejectiſque munitionibus, quæ ſi quando res ita ferret, viam Bruxellas impedire potuiſſent, caſtra ad Enghie-

1691. Gallis demum diſcedentibus.

Luxemburgius Hallâ occupat.

1691\. ghienum, opportunum pabulationi locum non procul ſtatuunt. Vilhelmus contracto denique exercitu eò contendit poſuitque modico ab iis intervallo exadverſum caſtra, auctus & ipſe Flemingi copiis. Paucos poſt dies primi Galli Brainum Comitem oppidum traduxere ſigna. Rex Lovanio timens, Dighemum venit. Nec diu fuit cùm Soegnem illi circumflexo itinere & mox Malbodium ſupra Sabim amnem; Vilhelmus Gemblurſum, longe diverſus, quò utrumque vocabat pabuli copia, digreſſi aliquot otio traduxere dies. Inde Fœderati celeri curſu digreſſi prope Carolomontium Sabim trajecerunt intuleruntque Luxemburgio metum ne oppugnaturi Dinantium, ad Moſam amnem munitum oppidum, iter præciperent. Nulla proinde mora & magnis itineribus Sabim & ipſe tranſgreſſus, antevertit; Valcuriæ, quæ viam interſepiebat præſidio impoſito. Re cognita, Rex ad lævam divertens, Bellomontium pergit, unde viciſſim Gallis Malbodium intercluſurus erat. Huic timens, quod impedita ope diſcrimen adiiſſet, Luxemburgius extemplo hoſtem inſequutus, in ejus conſpectu ſignâ locavit. Stetere acies rivo interpoſito inſtructis ordinibus & modico diſiectæ ſpatio, proluſæque tormentorum boatu pugna tamen abſtinuere; quod utrique imperatori jam antea propoſitum fuiſſe creditum eſt, averſatis incertæ

Vilhelmus Rex caſtra propius hoſtem locat.

Longius deinde, ac ſe invicem eludunt.

Caſtra caſtris collata, nullo tamen prælio.

tæ fortunæ, niſi quantùm caſus aut inexuperabilis neceſſitas cogeret, ſe committere. Inter hæc aliquot Gallorum cohortes Cliviæ Juliæque regionem populatæ, duodetriginta deuſſerant vicos, atrociora minitatæ, ni grandi pecunia ſe circùm populares redemiſſent. Id Brandeburgenſibus in cauſa fuit ut confeſtim eò redirent ad ſua tuenda. Imminuto exercitu, Vilhelmus iterum tranſmiſſo Sabi (& jam æſtas abierat) in Brabantiam ſe recepit prope Athum; juſſoque Valdechiæ Principe, maturius copias tot itineribus fatigatas in hiberna dividere, inde animi & venationis gratia Loum diſceſſit. Luxemburgius hoſtem veſtigiis proſequutus prope Tornacum pervenerat. Ibi certior factus, illum poſtridie Leuſa caſtra moturum, poſtremum carpere agmen conſtituit. Cum ſelecta equitum trium millium quingentum ala iter ingreſſo nuntiatur a præmiſſis ſpeculatoribus, magnam hoſtilis exercitus partem trajeciſſe propinquum Catoiræ rivum; ſeptem ſolùm equeſtres legiones nondum traductas. Eò repente citatis equis urget agmen. Et jam propè aderat, cùm repente pari ferocia excipitur. Pugna fuit, ut inter certandi avidos ac diu deluſos, atrox atque obfirmata. Quoad Galli facto cuneo perrupere primùm adverſos ordines, mox in fugam conſternarunt. Ad prælii ſtrepitum Fœderatorum equitatus pari numero con-

1691.

Quocirca Vilhelmus recedit,

Nec ita multo poſt Fœderatum exercitus.

Quem abeuntem Galli aggrediuntur.

1691. confeſtim regreſſus in oppoſitam ripam, ſubſidiariam direxerat aciem; quam illi non minus poſt acre prælium turbarunt impuleruntque. Pulſos citato curſu inſectantibus Luxemburgius cani receptui juſſit, veritus ne cum propinquo hoſtium exercitu certa pernicie ſe ſe implicarent. Cecidere eo certamine Fœderatorum ad mille quingentos, trecenti capti; Gallorum quadringentos mors abſtulit. Utrique poſtmodum hyematum ducti. Illi in proxima Hiſpanienſis ditionis oppida, quibus, ſi fortè hoſtis ingrueret, præſidio eſſent. Hi per Gallicum Belgium diſperſi, e vicinia, ubi ſe daret occaſio, populaturi. Quæ dum illic geruntur, non minus atrociter ex oppoſita Galliæ parte in ſubalpinam Italiam Mars deſæviit. Hyemem quammaxime infeſtam Galli per ea loca reddiderant non frequentibus tantùm e Caſale Pinarolioque excurſionibus, quibus vel e circumjacente Auguſtæ Taurinorum agro manubias retulerant; verùm e triplici valle ad Cottias alpes (una ſolùm reliqua nondum domita Lucernenſi) dejectis Calvinianis incolis; in ditionem quoque redactis Renazo ignobili arce, Savilianoque, ſitu & frequentia civium non parvi momenti oppido. Ad utrumque Feuquiereſi Marchio, cui Pinarolium provincia erat, gnarus levia inibi & incurioſa præſidia eſſe, ſilentio noctis ſeptingentos equites, inter quos bis cen-

Nullo inſigni ſucceſſu.

Subalpinum bellum exponitur.

centum Sagittarios, duxit. Una Renazum oppidum tenebat cohors, quæ hoſtem (nam excubiæ, quamquam oborta nondum luce, mœnia ſubeuntem viderant) repulſura, ſtationibus diſpoſitis ad arma concurrerat. At ubi ſenſit pyloclaſtrum portæ appoſitum, nihil morata deditionem fecit. Savilianum, quò deinde Feuquiereſus ſex peditum totidem equitum centurias adduxerat, ſcalis admotis oppreſſum eſt, captique centum prætoriani equites, qui præſidii atque hiemandi cauſa illic erant. Non eadem proſperitas Avellanam paullo poſt invadenti obvenit. Frequentiori milite, quippe quæ ab obtinentibus Seguſium Gallis Taurinenſem oram contegeret, detinebatur. Validiori proinde agmine rem geſturus, partem Seguſiani militis ad ſe vocavit. Dum ſubit expeditque arietes, tanta ferocia e muris atque erumpente præſidio repulſus eſt ut centum deſideratis ac bellici apparatus parte, ipſe quoque leviter ictus, viam redire, optimum conſilium eſſe duxerit. Tentatum quoque ſumma hyeme ab Gallis Momilianum eſt, eò per nives ac gelu immiſſis legionibus, quæ in Sabaudia hibernabant. Verùm cùm nulla foret ſpes voluntariæ deditionis aut vi ſuperandæ arcis, præſidio, natura loci, atque operibus munitiſſimæ; res eò tantùm cecidit, ut nonnihil verberatis mœnibus illataque igneis ollis in cellas penarias & domos flamma, oppugnatio in ob-

1691.

Plura ibi oppida Galli obtinent.

Ab Avellana propelluntur.

Momilianum fruſtra tentatū obſident.

1691. obſidionem verterit. Dein miteſcente jam anni tempore Catinatius collecta ex hibernis copiarum parte ante Villamfrancam oppidum infeſta conſtituit ſigna; nec mora oppidani ad primum tormentorum ictum ſe dedidere. Arcem alto impoſitam ſaxo ſed levi cinctam munitione mille armati, plerique inexperta provincialium turba, propugnabant. Negantibus, niſi vi adactos, ſe diſceſſuros, vineæ ad propugnaculum, quod mare ſpectat, admoveri cœptæ. At concitata illinc tormentis pyrolmiſque atrox procella mutavit, uno interpoſito tantum die, præſidiariis mentem; territis etiam præfecti morte, quem jaculum e pyrobaliſta immiſſum caſu mactaverat. Itaque pacti honeſtum abitum, portas aperuerunt. Poſtridie caſtellum in portus oſtio, prorſus indefenſum, victori ceſſit. Inde Montalbanum prope Nicæam, ſublimi inſidens colle, ducta ſigna. Et illud vix primis ſemel tormentorum jaculis concuſſum in hoſtium poteſtatem venit. Præſidia cum omni militari decore permiſſa Finalium ire. Nicæa per id locorum ſupererat cognominis regionis caput, in qua ſuſceptæ expeditionis ſumma verſabatur. Duo paſſuum millia ob oſtio Vari fluminis in ipſo litore aſſurgit rupes undique abrupta, niſi qua parte in ſubjectam planitiem deſcendit. Ad ejus radices Nicæa ſedet. Arx per gyrum ductis mœnibus rupem oc-

Villafranca potiuntur.

Et Montalbano.

Nicæam pergunt, quæ deſcribitur.

occupat ; tuta , ubi eſt inexuperabile ſaxum , 1691.
loci potius munitione quàm anguſtis, quæ habet rotunda aut angulari forma , propugnaculis . Qua parte ad urbem deprimitur terreno clivo , lorica protenditur validiſſimis roſtratis interjecta , cui foſſa viaque tecta circumfunditur ac præclaro munimento ipſum protegit arcis corpus . Vixdum exercitus in conſpectu fuit , Nicæenſes urbem tenui muro concluſam Catinatio in deditionem celeriter obtulerunt, ſua dummodo ſtarent jura , nec ipſi quidquam hoſtile paterentur . Accepta in id fide , dum paullum de re ſine tumultu gerenda conſilia digerunt , Froſaſchi Comes arcis præfectus, cognito , quid ſe inconſulto cives tranſegiſſent , miſit illico ad obſepienda , ne diffringerentur , portarum clauſtra , cohortes aliquot, quæ tamen ab oppidanis vi propulſatæ confeſtim in arcem rediere . Hanc deinde Galli , oppidum ingreſſi , trifariam eductis vineis ad promuralem loricam , tanto impetu atque alacritate adoriuntur ut quarto die, repugnante licèt ſoli malignitate , in foſſæ labro ſigna ſtatuerint. Interim ariete , ſed levi ruina , mœnia diſcutiebantur . Plus ollis incendiariis profectum , quarum una , in caveam peruadens nitrati pulueris, ingentem hominum loricæque in ſupercilio rupis cladem edidit ; altera immixta pyrochitrorum acervo metum magis quàm ſtra-

Urbs illico invito Præfecto.

Arx reſiſtit.

1691. ſtragem cumulavit. Non diu poſt præſidiariis non ſine atroci prælio tectum iter eripitur, atque in foſſam deſcenditur; unde cuniculus evertendis bellico pulvere mœnibus immittebatur. Tot undique circumfuſus periculis, octavo, poſtquam oppugnatio cœperat, die præfectus non amplius, quin hoſti cederet, cunctandum cenſuit; pactuſque militare abeuntibus decus, præſidium (mille ducenti ſupererant, ad ſexcentos ferrum aut flamma necaverat) Oneliam deduxit. Id enimvero, cùm inopinatum accidiſſet augeretque præteritas calamitates, ultra modum perculit Victorii Amadei animum; & niſi tumida, qua illum ut minorem prope contempſerant (inſanabilis inclyto Viro dolor) Gallorum aſperitas inexpiabile reddidiſſet ejus in ipſos odium, timendum Fœderatis erat ne demum tot permotus ærumnis fluctuaret; cùm præſertim ab ſocero Aurelianenſium Duce clam fuiſſet per eos dies monitus rogatuſque, ne vanis eorumdem illectus promiſſis ſua penitus in diſcrimen daret, utque exorabili Auunculi benevolentiæ, quàm fallacibus exterorum blanditiis ſe potius crederet. Reſtiterat autem, iracunde fatus: ſe fruſtra ſolicitari nec unquam a ſociorum fortuna divulſum iri; vel ſi gregarius Cæſaris miles agendus ſibi eſſet. Adeo una ſolùm comitate magnanimi flectuntur animi; verborum ac re-

Tandem Gallis cedit.

Hinc Vict. Amadeus Dux perturbatur.

Clamque ad Gallos illicitur.

Sed inaniter.

rerum acerbitate ſemel exaſperati, rarò mutant. 1691.
Verùm cum Principe Eugenio vehementer queſtus, quò calamitatis e florentiſſima ſpecie Imperium ſuum recidiſſet, & quantus impenderet metus ne illo penitus diſpoliaretur; quo tamen metu fidem ſuam nequaquam labefactari cerneret; ipſum impulit ut citatis itineribus Viennam iret, parem afflictis reſtituendis rebus opem exoraturus. Non enim, ajebat, ſi hoſtis longe ferociori, quàm Fœderati exiſtimarint, Italiam urgeret impetu, cui repellendo non ſatis ſint promiſſæ militum legiones; pactum auxilium non initis conditionibus ſed neceſſitate, quæ una prudentibus agendi norma proponitur, metiendum eſſe. Eugenius publicam non minus quàm cognati Principis cauſam amplexus, viæ confeſtim ſe commiſit. In Aulam profectus, quæ belli ac rerum conditio Fœderatos in Italia maneret, his prope verbis expoſuit. Utinam, Cæſar, quæ renuntianda mihi ſunt, ſine ullo communis ſalutis diſcrimine liceret ſilentio prætermittere; minus animo æſtuarem, quo pacto illa pro ſui gravitate conſequi penitus dicendo poſſim. Quamquam ut ut ad ſingula enucleatius explicanda dolore impediar, ſummam referre ſatis erit. Clade per Italiam maxima concuſſi ſumus. Sabaudia præter Momilianum, obſidione tamen vix non abſumptum, in hoſtium poteſtatem venit. Regio ſubalpina ab

Principem Eugenium ad Cæſarem opem oratum mittit.

Hujus ad Leopoldum ſermo.

1691. ab iiſdem aut ſubacta aut fœde populationibus divexata. Modò Nicæenſis Comitatus cum arce munitiſſima non parva ipſorum Imperio & noſtris ærumnis acceſſio fuit. Victricia, quò lubet, arma circumferunt; nec dubito quin, quæ adhuc ſe tenuerunt, oppida brevì ceterorum fortunam ſequi neceſſe habeant. Ipſi Auguſtæ Taurinorum, primariæ illic validiſſimæque urbi, minitari audent, ne quid illuſtri Principi, ubi in ſuo veſtigium faciat, reliquum ſit. Neque verò hæc tanta rerum viciſſitudo ejus incuria ſegnitieque accidit. Quis enim illo audacior in obeundis periculis, fortior in ſuſtinendis propulſandiſque? Quis diligentior in comparando bellico apparatu, delectu militum habendo, muniendis oppidis? Præoccupavit hoſtium conſilia, cavit inſidias, vim fregit, intulit; ubique præſens vel animo vel imperio vel re gerenda; pro ſuaque tuenda fide non parcens pecuniæ, non labori, non valetudini. Quòd ſi noſtræ per Galliam ſubalpinam res jacent; aliqua ſaltem foret ſpes, Italicorum Principum benevolentia ſublevatum iri. Verùm, ne quid taceam noſtrorum vulnerum, tantùm abeſt ut nos labantes retinere illi velint, quin, ſi ferat occaſio, impulſuri videantur. Capta in Monteferrato provincia à Germanis, in Mantuana ditione ab Hiſpanis hiberna, mirum eſt, quantum Reguli ejuſque gentis animos exaſpera-

peraverint. Sæpius armis coercenda fuit popularium, in noſtros milites furtim graſſantium, immanitas. Repertus eſt, qui ab ipſo Duce ad Gallicanum Caſalenſis arcis præfectum afferret literas, ut nobis hyemem quammaxime infeſtam redderet; dum interim ille, conſcriptis Ludovici Regis pecunia quatuor legionariorum centuriatiſque ſex provincialium millibus, otium per idem anni tempus hyemantibus illic Hiſpanis exagitavit. Quid quòd ubi comperit ab Opitio Marchione, tua ad Italiæ Principes legatione functo, commeatum collectis militibus atque Oratori Gallico dandum ſibi eſſe in tuaſque partes concedendum; ſtatim Venetias adiit, Senatum in ſuarum querelarum ſocietatem adducturus? Fruſtra quidem; ſed hoc tempori, non quòd Senatus ab re abhorreret, negatum. Quid quòd occultas ſubjecit faces, admonuitque Italorum potentiores, ut communi conſilio luctuoſam perniciem ſibi primùm illatam, cunctis propoſitam, avertere nt declinarentque? Hi autem quid? tacent. Verùm ſolicitis curis eos mordet indicta ab eodem legato aliis pecunia, aliis hibernorum incommoda; & ni caveamus, timendum eſt ne, qui non obſcuris indiciis jam prope ſe produnt, maximos tandem tumultus excitent. Verſat enim concitatque vehementiſſime mortalium animos imminens malum. Ubi 1691.

ad-

1691. adeſt; dolore fracti aut majora veriti, in uno ejus propulſandi ſtudio ſe obfirmant. Hac modò illic rerum conditione ſumus; quæ quamquam depreſſæ inclinatæque, nullo tamen erigi pacto ac ſuſtentari nequeunt. Quin ad noſtram opinor utilitatem interfuit, in hujuſmodi anguſtias incidiſſe. Nam dubiæ negligerentur. Nunc in diſcrimen adductæ facilè ad ſe tuam ac Fœderatorum opem ſolicitudinemque revocabunt. Niſi fortè, quò magnam ſuarum virium pårtem hoſtis intendit, vos ibi pares objiciendas non reputabitis; cùm præſertim nuſquam utilius impenſum iri, tantùm ut ad rem animus adijciatur, palam & apertum ſit. Cur enim Allobrogum Ducem ſingulari ſtudio in veſtram ſocietatem traduxiſtis, niſi ut ille quà pervia maxime Gallia eſt, vobis viam panderet? quà plurimùm domeſticis turbis implicari poteſt, immiſſo per alpes exercitu involveret? Ubi Gallis pluſquam alibi incommódum ac ſumptuoſiſſimum eſt, illic bellum aleret incenderetque? Quammaxime quoque penſandum eſt, qui foret hominum ſermo, quod veſtri nominis detrimentum, niſi vel extremo conatu fœderatus Princeps, qui ſe ac florentiſſimum Imperium rejectis Gallorum ampliſſimis conditionibus pro ſalute commodiſque veſtris devovit, in priſtinum ſplendorem fœlicitatemque reſtitueretur. Denique id Cæſar multum

tùm animo volutandum. Cuncta Italia hæret 1691.
anceps utrius auſpicia ſequatur, Ludovici Regis an tua. Judicium ex una belli, quod geritur, fortuna pendet. In quam partem inclinabit, huic & ipſa ſuis viribus momentum addet, ut uno veſtrum depulſo, minus ab altero damni capiat. An non igitur e tua re potius fuerit, auctis copiis ita illic arma tractare ut ſuperatis hoſtibus tantam provinciam obnoxiam habeas? Tum priſci ac prope obliterati veterum diplomatum tituli ad exprimendam pecuniam, ad belli commoda valebunt. Inermes nunquam non odio ac ludibrio erunt. Nuda ſiquidem jura, ubi arma concrepuere, tacent; ſatiſque habeñt, ni penitus concidant atque obſoleſcant. Cæſar fatus: nihil non eorum, quæ modò ſibi renuntiarentur, verum eſſe: reſpondit Eugenio, curæ Italicam rem ſibi fore. Illuc, quamprimum poſſet, rediret, ne præter cetera incommoda, qui ſummo cum imperio Germanicis copiis moderaretur, deeſſet. Eas autem inclyto ſocioque Principi referret citò magnis incrementis auctum iri. Diu deinde fluctuatus, quo pacto promiſſum faceret (nam Germania Pannoniaque primæ in oculis erant nec impunè debilitari viribus poterant) ſtatuit quidpiam Rheno detrahere; ubi finitimorum Principum intereſſet, ſuo ſupplere milite quicquid abduceretur, ni ab hoſte ferociſſimo negligentiæ pœnas

Cæſar auxilium promittit.

Unde ei ſubmittat, ambigit.

Ab Rheno ali-

1691. *quot ſuas legiones idcirco ſubducit.* nas luere vellent. Itaque juſſit, novem illinc peditum equitumque legiones iter in Italiam ſuſcipere. Ad rem quoque maxime ſalutarem, quæ fœliciter evenit, appulit animum. Rhenani exercitus imperium Octoviri petebant Miſnienſis & Bojoarius. Unum eligere ſupremum ducem jam conſtituerat, qui conjunctum Germanicum robur (nam in plures diſtractum globos parum valuiſſe patebat) hoſti opponeret. Uterque tantum munus mandari ſibi apud Cæſarem contendebat, ferebatque palam, ſi petitione excidiſſet, nihil ab ſe fore militum (& erant inde majores nervi) atque hoſtis immemorem otiaturum. Dum de re componendá ſolicito ſtudio habentur conſilia, optimum Cæſari viſum eſt, cum Bojoario ſermonem inſtitui an vellet ſuarum legionum partem conſobrino ſuo Allobrogum Duci auxiliatum ducere. Cogitaret, quàm ſibi ſplendidum futurum eſſet, poſtquam tanta militaris virtutis luce Hungariam Germaniamque perfudiſſet, Italiam quoque perfundere, beneficiique laudè partam jam ſibi gloriam cumulare. Senſit ille honoris ſpecie ſibi ſecundas dari partes atque æmulo poſthaberi. Non tamen abnuit probabilem deferendæ petitionis, qua facilè victus fuiſſet, adeptus cauſam; & ne ſocero diſpliceret, curanti per eos dies apud Carolum Hiſpaniæ Regem ut ipſi Belgii prætura ſtabili imperio demandaretur.

Bojoarium ut ſuas & ipſe in Italiam adducat hortatur, & quo conſilio.

Qui æger annuit, & quare.

tur. Quamquam quod invitus promiſit, non- 1691.
niſi cunctanter abſolvit, æſtate ſolùm jam adul-
ta in Galliam ſubalpinam octo armatorum mil-
libus adductis; nec multo ante Cæſariani ad-
venerant. Interea Catinatius exercitu cinxerat
Avellanam. Præfectus ad deditionem ſolicita-
tus portas clauſerat; ſed poſtquam biduo diſſi-
patam vallorum ſepem, & ſterni vidit mœnia,
in hoſtium poteſtatem cum quadringentis præ-
ſidiariis concedere opus habuit. Inde Galli Car-
maniolam validum operibus & duum millium
præſidio oppidum adorti, illudque triplici mili-
tari aggere ſubeuntes, tertio die in viæ tectæ
crepidine poſuere ſigna. Qua tanta audacia con-
territi præſidiarii, non ultra morati, ne ultima
experirentur, facta deditione cum armis legio-
narius miles; inermes, qui ſubitario delectu
provinciales conſcripti fuerant, Auguſtam Tau-
rinorum abire permiſſi ſunt. Hanc quoque, ut
in proximo, aggreſſuros hoſtes Victorius timuit.
Quamobrem Coniuge ac Matre cum illuſtrio-
ribus fœminis Vercellas dimiſſis ſuiſque in
unum coactis copiis, edito in colle ad montem
Calerium oppidum, quà illuc iter, caſtra poſuit,
miſitque ad Didacum Guzmanum Melgari Co-
mitem provinciæ Mediolanenſis prætorem opem
oratum non ſine queſtu: fœderatum Principem
eò pro ſociorum utilitate redactum ut de urbe
Imperii ſede contenderet, neglectui haberi. Il-

Serò cum aliquot ſuis legionibus in Italiam pergit.

Avellana Galli potiuntur.

Et Carmaniola.

Sabaudiæ Dux Auguſtæ Taurinorum timens inde Matrem & Coniugem Vercellas mittit.

1691. le pudore percitus, ſex armatorum millia; qui adhuc in Mantuano commorabantur, metu moleſtiiſque ab Carolo Duce, quicquid Opitius propoſuerat, expreſſuri; ſtatuit ad ipſum ducere. Quod ut cum dignitate ſibi liberum foret, mitioribus conditionibus, quàm quas antea ſevere ab ipſo poſtulaverat, tranſigere induxit animum, pactus Gazola dejectis munitionibus, e ceteraque regione Hiſpanienſem militem diſceſſurum; dum tamen Dux neminem ſub ſignis, præter præſidia, retineret ſponderetque ſuam neutri partium fidem in poſterum, ut præſeferebat, obligaturum. Catinatius nunquam Fœderatos in prælium exituros, nec niſi ingenti diſcrimine eorum caſtra tentare ſe poſſe ratus; gnarus quoque properare Germanorum Hiſpanorumque auxilia: ſtativis circa Carmaniolam poſitis, Bullondium prolegato cum exercitus parte (fuere hominum decem millia) ad oppugnandum Cuneum ire juſſit. Tumulus ad confluentes Geſſam Sturamque in cuneum, unde oppido nomen, deſinit. Iſtud ultima in crepidine ſitum eſt. Tenui circumvallatur munitione, qua parte ad meridiem Geſſa alluitur, abſciſſa ibi impoſitum rupe ac loci natura ſatis munitum. Roſtratis alibi validiſque propugnaculis foſſa tectaque protectis via, difficilem oppugnatoribus facit aditum. Præerat illi Julianopolis Marchio. Calviniani ſubalpini ad ſeptingentos, quin-

Mediolani Prætor cum Mantuæ Duce controverſias componit, & quibus conditionibus.

Galli Cuneum invadunt.

Oppidi ſitus, munitioneſque.

quingenti provinciales totidemque legionarii præſidio erant. Admodum ſua Galli intereſſe arbitrabantur, opportunum adeo oppidum in poteſtatem redigere, nec minus Allobroges, retinere; quippe quà commodius ad Nicæenſem Comitatum iter, & unde patenti ad Montem uſque Vicum regioni plurimùm imperatur. Quamobrem ſtatim ab re comperta Victorius tria hominum millia præſidium ſuppletura eò ire magnis itineribus atque antevertere hoſtem juſſit. Caſu his Feuquiereſi Marchio, dum Gallorum cohortes aliquot Caſalem duceret, obviam fit. Commiſſa pugna diu ſæviit promiſcua cæde; ſed longe plures Fœderatorum cecidere. Horum pars, nocte prælium dirimente, iter progreſſa, priuſquam hoſtili ſepiretur exercitu, Cuneum pervenit. Bullondius mœnibus, quà ſe oppugnatoribus aperiebant, vineas confeſtim admovere inſtituit. Operi frequentiſſima obſiſtebant contorta interdiu noctuque a præſidiariis tela; nec parum, ut ad foſſam promoveretur, laborandum fuit. Eò ubi ventum, quatuordecim in margine diſpoſitæ majores machinæ muros diſſolvebant. In viam quoque tectam poſt atrociſſimum certamen, plurimorum utrinque cæde funeſtum, Galli deſcenderant; cùm repente Bullondius ita præcipitanter convaſari juſſit ut majorum catapultarum unam, tres pyrolmos, quidpiam bellici apparatus,

1691:

Ac momentum ad eā regionem obtinendam.

Auxilium a Sabaudo ei ſubmiſſum partim intercipitur, & quo caſu.

Galli præcipitanter ab eo recedunt, & qua de cauſa.

tus,

1691. tus, trecentos ſexagenoſque milites vulneribus aut morbo affectos ſecum adducere haud potis fuerint. Nuntium a Catinatio acceperat, ex hoſtium caſtris viam illuc arripuiſſe cum quatuor equitum millibus Principem Eugenium, qui dudum Vienna redierat, iiſque in itinere peditum ſex millia e Montevicenſi tractu adjunctum iri; ſimul ne vallo exiret, imperatum; Sylveſtropolis dynaſtam actutum cum bis mille quingentis equitibus, ſe mox cum reliquo exercitu vel ad inſtaurandam oppugnationem, vel ad muniendam ipſi viam in tempore affuturum. Ille tamen nulla mora obſidionem ſolvit, cauſatus, non ſibi defuturum certum diſcrimen, ſi medius inter adventantes hoſtium copias frequentiſſimumque præſidium ſe tenuiſſet. Gratum id præter modum fuit Allobrogum Duci, ac reſpirare viſus; non ſecus ac Romani poſt Cannenſem cladem pulſo ab Nolæ mœnibus Annibale, Marcello duce. Extulere deinde ejus animos adducta non ita multo poſt ab Hiſpanis Germaniſque, quæ deſtinata diximus, auxilia, ipſiuſque Bojoarii adventus Auguſtam Taurinorum, magna honoris ſignificatione celebratus. Dux quoque Medardus Scombergius ab Rege Vilhelmo miſſus, Britannica pecunia e ſubalpinis Calvinianis quatuor legiones conſcripſerat; accreveratque exercitus ad quadragena hominum millia, jamque nu-

Sabaudi exercitus pluribus auxiliis ſuppletur, & Bojoarii cum ſuis copiis adventu.

numero longe ſuperabat Catinatii copias, quamquam & huic ſeptem novas legiones ſupplemento adveniſſent. Itaque ne invitus impari virium robore ad pugnam eliceretur, Carmaniola valido præſidio ac bellico apparatu permunita, prope Salutias gradum recepit. Fœderatos occupavit primùm diſtulitque ne in rem militarem ſtatim incumberent, diſceptatio honoris, in ſecunda locari acie renuentibus Germanis Hiſpaniſque. Conventum, ut cujus præcederet peditum agmen, alterius equitatu contegeretur. Dein plurimùm deliberatum de re gerenda, diviſis, ut armorum imperio, ita & ſententiis. Nam Allobrox, Bojoarius, Leganeſius, ſuo quiſque militi, moderabatur. In diſquiſitionem venit, fuiſne ſinguli auſpiciis diverſa gererent. At viſum, nihil hoſti accidere jucundius poſſe, conjunctis illorum copiis longe minori, diviſas facile ſuperaturo. Pudor alios ad Momilianum obſidione liberandum vocabat. Verùm obſtabant mox deſcenſuræ cœlo nives anguſtique ſaltus, quà miles tranſmittendus erat; idque dudum compertum, cùm quatuor peditum, tria equitum millia fruſtra tentato per Auguſtæ prætoriæ vallem alpium tranſitu, juga inſidentibus Gallis, ſigna retuliſſent. Vicit autem ea ſententia, quæ hoſtem ex intimis ſubalpini Imperii viſceribus detrudendum ſuadebat. Carmaniolam, novem haud am-

1691.

Quocirca Galli Salutias pedem referunt.

Fœderati de re gerenda deliberant.

Carmaniola recuperatur.

amplius paſſuum millibus Auguſta Taurinorum diſtantem, oppugnatum pergunt. Triplici aggere, diviſo in id trifariam exercitu, ne cui alienis auſpiciis agenda res eſſet, mœnia ſubeunt. Ea verò ſex ac viginti machinis, octo pyrolmis tecta incenſa ac lacerata ruinam edebant. Quinto die promotis ad foſſam vineis captoque ab Hiſpanis uno externorum operum, Pleſſii Marchio, qui ſummo illic cum imperio erat, dedendi oppidi ſignum propoſuit. Conventum, ut ſibi ac præſidiariis abeuntibus fierent militares honores, ac tria ſecum adducerent tormenta bellica. Militibus haudquaquam ſervata promiſſi fides, ademptis, dum irent, armis ac re domeſtica. Obtentui fuit hæc ipſa illata injuria ſubalpinis Calvinianis, qui eidem oppido, cùm in Gallorum ditionem conceſſit, præſidio fuerant. Munitiones non ita multo poſt Victorio jubente, utpote parvo emolumento multaque pecunia ac milite retinendæ, ſolo æquatæ. Illinc Fœderatis ad invadendum Seguſium trajecto Pado properantibus prægreſſus Catinatius interrupit iter, poſitis caſtris inter Avellanam Rivolumque. Dum remeant, Germanorum globus inſidias ingreſſus, quas pridem Galli in ſaltu locaverant, quingentis deſideratis non ſine ſtrenuitatis laude in apertum evaſit. October in exitu erat, cum de maturandis hibernis cogitatum, feſſis auxiliaribus, & quin-

Præſidio non ſervatur promiſſi fides, & quare.

A Seguſio prohibentur.

Digitized by Google

1691.

Bojoarius cum ſuis legionibus in Germaniam remeat.

& quinque Bojoariorum legionibus indicto in Hiſpanienſe Belgium itinere; cujus Octovir jam antea deſignatus, nunc tandem prætor renuntiatus fuerat, arcano, ut fama fuit, Cæſaris conſilio; quòd ita illum ab Rhenanæ armorum præfecturæ ambitu, quam ab aliis libentius geſtam vellet, arceret. Quamquam & pridem diſceſſum meditabatur, ludicri pertæſus in Cæſarianos, qui in Italia merebant, imperii, quod clam Carrafæ datum ab eoque re vera geſtum ſenſerat. Venetias primùm digreſſus ibique aliquot animi cauſa commoratus dies, Viennam deinde ad Cæſarem, illinc Monachium ad ſuos, Vere tandem ineunte Bruxellas petiit. Dum illic hyemem Fœderati otio traducunt, non eadem Gallis a militari labore conceſſa quies. Huguettus Sabaudiæ prætor Momilianum per æſtatem oppugnare aggreſſus, oppidum priſcæ ſolùm artis protectum mœnibus in deditionem acceperat. Summa tamen rei, eaque non ſuarum tunc virium, in arce domanda verſabatur; quæ undique abſciſſo inſidens argilloſo tophaceoque tumulo, ab oppido ſolùm & anguſto tramite adiri poteſt. Faſtigium non æqua patet ſuperficie; in medio eminet occupaturque murali per gyrum lorica, roſtratis propugnaculis interſecta. Inferiorem aream ovata prope forma circumdat murus valida ſubſtructione, quatuor itidem propugnacu-

Belgii Prætor renuntiatus.

Momiliani arx deſcribitur.

1691. lis munitus, roſtratis duobus ad ampliora latera; ubi ſe coarctat, bifurcis. Antemuralis parma iter ad portam impedit. Diuturna obſidione ſperaverant Galli conſumptis alimentis, fame ad deditionem cogere. Sed ſpem eluſerat Bignaſchi Marchio, qui ſummum illic imperium gerebat, data jampridem opera ut non commeatus quadringentis, quot inerant, præſidiariis, non bellicus apparatus in longum tempus deeſſet. Quocirca ſub hyemis initium Ludovicus Rex Catinatio mandaverat: militum patientia vinceret cœli per ea maxime loca inclementiam; vi, obfirmatos præſidii animos, aſperrimæ nimiùm fidentes rupis munimento.

A Gallis oppugnatur.

Ille ſecum adducta exercitus parte, confeſtim ad utramque tumuli breviorem frontem militari ſuccedere aggere adortus eſt. Plurimo ſanguine ſtetit opus, quoad vibratis ex alto frequentiſſimis jaculis patuere molientium corpora. Quietè deinde ad radices perductum, poſtquam

Vario rerum eventu.

ipſa rupes interius progreſſis tutum reddebat locum. Interea quadragenæ majores catapultæ, Civarone adductæ, arcem undique verberabant prope inani ſucceſſu, quippe quæ non ex æquo jacularentur. Major e quinis vicenis pyrolmis injectus præſidiariis metus objectumque periculum. Nihilo ſecius non aliter quàm ſubverſis cuniculorum ope mœnibus apertaque rupe facinus ad exitum perduci poſſe, Catinatio vi-

ſum

ſum eſt. Propugnaculum ad dextram oppidi, ubi tumulus haud penitus abruptus quidpiam inclinat, ſuffodi cœptum nullo ab hoſtibus impedimento, quorum telis locus ſe ſe occulebat. Sed quammaxime obſtabat natura ſoli ferro ob interpoſitas rupes non ubique penetrabilis. Ingenti denique labore induſtriaque, cùm operæ nunquam remitterent, non multos intra dies cavata cella, tanto continendo ſulphurato pulveri idonea ut incenſus immanem, quæ ſuperſtabat, molem abrepturus æſtimaretur. Præfectus certiſſimo avertendo malo remedium nullum ſuppetere conſpicatus, quod proximum erat, ad vicem hoſti reddendam applicuit animum. Jubet alteram propugnaculi partem, quò Gallorum cuniculus non pervadebat, cavea ſuſpendi opplerique nitrato pulvere, ut, cùm hoſtis per decuſſa mœnia in arcem tranſiliret, eo incenſo diſcerperetur. Fortè ad ipſius caveæ oſtium olla incendiaria ex alto præceps ruit diffractaque accendit ſulphureum tramitem, quà ignis ad pulveris acervum penetravit. Hic furens horribili fragore impoſita mœnia laceravit adeo ut latam patefecerit viam dederitque aditum aggreſſuris. Catinatius rem caſu oblatam ad conſilium flexit; ſexcentos agreſtes magna mercede, ut clivum mollirent, induxit; nec mora, totidem pyrochitrophoros illuc immiſit. Cuneum celeri progredientem curſu 1691.

1691\. præſidiarii non expectarunt, ac ſemel e pyrobaliſtis emiſſo telo in interiorem conceſſere arcem. Huic ſubruendæ ſubiecta rupes ingenti conatu perforabatur, cùm Bagnaſcus finem ſtrenuæ propugnationi facere ſtatuit. Datæ ipſi ac trecentis, quot ſupererant, præſidiariis honorificentiſſimæ abeundi conditiones; in his, ut ænea tria tormenta, quæ illinc deducere anni tempus vetabat, e Pinarolio peterent. Per eos prope dies, quibus Momilianum armis, Caſalem urbem calliditate Galli in poteſtate habuerunt. Arx jamdiu ipſorum præſidio tenebatur, eique præerat Crenantii Marchio. Is vere an falsò (nam utraque invaluit fama) cauſatus, Foſſati Marchionem Montisferrati prætorem cum Germanis de tradenda iis urbe conveniſſe, illum in arcem vocatum convivioque exceptum detinuit, urbemque, dimiſſa legione, quæ Mantuæ Duci merebat, Gallico præſidio, intacto civili jure, communivit. Hic rerum Italiæ ſtatus. In Germania minori ſtrepitu ad Rhenum hoc anno arma intonuere; nec Miſnienſis Octovir, cui ea provincia maximopere cupienti mandata fuerat, expectationem, quam de ſe commorat, implevit, eluſus Gallorum arte, quamquam eos militum numero ſuperaret; quippe cujus auſpicia ſequerentur millia hominum quinque & triginta; illi decem millibus minores eſſent. Cum his copiis Lorgeſius legatus ca-

Deditur.

Deditionis conditiones.

Caſalis urbs ab Gallis in poteſtatem redacta aſtuto conſilio.

Miſnienſis Octovir Rhenani exercitus ductor parum armis proficit.

caſtra haud procul Moguntia locaverat, ſpecie retinendi regionem non prædæ inopem, herbarumque feracem alendis equis; re vera huic imminens urbi, cui Donsbrugus quidam, militaris annonæ ſubpræfectus, & aliquot Gallica pecunia illecti inſidiabantur; facta ſpe, ſi flammiferis ollis percutere ac labefactare tecta incœpiſsent, ſe ſe incendia clanculum excitaturos; quibus extinguendis dum undique cives præſidiariique diſcurrunt, effracta in eo tumultu alicubi porta recluſuros aditum ſigna intra muros tacite nullaque mora illaturis. Thungen prolegato armorum præſes ex ipſa Gallorum vicinitate, & quòd ſciret maximum verberandis oppidis apparatum ſecum afferre, urbi veritus, ſtationes circum locaverat omniaque clauſerat ad hoſtem itinera. Quare Lorgeſius, an adhuc maturum foret, ignarus, tibicinem ſpecie commutandi bello captos ire ad Thungenem juſſit, de re interim ſua quidpiam a conjuratis ſciſcitaturus. Cùm & ille regredi cunctaretur, moræ impatientes Villarerus tribunus militum, Bovilierus inſtructor legionis, centurioque Peliſiæus, dum de tibicine propinquam ſtationem percunctaturi ad munitiones incaute ſuccedunt, circumventi in oppidum pertrahuntur. Illic furtim & obſcuris verbis Consbrugum, qui ad eos cum aliis officii cauſa venerat, alloquuti ſuſpicionem moverunt; qua

1691.

Galli Moguntiæ inſidiantur.

Quo caſu deteguntur inſidiæ.

1691. qua is ad quæſtionem abreptus crimenque faſſus, perfidiæ pœnas capite luit. Ceteri conjuratorum fuga in tempore ſe ſubduxerunt. Lorgeſius ubi proditum conſilium comperit, vi capto Algeſeimo, quò magnam Germani advexerant commeatuum copiam, Rheni relegit ripam, e propinquo in hoſtem intentus, ejuſque obſeſſurus tempora atque occaſiones. Miſnienſis Octovir circa Manhemium conflato e ſuis copiis Cæſarianiſque & Bojoariis aliiſque auxiliis exercitu, trajectoque Nicro amne, mox paullo inferius celeriter adeo Rhenum tranſmiſit ut prius pedem ſtatuerit in adverſa ripa quàm id hoſtibus compertum fuerit. Ibi ad quamcumque belli fortunam, in quam poſſet incidere, Franchendaliæ munitiones inſtaurare tumultuariis operibus aggreſſus, ferrum deinde flammamque in eorumdem fines injicere conſtituerat. Galli, ſi forte a Germanis laceſſerentur, pugnam averſati prope Landaviam ſe retulerant, unde ſibi non amplius liberum patebat iter ad contegenda ulteriora loca, ne populationibus divexarentur. Igitur, quod unum ſupererat, tranſacto per Philippoburgi pontem Rhenó aut illuc hoſtem, ne prædaretur, revocare; aut agenda viciſſim præda reddere damni vicem, conſilium capiunt. Fluvium tranſgreſſi, in Virtembergenſem oram hactenus intactam properabant; cùm Octovir rei admonitus,

Galli Rhenum traijciunt Germaniam populaturi.

tus Capraram Schoeningumque legatos, illum Cæſarianis, hunc Miſnienſibus præfectum, quid e re foret, conſuluit. Schoeningio ſententia erat, intrandum illico hoſtium fines ibique omnia tumultu, rapinis, igne, luctuque implenda. Futurum profectò ut audita ſuorum calamitate, huic prohibendæ, viam celerius repetant quàm ſint aggreſſi. Natura quippe inditum eſſe, prius amoliri ab ſe moleſtiam quàm aliis inurere, & facilè quiſque, ſi vehemens urgeat dolor, ferociam exuit. Secus Capraræ videbatur. Non enim, ajebat, æquari damnum, nobis intra Gallicæ ditionis fines deſævientibus; illi fœliciorem, quò tendunt, Germaniæ partem depopulantibus. Nam plura Gallis ad hyemandum ſuppetunt loca; nobis, ubi commode fiat, non alius ſupereſt. Quid quòd iiſdem per tot arces, quibus ripam prætexunt, liber ac tutus intra ſuos fines receptus eſt; nobis facilè reditus impediri poteſt; hìc autem, ubi ponamus pedem, nullum validum munitumque patet oppidum. Verius Octoviro Capraræ dictum viſum eſt. Quocirca injecto ad Manheimum navali ponte, illac exercitum in oppoſitam ripam redire juſſit. Jam hoſtis Portzeimum, quà in Virtembergenſem regionem aditus aperitur, uno die oppugnatum in poteſtatem cum quingentis præſidiariis redegerat, infeſtoque progreſſus agmine populares ad vicos

1691.

Quo pacto ſe illis objiciant. Germani variis ſententiis diſputant.

Vicit Capraræ ſententia, qua exercitus tranſgreſſis Rhenū Gallos cohibet.

1691. cos agroſque, ne hoſtilia paterentur, ingenti pecunia vindicandos adegerat. Statim verò ut exploratum habuit ad ſe Germanos accelerare, inflexo ad dextram itinere haud procul Ludovica arce ſtativa poſuit; nec longo ab iis intervallo ſua illi pariter ſtatuere ſigna. Quievere tamen, cùm utrinque plurimi languerent morbo. Quo nec immunes Caprara Ezelingam, Octovir Tubingam diſceſſerant, ubi mortem hic paucos poſt dies oppetiit. Schoeningius exercitum exacta nondum æſtate, valetudinis cauſa, in proxima primùm diviſit oppida; mox dato auxiliariis commeatu ſuas Cæſarianaſque legiones in hiberna dimiſit. Nec diu fuit, cùm Lorgeſio idem conſilium, par ſiquidem inſtabat cauſa, trajecto Rheno ſubire opus fuerit. Reliqua erat Hiſpania, ubi ad Galliæ fines bellum ardebat depaſcebatque populariũm agros. Adulto Vere Noallius in Cerretaniam, ut ſuperioribus annis, proceſſerat cum agmine peditum ſeptem millium, bis mille quadringentis equitibus. Urgelam ad Pyreneorum radices, aggrediendam delegit. Præſidio illic erant nongenti legionarii ac ſex provincialium centuriæ, præſes Joſephus Aguillus. Ad ejus oppugnationis famam Medinæ Sidoniæ Dux cum duodecim armatorum millibus Vico, quò eos convenire juſſerat, extemplo movit. Aſperi Cerretaniam ab Catalonia reliqua dividunt montes, qui non fa-

Miſnienſis Octovir morbo abſumitur.

Uterque exercitus in hiberna diſcedit.

Quid hoc anno in Hiſpania geſtum.

Galli Urgelam oppugnant.

facilè, niſi ubi Belverum oppidum, peragrari cum impedimentis poſſunt. Saltum præoccupaturus, iter celeriter conficiebat. Noallius præverterat; munitoque loco, ita ſe comparaverat ut ille vim abſtinuerit ac retro ſigna Ripollum duxerit. Et Galli properatis vineis, octavo die Urgelam ad deditionem perpulerunt, captivis cum præfecto retentis legionariis, domum comiter dimiſſo provincialium agmine. Rati deinde, nunquam tutò Cerretaniam ſe ſe habituros, neque illinc expeditum in Ruſcinonenſem provinciam, unde bellicus apparatus annonaque plurimum petenda erant, niſi Belvero in ſuam ditionem redacto, oppidum ſubitariis operibus circumſepiunt. Senſit Hiſpanus hoſtium conſilium; idque ut everteret; extimulatus quoque frequenti populatione, qua ex iis locis impunè Aragoniam divexabant; ad hoſtes iterum cum omni exercitu ſubire ſtatuit: ſpe illos, ſi pugnam detrectarent, abituros; ſi congredi vellent, tantò Hiſpanicis copiis minores devictum iri. Verùm ubi propius ſucceſſit, ſpeculatuſque vallum, quod aggreſſuris obiecerant, prope inexuperabile, legiones circumducere incœpit, an fortè alibi juga ſe ſe aperirent. Deinde opinatus: etſi viæ difficultatem virtute militum vinceret, nimis tamen periculi plenum fore, in confragroſa præruptaque loca exercitum inducere, unde facilè commeatibus

1691.

Atque obtinent.

Belverum aggrediuntur.

1691. & reditu prohiberi poſſet, in rem magis duxit, agmen ad Ruſcinonenſis ditionis fines inflectere, oppugnandoque ibi oppidorum aliquo Noallium ab reliquis curis iſthuc avertere. Itaque expedito curſu eò profectus, Pratum Molum machinis lacerare aggreditur. Sed ille fretus munitionum præſidiique robore, quod oppido inerat, cùm aut vano ſucceſſu tentatum iri aut tandiu manſurum cerneret, ut celeri ope non indigeret; non modò circa Beluerum ſe continuit, quoad iſtud in poteſtate habuit, ſed capto deinde Valentia caſtro, cui mœnia decuſſit, aliiſque paucis caſtellis univerſam Cerretaniam in Gallicum jus redegit, nullo ab Hiſpanis impedimentò. Quin interim prætor duriorem, quàm putaverat, expertus Prati Moli expugnationem nec multum per aliquot dies in id profeciſſe, prope Ripollum, ubi prius in ſtativis fuerat, exercitum retulit; mox appetente hyeme, in hiberna diſtribuit. Per id tempus duas ejuſdem oræ maritimas urbes fœde Galli dilacerarunt. Eſtræi Comes cum duodecim bellicis navibus, quatuor & viginti quinqueremibus, pyrolmophoris tribus ante Barcinonis portum anchoras jecit, biduoque ollis incendiariis percuſſam, incenſo Navali dirutiſque, quotquot intra ejus teli conjectum ſurgebant, ædibus, diriſſima clade affecit. Dein continuato itinere Alonem, quem nunc Alican-

Hiſpani viciſſim Portum Molum.

Belverum Gallis cedit.

Hiſpani a Porto Molo recedunt.

Gallorum claſſis Barcinonem ollis incendiariis plurimo afficit damno.

Itemque Alicantem.

cantem dicunt, admota claſſe, illum pari procella majorique domorum ſtrage, quippe quæ litori circumfunduntur, vehementer contudit. Ceteras quoque adjacentes urbes eadem ruina involuere in animo habuerat. Verùm comperto, Aquilaris Comitem Hiſpanienſis Claſſis præfectum ſexdecim bellicas naves & aliquot quinqueremes pelago demum commiſiſſe, acie congreſſurum, proras in Galliam vertit; vetitus ab Ludovico Rege aleam ſubire navalis pugnæ. Illata innocuis urbibus acerba, nulloque proventu, calamitas non militaris virtutis, crudelis potius odii viſa eſt; atque adeo Carolum Regem Hiſpanoſque in iram accendit ut, quos eo terrore ad pacem petendam cogi poſſe Galli ſperaverant, ad bellum ferocius diligentiuſque gerendum confirmaverint. Magna proinde ejus gentis in rem bellicam ſtudia; nec unquam ad imperata facienda promptior alacritas. Et Carolus Lubkovitii Comiti Cæſaris legato præbere aures, jamdiu admonenti: potentiſſimum regnum non pecuniæ, non militum, non virium inopia, ſed incuria ſegnitieque defetiſci. Itaque ſe tandem reſpexit, exauthoratoque Oropeſæ Comite, qui ad clavum ſedebat, peritiores fœlicioreſque alios adhibuit; ærarium incredibili beneficiariorum aulicorumque turba vehementer exhauſtum in belli uſus reſtituit; non modico in præſens eventu, vix non

1691.

In Galliam diſcedit adventante Hiſpanorum Claſſe.

Qui ea clade irritati diligentius ad bellum ſe comparant.

Ab Cæſaris Legato vehementer incenſi.

1691. irrito in poſterum ; cùm ſubitarii non ſit operis , ſed eximiæ diuturnæque artis , inveterata ſtirpitus excindere mala, ne rurſus invaleſcant. Eadem æſtate duæ validiſſimæ claſſes , altera ab Ludovico Rege octo ſupra ſeptuaginta bellicarum navium , igniferarum trium ac viginti ; altera pari numero a Britannis Bataviſque ornatæ comparatæque , Aquitanicum Britannicumque oceanum navigarunt . Diu pervagatæ (cùm neutri prælium anceps, unde non æqua lance libratum damnum utilitaſque, arrideret) nunquam invicem in conſpectum ſe ſe obtulere . Gallica deinde , poſtquam ventus jampridem in id laborantem fefellit , ne ditiſſimas Batavorum onerarias naves Smirnis redeuntes interciperet, prima in Brivatis Macloviique portus ſe recepit. Nec ita multo poſt ſua & hoſtes litora tenuerunt . Mortuus hoc anno Kal. Febr. octavus Alexander Pontifex maximus ; Princeps ingenio , legum peritia , & longo rerum uſu aptus Imperio , niſi effæta jam ætas non parum ejus in rempublicam ſtudium retardaſſet. In ejus locum poſt fere quinquemeſtria comitia pridie Idus quintiles Cardinalis Antonius Pignatellus Neapolitanus ſuffectus eſt ; purpuratis Patribus , poſtquam tamdiu de quo eligendo non conveniſſent , extrema tum præcipue ætate (ſextum ac ſeptuageſimum agebat annum) commendatus ; deinde clarus egregiis opti-

Gallica , & Fæderatorum ingentes claſses per Aquitanicum Britanicumque Oceanum diſcurrunt

Nulloque edito facinore in portum ſe recipiunt .

Alexand.VIII. P.M. moritur .

Innoc.XII. in ejus locum ſufficitur .

Digitized by Google

optimoque Principi conſentaneis virtutibus, quæ nondum materiam nactæ, haud parum in obſcuro manſerant. Fato quoque ceſſit Hermannus e principe Badenſium domo, cui ad poſterorum notitiam non parum valuit exercita vel publico damno adverſus Lotharingium æmulatio. Italia in metu fuit, graſſante per Apuliam Peucetiam atroci lue; quæ tamen diligenti magiſtratuum ſtudio intra breve, quod repente occupaverat, ſpatium coercita, leviori edita ſtrage ſe ipſa tandem confecit. Sed aliis longe majoribus curis ærumniſque jactata conflictabatur. Cæſar exercitu tot ibi legionibus aucto, ut memoravimus, Comiti Antonio Carrafæ legato non modò ejus imperium ſed negotium atque auctoritatem dederat, ut curandæ in ſtipendium pecuniæ hibernorumque commodis eò impenſius excitaret Germanici Imperii jura, quò illa tutari armis poſſet. Is ſuo ne magis ingenio, an rerum neceſſitati obſequutus, in id ſeverè adeo incubuit ut & popularium fortunas & Principum animos ingenti ſeveritate exagitaverit. Primùm cum equeſtri legione Mediolanum ingreſſus nudo & ſtricto enſe, ſpeciem dominantis exhibere viſus eſt, tacentibus Hiſpanis; ut qui aliena indigent ope, ea ne deſit, cuncta vorare neceſſe habent. Dein cum Sabaudiæ Duce haudquaquam de honoris & officii genere convenit, quo excipi & agi

1691.

Hermannus Badenſis moritur.

Apulia peſtilentia laborat, ſed citò extincta.

Antonius Carrafa ad Italicum exercitum miſſus plura movet injucunda.

Gravis Sabaudiæ Duci.

1691. & agi ſecum in communi congreſſu vellet; fruſtra Sabaudo quiritante: ſatis pro ſociorum cauſa detractum ſibi provinciarum eſſe, niſi & de majeſtate detraheretur. Ubi verò hiemandi tempus advenit, diſtributis legionibus imperataque pecunia, querelarum undique irruentium ſtrepitum eo quidem animo Carrafa ſuſtinuit, ut nullo inflecti argumento ac de priſtina ſententia dimoveri ſe permiſerit. Armatorum ad ſeptem millia Mantuanæ regioni Montique Ferrato alenda tribuit; quatuor equeſtres legiones Parmenſi Duci; tres Mutinenſi ac peditum alteram. Parmenſem agrum Romanæ Eccleſiæ fiduciarium ne moleſtiſſimis hibernis opprimeret, rogatus a Cardinali Vicecomite Mediolani Archiepiſcopo Innocentii nomine, haudquaquam inflexus eſt, deditque ludicrum reſponſum: duo Cæſarem in Parmenſi ditione habere Germanici Imperii vectigalia oppida, Bardum Campianumque, eaque ſe militibus ad hibernandum tradidiſſe; quos regulus in reliquam regionem ſi dilataſſet in hunc Pontifex Maximus actæ illic a Germanis hyemis culpam tranſferret. Ita graviori vulnere ludibrium damno additum. Mutinenſis, qui, ne tantus equorum numerus per ſuæ ditionis oram ſtabularetur, fœni pabulique inopiam obtendebat, non prius auditus quàm equi fame deficerent. Magno Ætruriæ Duci per legatum expoſtulanti, durius

Principum querelis immotus hiberne diſtribuit.

rius ſecum agi, nihil de impoſita pecunia remiſſum. Lucenſium Reſpublica, ne inutili tergiverſatione doni gratiam corrumperet, facilis dicto paruit. Genuenſium poſt longas ambages quinquagenis ſcutatorum millibus otium redemit. Ad rei novitatem, ira dolore miſta exagitante animos, Italia ingemuit; aſſuetaque veteres titulos uno tantum obſequio & grata beneficii memoria proſequi, ancipiti curarum æſtu conflictabatur. Nec deſtitit Ludovicus Rex impellere motos fluctus, miſſo confeſtim Franciſco Fochiereſo Rebenachi Comite, qui Principum alios ad injuſtas ulciſcendas injurias, alios ad prohibendas incenderet. Is, peragrata provincia, eos, qui dolebant recenti vulnere, admonuit: altius deinceps, ni ſibi conſulant, inflictum iri. Date frænos, ajebat, impotenti cupiditati; & ſperabitis, ubi libitum fuerit inhibere? Aſſueſcant Germani copioſis hibernis corrogandæque pecuniæ; & reputabitis, ex hac rerum affluentia, quando vos ærumnarum ſatietas cœperit, repelli poſſe? Jure & more vetuſto, quæ vobis adverſus inſatiabilem rapacitatem præſidio eſſe arbitramini, ſemel violatis, nihil infirmius. Periit enim, maximum eorundem tutamentum, honeſtatis & non recedendi a Majorum inſtitutis pudor. Venetos in ſuſpicionem adducere conatus eſt: hanc tantam malorum luem, ubi ceteros abſumpſerit, ad ſe per-

Rex Ludovicus Rebenachi Comitem ad excitandos Italiæ Principes Legatum mittit.

In id quæ adhibet argumenta.

Digitized by Google

1691. perventuram. Pertinere quoque ad Reipublicæ gloriam dignitatemque dixit, Italiam, in qua ipſi eminent, pro virili parte vacuam periculo metuque ſervitutis reddere. Hæc eadem Pontifici maximo commemoravit, adjecitque: inundari ſubalpinam Galliam adventitio finitimoque hæretico milite. Quantum hinc rebus in ea ſacris injuriam, quantum Catholicæ Religioni diſcrimen impendere, quantum ex ipſa impietate miſeris civibus ærumnarum additamentum. Hæc autem, proſequebatur, ut difficillima ad tolerandum, ita facilis quidem negotii eſſe ad avertendum; tantùm ut icto communiter fœdere unuſquiſque pro viribus arma capiat oſtendatque alieni ærarii depeculatoribus: vim, ſi denuo intendatur, conjunctis armis propulſum iri. Quid verò, ne in hanc ſententiam conſpiretis, deeſſe unquam vobis? Pecuniam? quæ nunc largior tributis exhauritur. Armatos? in tanta ſobole juventutis. Cohibeat ne vos timor incerti eventus? Primò ipſum fœderis nomen Germanos deterrebit. Dein Ludovicum Regem dare fidem, præſtò vobis futurum non alio præmio, quàm ut pulſis hoſtibus & ſuo ſtatim exercitu decedente, Italia quieſcat, priſtinæque libertati reſtituta vindicis nomen ac beneficium ſempiterna memoria tueatur. Hæc dum remotis arbitris afferebantur, plauſu audita, commendataque eò im-

Digitized by Google

impenſiùs Regis voluntas, quò illam nemo ſequi, otii cupidus, inducebat animum. Idque deinde ab omnibus, cùm legatus urgeret, palam prolatum eſt, aliis alia cauſantibus: Venetis Turcicum bellum, cui vix ſufficerent, cuique ſibi e ſententia gerendo finiendoque Cæſarem non irritare opus foret; Pontifice maximo, graviorum curarum obtentu exactam ætatem, cujus non eſſet, magnæ molis negotia tantamque rem aggredi; ceteris, morbo ipſo periculoſius remedium, re vera armorum deſuetudinem diſiunctoſque controverſiis aut æmulatione animos, ut inter finitimos. Literis tantùm officiiſque a Pontifice maximo ac Venetorum Senatu apud Cæſarem & Galliæ Hiſpaniæque Reges quæſita Europæ, in primis Italiæ pax; non alio eventu quàm qui ab iratis & nondum bello feſſis expectari poterat; querelarum ſcilicet, vix non in convitium abeuntium, quibus alter in alterum contulit armorum culpam negavitque ſe illa poſiturum niſi acceptis conditionibns, quæ ſtabile e ſua cuique ſententia, vel potius utilitate, ſponderet otium. Galliam infeſtis copiis undique laceſſitam Italicum præter cetera bellum degravabat, alpium ſuperandarum difficultate non minus fatigante milites quàm ærarium; & nuſquam, ſi utriſque parceret imminuendo ibi exercitu, ad hoſtiles incurſus apertam magis immunitamque. Quocir-

1691.

Nullo eventu, & quare.

1692. ca Rex ut illud extingueret, cùm nihil Rebenachi Comes in id proficeret, aliò ſe vertere atque ipſum ad integrandam ſecum amicitiam tentare Allobrogum Ducem ab ſua majeſtate, utpote victor, alienum eſſe non reputavit. Chanlæi dynaſtam, quo multùm ad res arcanas utebatur, clam pergere ad illum juſſit ac renuntiare: propoſitum ſibi eſſe, Momiliani Nicææque munitiones penitus æquare ſolo, niſi ipſe damnum præveniat Italiæ pace reſtituenda finiendoque illic bello, quod vix non extrema rerum ſuarum pernicie propero nimis conſilio inflammaſſet. Tales autem offerre conditiones reconciliandæ invicem gratiæ, quales ſi reſpuat, palam facturus ſit, in armorum diſcrimen non ſedato animo ſed præoccupatæ mentis impetu ſe ſe obtuliſſe. Omnia ſcilicet recepturum, quæ adhuc jure belli in Gallorum venerant poteſtatem conſtituebantque majorem Imperii ſui partem; non prius tamen Momiliani, Seguſii, Nicææ, Villæque Francæ compotem fore quàm ubique penitus quieverit armorum turbo. Aut ſi malit: Momilianum, Seguſiumque Pontifici maximo ac Veneis; duo reliqua Heluetiis ære Gallico tuenda Regem traditurum, quoad reſtituendi tempus adveniat. Ut verò nihil ipſi ab obtinentibus Caſalem urbem arcemque timendum ſit, utramque Pontifici maximo ac Venetis in tutelam committi haud abnuere.

Ludovicus Rex clam Allobrogem de reconcilianda ſecum amicitia tentat.

Conditiones offert.

Quin

Quin etiam, ne pudore ſe impediri dicat quominùs deſerto fœdere quidpiam detrimenti ſociis afferat; accipiat ab Rege fidem, prorſus ab hoſtili incurſu Mediolanenſem provinciam immunem fore. Quæ ſi pacato animo expendat, nonniſi grata accidere poſſe reputanti exantlatas imminenteſque ſibi calamitates, & quid iis amoliendis adhuc potuerint Britannica pecunia, Fœderatorum vires, fæx illa e Cottiis vallibus Calvinianorum. Hæc ſimul exaratis propria manu ad illum literis confirmavit, ratus ea benignitate ſe leniturum ejus animum, jamdiu elatis minacibuſque Franciſci Michaelis Tellerii Lovoiſi Marchionis dictis vehementer exacerbatum, qui Regi ab politicis negotiis ſuperiori anno deceſſerat conſueveratque e blandientis fortunæ proſperitate minores Principes, dum ſæpius cum ipſorum legatis ageret, flocci pendere; oblitus, nihil iniquiore animo ferre illuſtri ſanguine viros, ac deſpicatui haberi, ab iis præſertim, quos dudum infra ſe viderint, & caſus extulit. Victorius comperto Chanlæi Pinarolium adventu & quid afferret, illum Aula interdixit; Regis epiſtolam non reſignatam remiſit, ne Fœderatis mutatæ fidei ſuſpicionem injiceret; ac legato per Marchionem oppidi ad D. Thomæ Fanum reſponderi voluit: non eſſe cur, quorum amicitiam ingenti adhuc ſuo damno coluiſſet, nunc in melioris fortunæ

1692.

Sabaudiæ Dux Chanlæum non recipit.

Omnemque reſpuit reintegrá-

1692. ſpe, quæ affulgere videretur, deſereret. Sibi, ut ſaluti ac dignitati caveret, fœdus illud percutiendum fuiſſe; modò, poſtquam cautum fuerit, ſedulò curandum eſſe ut ne acceptæ opis memoriam abjeciſſe videatur. Hæc magno ſane uſui Victorio Amadeo fuerunt, aucto apud ſocios, poſtquam tanti ab hoſtibus fieri viſus eſt, ſui pretio. Quamobrem poſtulanti, ab Italicarum rerum procuratione dimoveri Comitem Carrafam, gravem infeſtumque ſibi auctoritatis officiorumque contentione, & animi imperiique nimium, ſe quoque præfici Germanis auxiliaribus; Cæſar annuit Carrafa, ſimulata occaſione, in Aulam revocato. Conſanguinei cauſam oravit Eugenius Princeps, in id ſumma hyeme Viennam regreſſus; dixit autem injucundam & vix non inutilem cenſeri opem, qua quis uti ex aliena voluntate ſententiaque debeat; rei autem bellicæ moderandæ Victorium non imparem videri poſſe, qui tot ſtrenuitatis documenta dediſſet; nec immeritum, cujus in ſummo rerum ſuarum diſcrimine & adverſus hoſtium blanditias ſtaret invicta fides atque amicitia. Egit deinde ut, quod initio deſtinaverant, jam tandem Fœderati per immunitos alpium ſaltus hoſtem impellerent; qua parte ſibi maxime timendum eſſe, illecto ad reconciliandam ſecum gratiam Allobrogum Duce, patefeciſſet. Vigere Galliam, inquit, quòd nullo adhuc interiori

de pacis conditionem ſeorſum a Fœderatis.

Carrafam ſibi moleſtum revocari, a Cæſare obtinet.

Ac ſe Germanis auxiliis præfici.

Et bellum intra Galliam traduci.

ri conſciſſa ſit vulnere. At ſi ſenſerit ferrum intra viſcera, protinus animo ac viribus defecturam. Verùm cùm alibi tot validiſſimis concluſa oppidis non facilè ad ictus pateat, ex Italia conſcindendam eſſe, cui ſeu alpium fiducia ſeu finitimorum contemptu unum objiciat Pinarolium, quòd expugnare magni quidem negotii foret. Sed alpes ut commercio ita & bello non ex hoc uno loco ſe ſe aperire. Et armatis commodiorem illinc daturas aditum, unde hoſtis (utpote inuſitato legionibus itinere) eos non reputet irrupturos. Vera Cæſari viſa quæ in hanc ſententiam afferebantur. Itaque ad ſupplendum in Italia exercitum quatuor millium per Tirolem provinciam delectum haberi, Æneamque Capraram legatum ſubductam ab Rheno manum alteram vixdum miteſcente hyeme ducere illuc juſſit. Suas quoque ibi copias, Cæſare adhortante, Hiſpanus; Vilhelmus Rex pactam Allobrogi pecuniam auxit. Ei ſiquidem haud minor quaquaverſum concutiendæ Galliæ, ut ſtaret ipſe, inerat cura. Ab exercitu diſcedens paucos dies Loi ſe abdiderat, animi & vultus adversùs tacitas vulgi querelas firmandi cauſa. Inde Hagam profectus aditoque ſupremo Fœderatarum Provinciarum magiſtratu, verecunde excuſaverat improſperos in Belgio armorum ſucceſſus, & quòd factæ ſpei non reſpondiſſent; addideratque: id tamen in hoſtium

1692.

Caprara cum recentibus ab Cæſare auxiliis in Italiam venit.

Vilhelmus, Rex Batavorum Senatum ad augendos exerci-

1692. ſtium perniciem converſum iri. Quippe nimia

tum & claſſem hortatur. contentione, quam adhibuiſſent, frangi vires; & ingentes conatus, non diuturnos. Contra ſibi, perpetrato Hibernico bello, quantum roboris; ſociis e tanta Ludovici Regis proſperitate quantum ſolicitudinis acceſſiſſe? Quare ſibi major facultas, voluntas aliis ſupplendi exercitus ulciſcendique recentia vulnera, vetera obliterandi. Huc igitur & ipſi intenderent ſtudium, amplificato terra marique bellico apparatu; ac reputarent: nihil incommodum & laborioſum, ubi reipublicæ ſalus agitur. Regis

Senatus annuit Regis dicto. dicto Batavi aſſenſi ſunt; nec diſſentire liberum erat, ejus & Gallorum potentiam nimiùm veritis. Conſcripti proinde novi milites, Centeſima quater hoc anno civibus imperata, quidpiam navium ad claſſem additum. Quæ ubi decreta, Vilhelmus iter in Britanniam continuavit coactoque procerum legatorumque Concilio eadem diſſeruit, orſus ab domitis Hibernis & pace per Britannicum Imperium ubique parta. Dein proſequutus: huic nulla requie inſidiari Gallos,

Itemque Britannicum Concilium. nec unquam, niſi penitus fractos, ab hujuſmodi infenſa mente receſſuros. Quocirca deliberatum apud ſe habere, perduellionis domitorem exercitum in Belgium traducere ac dare cum Fœderatis operam, ut alienæ reipublicæ perturbatoribus ab ſua periculum dimovere, non parum ſit. Verùm in hujuſmodi expedi-

ditionem ærarium non ſufficere. Illud igitur 1692.
ſupplerent temporariis tributis nec ſinerent, ſaluberrimum conſilium, rei nummariæ, qua cives affluant, difficultate ad irritum cadere. Nihil negatum, quod in rem foret, ampliſſimaque pecunia decreta eſt. Non minus enim, quàm Vilhelmus, legatorum Conventus timebat: vixdum facta popularibus adeſſet ſpes reſtituendi Jacobi Regis, orituras ubique turbas & ſe in ordinem coactum iri; odioſo, ut plerumque fit, præſenti dominatu; irritatiſque animis, quòd viderent eò denique tantùm recidiſſe rerum omnium perturbationem ut paucis potentiam pareret. Haud ignotum Ludovico Regi, quid hoſtes machinarentur, idque ſtimulos addebat jam antea properanti ipſorum conſilium pari conſilio prævertere. Statuerat autem præcipuam belli ſedem in Belgio conſtituere atque iſthic ductu auſpicioque ſuo quidpiam coram æmulo Rege memorandum gerere quo illius fama concideret, inijceretque opinionem: Gallicas præliando accreſcere vires & hoſtium damno protrahi ac duci bellum. Simul commovere iterum ſtuduit Anglicanos fluctus, datis Jacobo Regi maximis auxiliis; gnarus eam gentem ſilere metu, non voluntate. Hibernorum ad quindecim millia, qui ſtipendia legitimo Regi facere ſe ſe obfirmaverant, pactis induciis in Galliam tranſmiſerant,

Lodovicus Rex ſuas quoque auget terra marique vires.

1692.

rant , appulſi ad Normanniæ litus . Sarsfieldus aliique legati eos duxerant , reliquias Hibernici exercitus , quibus , prout e re ſua duceret , Jacobus uteretur . Duo millia in Italiam , quatuor in Hiſpaniam miſſa . Reliquos totidem adjunctis Gallis circa maritimam oram verſari placuit , inde cum ipſo Rege in Angliam trajecturos . Interea quæ ad rem fœliciter exequendam opus erant , ſedulò parabantur .

Jacobus Rex cum maximis Gallorum auxiliis ad traijciendum in Angliã ſe parat.

Jacobus ad clientes dynaſtarumque potentiores dedit literas , quibus admonuit ſe mox affuturum iis valentem viribus , quæ illicerent extraque diſcrimen ponerent ipſorum fidem . Viderent proinde , ut quam Regi ſuo , quam oppreſſæ reipublicæ deberent operam , ſecum navarent , memores : negatam præſtitamve in tali fortuna geminare crimen aut meritum .

Omnibus præter triginta ſpondet præteritorum veniã.

Diſpergi ſimul per cives per fora curavit diploma typis exceptum , quo regium interponebat nomen , ſe omnem præteritorum memoriam oblivione ſempiterna deleturum ; cunctis præter tricenos , quos nuncupabat , fatalis hujuſce diſcordiæ daturum veniam , dum tamen ad præteritam noxam nihil hoſtile modò adderent , ab ſuoque exercitu vim dolum inſidias abſtinerent ;

Religionum libertatem, ac legum tutelam.

fore cuique liberum , qua velit religione ſacra facere ; eam verò , quæ Anglicano ritu coleretur , ſancitaſque ad ejus tutelam publica auctoritate leges & Majorum inſtituta diligenter

ter ſe tutaturum ; anniſurum omni ſtudio ut ſedatis animorum diſſidiis priſtina Regno redeat ſerenitas, otium, pax, & alumna pacis fœlicitas; ſpondere tandem, quicquid externorum militum ſecum adduceret, vix ipſe civium fidem expertus fuerit, abiturum. Juſſu pariter Ludovici Regis contractæ ad ea litora ingenti numero ad traducendos milites actuariæ naves, iiſque impoſita ad popularium delectum, quo exercitus augeretur, arma omnis generis, & quicquid fert uſus ornandi belli. Summa negotii erat expedire fretum ac tutò appellere. In id nonaginta bellicis majoribus navibus imperatum ut mature, unde hyemabant, Brivatem convenirent, ac tranſmittentibus onerariis liberum præberent iter. Rex ipſe Tourvillo maris præfecto ad ſe vocato ſevere indixit: adverſam claſſem vel ſummo periculo, ſi Anglicum obſepiret litus, aggrederetur & nihil intentatum relinqueret, quin diſſiparet. Cauta, infit, conſilia ſervandis rebus, non recuperandis idonea eſſe; nec ab laude abhorrère temeritatem, qua ſolùm ingens facinus patrari queat. Senſit ille, quò tenderent Regis dicta; doluit cunctator exiſtimari, habitus ſuperiori æſtate nimiùm cautus; hæſitque animo data ſegnitiæ ſocordiæque ſuſpicio, magnanimis viris intolerabilis ac plerumque noxia Reipublicæ, dum illam vel temerariis incœptis abolere connituntur.

1692.

Magnum a Ludovico Rege navale robur, ac militares apparatus ad Britannicam expeditionem comparantur.

Tourvillo imperat, ut omnino cum adverſa claſſe pugnet.

1692. tur. Tanti maritimi apparatus fama extemplo in Angliam pervaſit nec, quamobrem fieret, ab Gallis occultabatur; idque eo conſilio ut ſi diſperſo rumori Vilhelmus crederet, ſiſteret in Anglia ſuas copias minueretque imminentes Galliæ Fœderatorum vires. Si fidem ei negaret; traductis in Belgium legionibus, molliret Jacobo viam recuperandi Imperii, unde Ludovico gloriæ decus; certior, pacata Britannia, vincendi ſpes. Vilhelmus re ſecum & cum interioribus amicis diu multumque perpenſa, in eam ſententiam deſcendit quæ poſt domitos ubique diſſidentes turbulentoſque cives nihil ab domeſtico tumultu; & quietis popularibus, nihil ab externis hoſtibus timendum arbitrabatur. Itaque præmiſſis per hyemem quinque & viginti armatorum millibus, Vere ineunte conſcendens in Hollandiam venit. Vix eo digreſſo turbarum per Britanniam indicia patuere. Quin & ubi compertum fuit, Jacobum Regem mox ſoluturum in oppoſito continentis litore diverſari, non obſcuris alicubi ſermonibus agitari cœptæ. Gravis inde Senatum regiamque Conjugem inceſſit metus, procellam haud longe abeſſe; qui timor tamen, ut ſolet, ne ad repellendam incumberent, haudquaquam ipſorum contraxit animos. Primùm conquirendis cuſtodiendiſque, quorum fidem ſuſpectam haberent, impenſum ſtudium. Proce-

Vilhelmus Rex nihilo ſecius in Hollandiam transgreditur.

Quid ad reprimendos tumultus, ac ſe tuendos in Anglia geſtum.

terum plures, in his Cunetionis, quem nunc Marleborugum dicunt, Comes, Ducis deinde auctus titulo & bello clarus, Londinenſi arce concluſi aut pignoribus obligati. Complures cujuſcunque ordinis in carcerem conjecti. Quotquot regia in urbe Catholici nominis, ultra decimum lapidem abire juſſi; ubique armis equiſque ademptis, abſtinere munitis locis atque inter ſe congreſſu. Ceteris mandatum, ut ab litore in mediterranea abducerent quicquid uſui appellentibus hoſtibus eſſe poſſet. Altera augendi exercitus cura fuit. Tres equitum ſagittariorum legiones, decem peditum ad regni tutelam manſerant. Harum pars prope Londinum locata, pars maritimarum urbium præſidiis addita. Sex, quæ ad traijciendum navigia ac ventum expectabant, ad Portum magnum retentæ; quò non ita multo poſt e Scotia tres, totidem a Belgio, quinque ex Hibernia traductæ aliquam exercitus ſpeciem exhibuerunt. Lageniæ Comiti ipſarum imperium datum cum mandatis: legionarios ſuppleret provinciali milite quem per eos dies ad ſigna vocaverat, eòque circumduceret, quò adverſæ naves proras obverſuræ viderentur. Data inſtruendæ celeriter claſſi opera, ut propere ornata coaleſceret, cum Bataviſque conjuncta teneret mare atque hoſtem arceret. Summa in hoc rei verſari videbatur, ac fere unica retinen- 1692.

1692. dæ ſalutis ſpes. Nam Vilhelmo fidiſſimus cenſebatur Ruſſelus ejus præfectus, & navarchi datis dudum ad Reginam communi conſenſu literis fidem obligaverant, ſe hoſtium navibus, ſin minus e portu egredi, ſaltem Angliæ litus interdicturos. Contra: per provincias ingentes ciebantur motus, & reperta alicubi arma, equi, ſulphurati pulveris copia, quibus inſtructa ſeditio aliis animos, aliis metum inijceret, utilemque adventanti Jacobo Regi ſe offerret. Dum, quò res inclinatura foret, ambigitur; caſus, ut non rarò, conſilium evertit nutantemque fortunam Vilhelmo retinuit. Maturaverant Galli navalem apparatum, ut priuſquam hoſtis integra navigaret claſſe, tutò in adverſam oram belli inſtrumenta ac milites exponerent. Appetente Vere Æſtræi Comes cum duodeviginti bellicis navibus e Telonis portu Brivatem profecturus, quò reliquis conveniendum erat, ſolvit. Diu reflante jactatus vento, deinde atroci ad fretum Gaditanum procella, qua duæ naves fractæ hauſtæque fluctibus, vix ineunte junio eò pervenit. Damnum rependerat duodecim incenſis Britannicis onerariis binisque bellicis, illas præſidii cauſa comitantibus, vi tormentorum demerſis, quæ ipſi fortè occurrerant tranſgredienti fretum. Sed pluris fuerat moræ detrimentum. Dum enim verberando tempus terit, & proceloſum mare tardat iter, ſpatium hoſtes ac-

Claſſis Gallica vario caſu coaleſcere nequit.

acceperant colligendæ claſſis obſepiendique, ne tranſmiſſuris pateret, litoris. Quod ubi cognitum Ludovico Regi, caſum in conſilium vertens Tourvillo mandavit: cum iis, quas ſecum haberet, navibus inimicas (nam ne has quidem penitus coaluiſſe perceperat) invaderet occuparetque pugnando, ne diſcrimen traijcientibus onerariis poſſent obijcere. Ille cum ſeptem ac triginta bellicis, ſeptem incendiariis Brivate diſceſſit, haud dubius, brevi ſibi affuturas, quas Æſtræus ductabat, quaſque tricenas quinas in Armorica ad S. Maclovium Rupemque fortem ventus detinebat. Harum ſeptem quatuorque incendiariis paucos poſt dies auctus auſtralem Angliæ legebat oram adversùs Plimuthum, cùm IV. Kal. Jun. ſub auroram datur a ſpeculatore ſignum vela conſpici; ſed nondum aperto die, & quatuor amplius paſſuum millium intervallo, quota forent, recenſeri nequaquam poſſe. Claſſis erat Fœderatorum ad Vectim inſulam collecta ſex ac viginti Batavarum navium, quibus Alemondius præerat; octo ſupra quinquagenas Britannicarum Ruſſelo prætore duce. Ventus Gallos ad eas ferebat, quem ſequi, licèt incerto, quo hoſtiles eſſent numero, Tourvillo placuit; rato nondum omnino explicari potuiſſe atque in unum coire utriuſque gentis maritimas vires; ſeu potius verito cunctatoris nomen, cujus oborta in Rege ſuſpi-

1692.

Tourvillo mandatum, ut quas ſecum haberet, naves, e portu ducat.

Occurrit Fœderatorum claſſi.

1692. picione ſaucium gerebat animum. Nuſquam enim obviam habuerat unam aliquam celocium decem, quæ, vixdum illuc pervenerat certus nuntius: Fœderatorum navale robur prorſus expeditum vela in altum feciſſe: ex Armoricæ Normanniæque litore dimiſſæ ad renuntiandum erant, ut relegendo itinere repetendiſque Galliæ portubus impar adeo numero ſibi caveret. Quare interior periculo factus, quod incaute ſubierat, alacriter adeundum cenſuit; averſatus fuga, quam tutò capeſſere potuiſſet, ſe ſubducere; memor famæ & Gallicæ, ſe duce, navalis gloriæ. Ubi in conſpectu fuerunt claſſes, utrinque obverſo latere in longum direxere aciem triplici diſtinctam agmine. Primum Fœderatorum tenebant ſex ac triginta Batavæ naves Alemondo præfecto; medium ſex ac triginta Britannicæ, quæ rubrum vexillum Ruſſelo ſupremo duce ſequebantur; poſtremum ejuſdem gentis quinæ vicenæ, queis ceruleum propoſitum pro ſigno, & Eques Ashbyus imperitabat. Galli quadraginta navibus, dimidia fere parte minores erant. Igitur ad hoſtium æquandam aciem, ne circumveniri poſſent, ſuas inter ſe nimium diſtrahere, opus fuit. Quatuordecim in fronte poſitæ, totidem a tergo. Illis Amfrevillæ Marchio, his Gabaretus, ſenis deniſque Tourvillus moderabatur. Dum ita ſe comparant, pugna incœpit qua nulla unquam navalis atrocior.

Licet impar pugnandum ſtatuit.

Pugnæ ordo, fortuna, eventus deſcribuntur.

cior. Nam Fœderati quinis amplius millibus 1692.
majoribus tormentis, Galli tribus fere millibus
celerrime jaculabantur. Vulnerari proinde paſſim alvei, diſſipari armamenta, diſcerpi vela, dejici mali, hominum corpora fœdiſſime dilacerari. Sed nuſquam ferocius deſæviit, quàm acie in media, ubi ambæ Prætoriæ inter ſe concurrerant, ac præter ceteras impetu vehementiori ſe concerpebant. Eò proinde præcipua utriuſque partis verterat cura; Fœderatorum, ut illic urgerent pugnam novis navibus inductis; Gallorum, ut ab ſe tantum diſcrimen amolirentur. Ergo quot Batavæ otioſæ manebant ſuperante numero, velis enitebantur ut primam ſupergreſſæ hoſtium aciem, ac deinde proras circumflectentes, medium illud Gallorum agmen ex oppoſito latere divexarent. Quod ubi Amfrevillus compertum habuit, eluſit ferale conſilium, juſſo Neſmondo prolegato ſex, quæ in fronte ſub ipſius tutela erant, naves opponere circumvagantibus Batavis iiſque, ut ut poſſet, obſtruere viam. Ipſe octo reliquas, penitus diſſoluto primo agmine, ita molitus eſt ut earundem modò unam, modò aliam adortus, oſtentatoque ubique prælio, cunctas ab deſtinato curſu retinuerit. Dum hæc in fronte geruntur, non minus ab tergo periculum Gallis oblatum eſt. Paneterius Gallus prolegato, cui poſtremus ordo claudendus erat, quatuor, quas du-

1692. ductabat, naves nondum ad reliquas in pugnæ uſum admoverat. Tenuit occaſionem Eques Ashbyus Britannus, ſubductaſque e prælio ſuarum quatuor ac decem, quæ a tergo erant, in eas movit prædæ certus. Quod ubi Paneterius vidit, & ſe, niſi arte caveret, in plagas induci, ſimulata fuga velis adeo connifus eſt ut ſumpto ſpatio, atque hoſte tardius, ut conglobatim navigaret, inſequente, illum deluſerit; fœliciter ſub veſperam inflexo curſu ad ſuos redux. Ashbii diſceſſu Galli minus tormentis diverberati nonnihil reſpiraverant. At illo dum ſol occideret ad pugnam regreſſo, obruti rurſus immenſa telorum vi parum ab extremo periculo abfuerunt. Saluti fuit denſiſſima e pelago ſurgens nebula noctis adventu; qua penitus conſpectum adimente, machinarum conticuit ſtrepitus ne in incertum jacularentur. Verùm non ita multo poſt luna, quæ fortè pernox érat, diſſipante caliginem, recrudit prælium, crevitque Gallis atrox diſcrimen. Horum præſertim prætoriam navem conſciſſam undique ac verberatam jam prope vires defecerant, ad eamque ſervandam Gabaretus aliique majores duces quidpiam validarum adhuc navium adduxerant. Ceteras navarchorum arbitrio reliquerant; & ſuam unuſquiſque, ut ut infenſius poſſet, privato conſilio adverſus occurrentem hoſtem moliebatur. In eo tumultu Britanni æſtu fe-

ferente, octo incendiarias in medium inimicum agmen immittunt, quæ tamen Gallicis lembis audacter diductæ, aut data via, nullo ſucceſſu ignem occultamque peſtem vomuere. Lentior deinde ad ſecundam uſque noctis horam proceſſit pugna, cùm fractæ utrinque debilitatæque naves non ferocem adeo jaculandi vim retinerent. Nec ita multo poſt, obruente iterum mare nebula & conſpectum adimente, prorſus quievit. Dum ita otiantur, Britannicarum globus in adverſam hoſtium partem paullo ante, ut diximus, circumvectus, priſtinum in locum (qua cauſa ignotum) ſe retulit, fœdiſſime, dum prætervehitur inimicam aciem, telis contuſus. Ejus diſceſſu liberum fuit Gallis petere Normanniæ litus, cùm præſertim æſtus obſecundaret ac ventus mutato curſu eò ferret. Itaque Tourvillus bombardæ boatu ſuis, quò vellent, abeundi ſignum dedit. Novem naves tenuere Brivatis portum. Reliquæ noctu vagatæ, ubi dies illuxit, circa prætoriam ſe colligentes, Macloviopolim navigabant. Viam accelerantibus (hoſtis enim veſtigiis proſequebatur) injiciebant moram tredecim claudæ mutilæque, in his prætoria miſere concuſſa ac prope hauſta fluctibus. Hæ proinde, ne ceteris diſcrimen facerent, circa Haguæ promontorium impactæ in proximum litus; ſpe, Britannos brevia, quæ illic ſurgebant, declinaturos. At celeri-

1692.

Fœderati victores Gallicam claſſem fugientem inſequuntur.

Quanta utrinque clades.

1692. ter affuere cymbis exutaſque jam antea nautis armamentiſque, quin & aliquot onerarias, quæ fortè ibi in anchoris ſtabant, incenderunt. Reliquas Macloviopolis portum ingreſſas tentare haudquaquam auſi, in Angliam, ſuas inſtauraturi, ſe receperunt. Stetit ea pugna *Gallis* mille quadringentum nece, paullo plus trecentis vulneratis, inter utroſque nemine majorum ducum, minorum ad octoginta. Quæ clades, ſi de uno maris imperio actum foret, non multum iis offeciſſet. Nam citò ſuppleta claſſis Æſtræi navibus aliiſque nondum portu digreſſis. Verùm elapſa e manibus rei bene in Britannia gerendæ occaſio nullo pretio æſtimari poterat. Parta enim Fœderatis victoria, licèt ingenti ſuarum navium laceratione, duabus demerſis, cæſis hominum ad duo millia, in his Carterio proprætore, ſauciis mille quingentis, compreſſerat ibi rerum novarum cupidos atque otium adduxerat; moderata conſilia ſuadente conjuratis adverſa capto ab ſe conſilio fortuna quæ, niſi deſperatis rebus, demittit animos. Itaque Reginæ ac Senatus edicto domum populares, qui ad ſigna convenerant, dimiſſi; educti e cuſtodia procerum plures, quorum fides ſuſpecta fuerat; nec ultra inquiſitum, ne tractando, vulnus recrudeſceret. Fruſtrata in Angliam traijciendi ſpe, ad S. Germani Fanum Jacobus Rex e Normannia rediit. Milites, qui diu

Hinc Britannica conjuratio evanuit.

Jacobus Rex ad S. Germani Fanum redit.

diu iſthic tranſmiſſioni apertum mare præſtolati fuerant: ad alios augendos exercitus in diverſa diſtracti. Litus cum provincialium agmine, ſi deſcenſum tentaret hoſtis, Bellefontæo legato tutandum committitur; & alicubi erectæ munitiones præſidiumqne impoſitum. Verùm Fœderati, excitata prius ingenti maritimæ expeditionis ſuæ fama, ut ad oceanum extenuatis alibi copiis Gallos averterent, nihil moverunt, ſuſpenſi expectatione Belgici belli ex ejuſque fortuna conſilium moderaturi; quam non diu poſt Gallis faventem in ſuas partes allicere, claſſiario milite in id Oſtendam traducto, curandum fuit. Rex Ludovicus centum quinquaginta armatorum millibus Montes Henoviæ caput, quò convenirent, indixerat eòque adulto Vere cum Regia Domo majorumque ducum ingenti numero ſe contulerat, Namurcum oppugnaturus. Rem Fœderati facili conjectura aſſequuti fuerant, conſcii per hyemem congeſſiſſe Gallos in proximas arces ingentem machinarum & bellici inſtrumenti copiam. Itaque & ipſi omni ſtudio ad urbem tanti momenti validiſſime propugnandam ſe comparaverant, haud ignari: ejus potitum hoſtem non modò cognominem provinciam in poteſtate habiturum, ſed impunè Bruxellas uſque vagari poſſe. Præſidium auxerant ad militum decem millia, quibus præerat Barbanſoni Princeps. Centum

1692.

Rex Ludovicus in Belgium ad exercitum pergit.

Namurcum invadit.

1692. tum quinquaginta murales machinæ mœnia tutabantur. In longam oppugnationem commeatibus & iis, quæ ad belli ſunt uſum, conſultum fuerat. Sed præter cetera loci natura multipliceſque munitiones irritæ oppugnationis ſpem faciebant. Jacet oppidum ad lævas Moſæ Sabiſque confluentium ripas, ubi externus angulus Boream reſpicit. Qua parte alluitur, tenui lorica turribus interſecta cingitur. Oppoſitum latus, utrique ſuccedens flumini, leniter in arcum inflectitur. Roſtrata ibi maxima propugnacula, intus lato aggere, foris foſſa viaque promurali, & prope Moſam interiacentibus parmis protecta. Ex interiori acutoque amnium angulo biceps aſſurgit tumulus. Dextro inſidet inſigne cornutum opus, quod a Vilhelmo Arauſionenſi, Britanniæ deinde Rege, ejus auctore nomen habet. Illinc modico intervallo, ubi collis confragroſus deſcendit, tria caſtella ad impediendum iter frontem occupant. Siniſtram tumuli partem triplex, unum alteri ſuperimpoſitum, diſcriminat cornutum opus, quod latera diſtincta propugnaculis ad utrumque fluvium protendit. Paullo ultra verticem prope crepidinem, unde ſe collis inclinat aſperiori dorſo, ceſpite compactus agger eductus fuerat. Ex hac munitione Moſa ponte conjungitur; cujus aditum quadrata prohibet arx in adverſa ripa. Illinc planities panditur. Ceterum

Oppidi munitiones & apparatus deſcribuntur.

ubi-

ubique per gyrum difficiles eminent montes interiectis vallibus ac ſaltuoſi. Ludovicus præmiſſo Condæi Principe cum aliquot legionibus ad intercludenda externis auxiliis itinera, juſſoque Beuflerſi Marchione cum globo altero dextram obſidere amnium ripam; datis quoque octogies millibus Luxemburgio legato, quos Fœderatis ad ſolvendam obſidionem properaturis opponeret; reliquas copias Namurcum ducit. Speculatus, obequitando, circumpoſitam oram atque e proximo edito colle, qua parte promptius mœnia ſuperari poſſent; ſtatuit patentia tantùm itinera munitionibus occludere; ſatis alibi obſepientibus aditum diruptis jugis; militari verò aggere extrema utrinque proximaque fluviis propugnacula, quodque mediam interſecabat loricam, ſubire. Sed illud peti maxime, quod Moſam ingreditur. Ad hujus viam tectam quatriduo perventum eſt; nec multo hæc ſanguine in poteſtatem redacta, poſtridie aditum dedit ad promuralem parmam unde præſidiarii ſe proripuerant, rati ab ſe melius illam, ariete non parum decuſſam, vibratis ex oppidi muro jaculis & non aperto corpore defenſum iri. Et magna quidem ingredientibus Gallis illata illinc cædes ac vulnera; non tamen, quin pedem figerent ſtationemque firmarent, prohibiti. Inde ſtatim adverſi propugnaculi ferire latus intermediamque foſſam com-

1692.

Celeberrima oppugnatio, memorabileſq; in ea caſus & facinora enarrantur.

Digitized by Google

1692. complere adorti, dum ſimul vehementius ignivomis ollis, quarum una pari civium metu ac damno bis mille pyrochitris cavea concluſis flammam intulit, urbem affligunt; hanc citius, quàm ſperaverant, in deditionem perpulerunt. Pacto convenit, ut ſua populares manerent jura; miles in arces recederet; has inter atque oppidum induciæ forent. Ad arces igitur ex altera parte oppugnandas traductus Sabim exercitus. Arduum erat per abruptum dorſum in altum evadere; idque prius ad eam partem, quæ Moſa alluitur, tentari placuit. Tredecim pyrochitrophorum centuriæ, quas quingenti pyrobaliſtis armati ſubſequebantur, non alia primùm quàm itineris difficultate morante greſſum, alacriter ſe ſe erigebant, occulto inter anfractus hoſte & raris infrequentibuſque ſtationibus in ſummo clivo. Parum ab eo diſtabant, cùm ille in apertum proſiliens tantam effudit jaculorum procellam ut progredientium turbaverit ordines; nec in veſtigio ſtetiſſent, ni clamor a tergo auditus ſuorum, celeri ad opem ferendam procedentium curſu, ipſis robur atque animos reſtituiſſet. Sex erant veteranorum legiones, quæ præpilatis ſcorpionibus ea ferocia dedere impetum ut objectum agmen obſtinata propulſum pugna, cedere coactum fuerit mutua bis centum clade. Magna ibi virtus enituit Subiſæ Principis, qui earum ductor legionum

non

non prius imperio, manu, conſilio quievit, 1692.
quàm captum in ſuperiori planitie locum aggere circummunierit adeo ut poſtridie erumpentes oppidanos facilè ab ſe depulerint. Vallum ibi ſurgens obſepiebat ad arcem iter. Valido erat caſtello interſectum inſeſſumque ingenti præſidio. Non tamen irruentium ferociam, quamquam ſtrenue propugnatum, ſuſtinere diu potuit. Dum irruunt Galli, aderat in propinquo Rex, oculis quid quiſque ſuorum ageret percepturus; quo ſummopere exacuitur virtus, facta inde ſpe: illam conſpectam in pretio fore ac tandem, ut ſæpius accidit, initæ minoribus titulis apud Principem gratiæ non conceſſuram. Itaque ſtrictis gladiis atque extrema conati, aggerem ſupergreſſi pepulere ſub ipſa mœnia hoſtium agmen. Facinus utrinque hauſit plurimos. Nec Rex periculo caruit, icto pyroſcorpionis vi, dum ei latus contegeret, Toloſæ Comite. Non prius tamen ſe retulit quàm penitus retinendæ munitioni proſpectum foret. Nulla deinde fuit mora quin ad utramque ſimul arcem vineæ promoverentur, improbo ſane labore ob pluvium diu cœlum & ruentia perpetuò e muris machinarum fulmina; ſemel quoque ſeptingenti ex utraque arce ſub ſignis egreſſi primas Gallorum ſtationes confecere jaculis & quidpiam valli diſſiparunt. Nihil tamen tanti erat, quod non vinceret patien-

tia

1692. tia militum inſitaque ei genti Majorum exemplis inſtitutiſque opinio : bene pro ſui Regis gloria ac fœlicitate , quicquid ſibi eſt , devoveri . Ludovicus etiam rem ſtrenue gerentibus addebat animos , ea ætate (quartum & quinquageſimum agebat annum) quaquaverſum diſcurrens, objectus periculo, dum ſæpius ad vallum procederet ; militi non laudum non præmii parcus. Citiùs ad imminentem Sabi munitionem deductus agger hærebat viæ tectæ, cùm in illam quatuordecim pyrochitrophorum cohortes nullo undique micantium telorum metu ferociter irruunt . Stabat ex adverſo major præſidii pars cum ipſo munimenti architecto ac præſide Coehorno tribuno , qui velut ad extremum diſcrimen , eò cum validiori militum robore ſe contulerat . Irrumpentibus Gallis præſidiarii reſtitere primùm incredibili audacia ; illos deinde præcipiti progreſſos impetu in mediam viæ tectæ aream detruſere nitrati vi pulveris, quo ſubtus incenſo terra movit projecitque longius fœde lacerata ſuperſtantium corpora . Verùm ipſa , ut fit , difficultate irritati Galli , & Regis memores, dedere iterum cæco adeo furore impreſſionem ut ſaucio Coehorno tribuno pluribuſque militum contrucidatis reliqui per ſtragem murorum intra munitionem ſe abdiderint effuſa fuga . Nec mora propoſito deditionis ſigno Gandavum omni militari honore ſed. longio-

giore itinere, ne ad ſuorum exercitum diverterent, dimiſſi ſunt. Mille nongenti fuere, in his Coehornus aliique octoginta minores duces. Totus deinde in veterem arcem verſus impetus, quò tridui opera vallum productum. Duæ illam tegebant promurales foſſæ. Ad exterioris marginem oppidani frequentes convenerant; nec oppugnatoribus parum laboris fuit, ipſos protrudere. Protruſi tamen poſt ſævam pugnam ad interiorem ſe corripiunt, ubi poſtridie non minori ferocitate conſertum prælium. Mille ac trecenti Gallorum pyrochitrophori, duabus peditum legionibus agmen claudentibus, obſtinate adeo (Rex enim ſpectator aderat) ſeſe immittunt ut quamquam ſtrenue obſiſteret ex ipſo loco præſidii pars, alii e ſuperiori arcis lorica tela ingererent, bis quoque nitrati vi pulveris terra ſub hoſtium pedibus diſceſſiſſet; nihilo ſecius prope conflictu abrepti in ipſam arcem detruſi ſunt. Jam mœnia tormentis lacera dabant aditum, iſque vixdum æquata foſſa tentari cœptus. Præmiſſa e pyrolmis bombardiſque ingens telorum ollarumque vis præſidiarios illico non parum diſſipavit. Mox per ſtratum ruinis clivum tres pyrochitrophorum cohortes ſilentio progreſſæ, hàc illac diſperſos & vix ſemel jaculatos in fugam conſternarunt, ſignaque brevi negotio in media ſtatuerunt area. Duo reliqua manebant opera 1692.

1692. ſed infeſta ſpiculis, quæ tormentis intorqueri in ea poterant e ſuperiori loco. Aliquam proinde facere iſthic moram plurimo præſertim ſanguine deſperataque ope, Barbanſoni Princeps præfectus ſupervacaneum duxit. Quocirca diſcedendi conſilium cœpit, pactus ſibi præſidiariiſque militares honores, ac præter cetera, ut ſex majores catapultas binoſque pyrolmos ſecum adduceret. Lovanium abire permiſſi ſunt. Fuere duo millia quingenti; reliquos morbo aut ferro mors deleverat. Gallorum ad tria millia periere & nemo illuſtri ſanguine aut præfectura; longe plures vulneribus conciſi. Rex intra duos ac viginti dies expugnatis arcibus ſuas copias diviſit. Parte Luxemburgii auxit exercitum; partem in Italiam Germaniamque dimiſit; alias Beufleſio dedit, quas vel Brandeburgenſibus circa Moſam excubantibus objiceret vel cum Luxemburgio, ſi occaſio ita ferret, conjungeret. Oppidum validiſſimo præſidio Guiſcardi Comiti cuſtodiendum reliquit. Dein plurima erga benemeritos duces uſus liberalitate eaque in primis conſpicua, quadragenis ſcutatorum millibus datis Vaubano inſtructori exercitus; cujus in bellica architectura primas gerentis partes vallum arte proceſſerat ſciteque oppido vis illata; tam inſigni lætus facinore Verſalias ſe reſtituit. Dum Namurcum oppugnabatur, Vilhelmus Rex Bojoariuſque pro-

Oppidum & arces Gallis deduntur.

Quæ in oppugnatione utrinque cædes.

Rex Ludovicus Verſalias redit.

Fœderati ſuas Copias colligunt ad ferendam Namurco opem.

propere ex hibernis milites circa Lovanium convenire juſſerant. Extemplo affuere peditum ſeptuagies mille, tricies equitum. Conſilio habito, nemo, quin ſtatim ſuppetias eundum periclitandæque forent vires, diſſenſit. Cunctos extimulabat pudor: ita Fœderatos hoſtibus contemptui eſſe ut in ipſorum conſpectu urbem tanti momenti munitiſſimamque oppugnandam ſuſcepiſſent. Temeritatem, rei ſi bene ſuccedat, in immenſum evadere, atque impunitam difficilius frangi aut retineri. Itaque magnis animis ſigna movent. Mediam ductabat aciem Vilhelmus Rex, Bojoarius dextrum cornu, ſiniſtrum Valdechi Princeps. Exercitum, dum pergerent, Luxemburgius a Gemblaco, ubi diu in ſtativis fuerat, ponè Mehaignam rivum retulerat, quo veluti foſſa uteretur, fortè illinc objecto Namurcum adeuntibus. Fœderati in oppoſita ripa ſuſtinuere gradum, pluvialibus per eos dies aquis tumido nimis alueo. Cunctanti præbere vadum pontones injiciunt, quos primùm a Gallis disiectos tandem firmarunt; ſed traijcere in hoſtium conſpectu haudquaquam auſi. Igitur adverſo amne relegere viam, ſibi ſi forte, alicubi fallentibus hoſtem, illud nudaretur. Verùm & iſtam deluſit ſpem Luxemburgius, e regione veſtigiis hærens caſtraque ubique tuto metatus loco. Una Fœderatos manebat reliqua, ſi Sabi prope Caroloregium raptim traducto, val-

1692.

Moventque adverſus oppugnatores.

Iis exercitum ſuum Luxemburgius opponit

Fœderati plura tentant, ut oppido auxilientur, ſed fruſtra.

1692. lum vineaſque priuſquam Luxemburgius in eam partem copias traduceret, invaderent perrumperentque. In id conſilia atque iter dirigentibus Beuflerſius cum ſuo militum globo, a Luxemburgio monitus, apparuit in adverſa ripa; & is a latere inſtabat ne illi agmen dividere traijciendo auderent. Inter hæc Namurcum deditionem fecerat; quo comperto Fœderati, dato Brandeburgenſibus Leodienſibuſque commeatu ut ad Moſam redirent, ipſi aucti Hannoverianis aliiſque copiis, Nivigellam ſe retulere. Et Luxemburgius ab læva proſequutus circa Soegniacum caſtra poſuit eo conſilio ut ex alieno exercitum aleret, in pugnæ diſcrimen non committeret. Contra Fœderatis in animo erat, quidpiam in hoſtem audere, non minus reipublicæ quàm ſuæ famæ ac decori, quæ non parum inclinaſſe verebantur, conſulturis. At quum equitatu minus poſſent, ceterùm præſtarent peditum numero, taciti expectabant an ille unquam equeſtri pugnæ incommodum inſideret locum. Nec diu abfuit occaſio. Enghienum proceſſerant Galli pabuli copia illecti, locaverantque legiones inter ipſum oppidum ac Stenocherchum vicum. Colles ibi ſunt nemoroſi aut vepribus conſiti, ad quorum radices Stenocherchus præterfluit rivus, anguſtiſque vallibus interſcinduntur. Nihil moratus, eò Rex Vilhelmus exercitum ducit acie decre-

tu-

Digitized by Google

turus. Quod ubi Luxemburgio nunciatum eſt, vix credere, illuc per impeditiſſima loca ſubire hoſtem velle. Verùm oculis comperta re, ſtatim Beufleſſio, quem non procul ſtare juſſerat, mandavit ut raptim cum ſua militum manu ad ſe veniret; ſimul exercitum quaquaverſum diſperſum, ut quæque prima ſe offerret legio, ad pugnam inſtruit; ex loci natura, quæ apertam continuatamque in aciem diſtendi vetabat, diviſo agmine. Duplici tumulo ſuccedebat nemus, quod intrare Fœderatos viderat. Eos proinde colles armatis occupat; dextrum in primis; quà maxime, quia rivus ab equitum incurſu lævum ipſis tegebat latus, perrupturos arbitrabatur. Nec falſus fuit. In eo erraſſe dicunt, quòd militum parte in nemus non penetraverit, ad ejus tantùm oram acie locata. Sed celeri nimium gradu præcepta hoſtes via, ſaluberrimum conſilium, ſi fortè captum foret, everterant. Nam illico primum agmen, cui præerat Virtembergæ Dux, in apertum erupit. Britannicæ legiones erant, veteranus miles, ſui Regis gloria maxime incenſus, eaque celeritate e pyroſcorpionibus jaculabatur ut cùm lentius Galli ſua tela mitterent, adverſam tempeſtatem ferre haud potis fuerint; tantùmque ceſſere loco ut ſex campeſtres machinæ in ingruentium poteſtatem venerint. Mota frons ab ſagittariis equitibus pedeſtri pugna

1692.

Pugnatur apud Stenocherchum.

Ejus loci natura.

Strenue utrinque & vario caſu confligitur.

1692. gna dimicantibus, qui præliando factam ſtrenuitatis de ſe ſpem haudquaquam fefellerant, ſubſidiarium peditum globum prope in fugam ſecum trahebat, & res ab extremo diſcrimine propius aberat; cùm Luxemburgius ad illuſtres regio ſanguine Principes alioſque majores militiæ duces, qui ſecum aderant, verſus; non hic, ait, belli arte utendum eſt. Eo certatur pugnæ genere ut hæc non equitum robore, quo plurimum valemus, non explicato, non ſuppleto agmine reſtitui poſſit. Tenemur anguſto impeditoque loco; quem ſi obtineat hoſtis, feret, quò volet, impetum nec facile refringetur, cùm ſaltibus diſiecto exercitu validum corpus objici impellentibus nequeat. Itaque, priuſquam ſucceſſu alacer nimis audeat, cohibendus; in idque extrema exerenda vis & quicquid, quibus maxime fidimus, militum. Prætorianorum Gallici Helvetiique nominis legiones glorioſum id ſubeant munus; utque militiæ decore, ita & virtutis excellere, palam faciant. Hac alacres laude vultuque præcipientes victoriam ſigna movent, dextra gladiis tantùm armata. Sua ſponte ferocientibus addebant animos Carnutum, Borbonii, Vindocini Duces, Contiacique Princeps e regia ſtirpe, qui, cùm tanti momenti res ageretur, in prælium duxere ordines. Collatis ſignis ſtetit primùm veluti objecto aggere hoſtium acies. Mox eorum plu-

pluribus hauſto jugulo, fluctuans ad oram ſylvæ retulit pedem, remiſſo Gallis priori ſpatio, machiniſque dudum ereptis in ipſorum poteſtatem invicem deſertis. Illic hiſtrice ante ſe armato integrat pugnam; quæ primùm cominus gladiis, mox eminus quoque ab aliis legionibus in frontem adductis, tres horas pugnata eſt ferociter adeo ut vita utrinque plurimi, gradu nemo uſquam diſceſſerit. Majores duces prælio immixti firmabant militi animos; & Luxemburgius haud ſemel novas ipſe legiones in aciem duxit; itidemque Vilhelmus Rex, qui ſui fere oblitus, incredibili audacia quaquaverſum diſcurrens ac telis objectus ubi vehementius ardebat pugna, voce conſertaque etiam manu ſuis audaciam ac vires exacuit. Æque verò in tanto rerum diſcrimine utriuſque imperatoris bellica virtus patuit. Non uno enim loco imperio & mente prælium regere ac moderari neceſſe fuit. Sed cùm alicubi collis nulla interſeptus arbore Gallorum aciem jaculis aperiret nudaretque ipſorum latus, ad illum occupandum ambo enixi, retinere aut ſuperare ingenti vi conabantur; alternavitque ibi ſæpius belli fortuna. Interea dextrum Fœderatorum cornu e nemore ſe ſe explicaverat & cum hoſte congreſſum inierat prælium. Locus ibi vepribus interiectus alterum adhibere ſuaſit pugnæ genus. Stabant ex adverſo intra ſepta veluti 1692.

1692. gna dimicantibus, qui præliando factam ſtrenuitatis de ſe ſpem haudquaquam fefellerant, ſubſidiarium peditum globum prope in fugam ſecum trahebat, & res ab extremo diſcrimine propius aberat; cùm Luxemburgius ad illuſtres regio ſanguine Principes alioſque majores militiæ duces, qui ſecum aderant, verſus; non hic, ait, belli arte utendum eſt. Eo certatur pugnæ genere ut hæc non equitum robore, quo plurimum valemus, non explicato, non ſuppleto agmine reſtitui poſſit. Tenemur anguſto impeditoque loco; quem ſi obtineat hoſtis, feret, quò volet, impetum nec facile refringetur, cùm ſaltibus diſiecto exercitu validum corpus objici impellentibus nequeat. Itaque, priuſquam ſucceſſu alacer nimis audeat, cohibendus; in idque extrema exerenda vis & quicquid, quibus maxime fidimus, militum. Prætorianorum Gallici Helvetiique nominis legiones glorioſum id ſubeant munus; utque militiæ decore, ita & virtutis excellere, palam faciant. Hac alacres laude vultuque præcipientes victoriam ſigna movent, dextra gladiis tantùm armata. Sua ſponte ferocientibus addebant animos Carnutum, Borbonii, Vindocini Duces, Contiacique Princeps e regia ſtirpe, qui, cùm tanti momenti res ageretur, in prælium duxere ordines. Collatis ſignis ſtetit primùm veluti objecto aggere hoſtium acies. Mox eorum plu-

pluribus hauſto jugulo, fluctuans ad oram ſylvæ retulit pedem; remiſſo Gallis priori ſpatio, machiniſque dudum ereptis in ipſorum poteſtatem invicem deſertis. Illic hiſtrice ante ſe armato integrat pugnam; quæ primùm cominus gladiis, mox eminus quoque ab aliis legionibus in frontem adductis, tres horas pugnata eſt ferociter adeo ut vita utrinque plurimi, gradu nemo uſquam diſceſſerit. Majores duces prælio immixti firmabant militi animos; & Luxemburgius haud ſemel novas ipſe legiones in aciem duxit; itidemque Vilhelmus Rex, qui ſui fere oblitus, incredibili audacia quaquaverſum diſcurrens ac telis objectus ubi vehementius ardebat pugna, voce conſertaque etiam manu ſuis audaciam ac vires exacuit. Æque verò in tanto rerum diſcrimine utriuſque imperatoris bellica virtus patuit. Non uno enim loco imperio & mente prælium regere ac moderari neceſſe fuit. Sed cùm alicubi collis nulla interſeptus arbore Gallorum aciem jaculis aperiret nudaretque ipſorum latus, ad illum occupandum ambo enixi, retinere aut ſuperare ingenti vi conabantur; alternavitque ibi ſæpius belli fortuna. Interea dextrum Fœderatorum cornu e nemore ſe ſe explicaverat & cum hoſte congreſſum inierat prælium. Locus ibi vepribus interiectus alterum adhibere ſuaſit pugnæ genus. Stabant ex adverſo intra ſepta veluti 1692.

1692. luti vallo tecti certoque ictu tela ingerebant; & cùm illic quoque Fœderati frequentius jacularentur, primò Galli moti ſunt cedebantque ſpatio & vix a fuga ſe cohibebant; cùm ad eos retinendos ſagittarii Beuflerſii equites in tempore advenerunt. Extemplo ex equis deſilientes in frontem convolant laxatiſque pyroſcorpionibus parem hoſti procellam ingerunt; qua ille conterritus pedem retinuit, nec ita multò poſt a latere circumventus, & a fronte urgentibus ſagittariis, ad ſylvam receſſit, telis invicem laceſſens ac laceſſitus. Jam Galli promoto, quò fuerat opus, agmine infeſta Fœderatis obtinebant loca, & dies ad veſperam declinabat. Quocirca Rex canere receptui juſſit: Instructi eamdem, qua venerant, viam rediere, nullo dum irent damno, parum hoſte inſequuto ob itineris difficultatem, & quia facilè repelli poterat. Decem tamen ejus curules machinæ, quæ longam progredientibus faciebant moram, in Gallorum poteſtatem venere. Nunquam ſane majoribus odiis, quamquam non maxima ſtrage, pugnatum eſt. Tempus atque atrocius baccandi opportunitas Libithinæ defuit. Ceterùm nemo prope fuit majorum minorumque ducum, qui fortiter dimicando ſe ſe in diſcrimen non dederit. Periere Gallorum duo millia quadringenti quinquaginta ſeptem, quos inter ſecundi ordinis præfecti duodecim ſupra cen-

Qui pugna atrociſſima eventus.

Quanta & quorum e majoribus ducibus utrinque ſtrages.

centum. Cumularunt ærumnam Turris Alverniæ Principis immatura mors, fatoque functi Blainvillæ, Belliqne Fontis Marchiones, mox quoque ex acceptis in prælio vulneribus Murſens, Eſtrades, Fimarcon tribuni militum, ac Tiladeti Marchio prolegato. Saucii ad tria millia octingentos, quorum quingenti ſeptem minores ducebant ordines. Fœderatorum cæſi ad tria millia quingentos, in his centum ſexaginta duo minores præfecti; ſed longe magis doluere morte Makaii Lanierique prolegatis ac tribunorum militum Roberti, Douglaſi, Hodgeſi, Anguſi, Andreæ, Meori, Georſi. Prope ad tria millia vulneratos numerarunt, ex iiſqne fuere trecenti fere ductores ordinum præcipuaque nuncupatione recenſendi Tettaus Scaakuſque prolegatis, Chiliarchi decem; capti militum mille trecenti. Re incommode geſta nequaquam demiſere animos, aliud in hoſtium perniciem facinus meditati. Signa in Flandriam provinciam vertunt, quò juſſu Vilhelmi Regis claſſis pervenerat expoſueratque ad Oſtendam ſub Lageriæ Comitis imperio quindecim claſſiariorum militum millia cum ingenti bellico apparatu. Clam apud ſe propoſuerant, Dunquerquam terra marique oppugnare; quam ceteraſque illic arces non parum ad augendum Luxemburgii exercitum præſidiis debilitatas compererant; ſtatuerantque, accepto nuper ab Gallis exemplo,

1692.

Fœderati exercitum in Flandriam circumflectunt.

Dunquerquæ oppugnandæ conſilio.

Digitized by Google

1692. ſtativa ante obſidionale vallum ponere, ſuppetias prohibituri. Quamquam ſpes erat, hoſtes ad eas ferendas haud tanti fore, præſertim cum dubitari non poſſet quin militum quidpiam Namurco admoturi eſſent, poſtquam huic timere incœpiſſent. Vilhelmus enim ſtatim ab eo capto Lovanii congreſſus cum Octoviro Brandeburgenſi convenerat ut illuc ſuas & Leodienſium copias ad Moſam regreſſas adduceret, dum ipſe Dunquerquam peteret. Nec ſpes eum fefellit. Vix quippe Luxemburgius novit, eas legiones adverſum amnem relegere, Huiique propinquo in oppido murales machinas expediri, cum ſex equitum millibus Beufleſum dimiſit, qui accepto e proximis præſidiis ſupplemento, conflataque non levi manu, Namurcum nondum penitus inſtauratum extra diſcrimen poneret. Simul Fœderatos Schaldim tranſgreſſos caſtraque prope Deinſam ad Legiam fluvium metatos a latere proſequutus, Corteriacum venit. Inde priuſquam iter obſideretur, auctis ingenti militum numero Dunquerquæ, Vinoxibergæ, Iprarumque præſidiis, vallum quoque inter eas urbes Meninam uſque productum aliquot legionibus armari juſſit. Reliquum exercitum, eo militum globo, qui Galliæ Belgicæ Normanniæque litora prætexebat, ſuppletum in ſtativis ad Corteriacum habuit, e re nata, quò ferret occaſio, ducturus. Nihil autem a

Militum partem Namurco admovendam ſtatuunt

Utriuſque urbis periculo Galli cavent.

Fœ-

Fœderatis, poſtquam ſua præoccupata everſaque conſilia hoſtium celeritate conſpexere, tentatum eſt. Nam & Vilhelmus circa Deinſam continuit exercitum; & Brandeburgenſes oppoſito ſibi tuto loco Beuflerſi exercitu, cùm ſe in incertam aleam committere nollent, quievere. Itaque reliquum æſtatis otio traductum, & vixdum autumnus adoleverat, utrinque in hiberna diſceſſum, quæ quàmproxime fines capta, ne quid hoſtis per hyemem audere poſſet. Britannorum tamen pars major facili tra. jectu in Angliam iterum remeavit. Et illuc Vilhelmus Rex tranſmiſſurus in viam ſe dederat, cùm repente Bojoarii literis revocatus Bruxellas ad eum pergit. Ibi audito, Caroloregium a Gallis circumſederi, claſſicum extemplo colligendis legionibus cani juſſit. Eò Beuflerſius, veluti hyematum iret, illico ſigna inflexerat adducto ſecum ingenti machinarum pyrolmorumque apparatu, quibus expeditis arcem validiſſimam verberabat. Aſt ubi certior factus, Vilhelmum juſto conflato exercitu mox affuturum ad opem ferendam, biduum fœdiſſime laceratis mœnibus ædibuſque pedem retulit. Incertum, id ne unum facinus patraturus advenerit, an cùm oppidum oppugnare vellet, e re nata conſilium mutaverit. Vilhelmus plenus irarum, quippe cui famæ detrimento nulla foret ab ærumnis quies, Hagam, mox Londinum ſe

1692.

Utrinque in hiberna diſceſſum

Caroloregium ab Gallis oppugnatur.

Adventantibus Fœderatis, deſerunt.

1692. contulit, ubique ſolicitatis ad vindictam animis, obtenta ſuperbia hoſtis jam tandem intolerabili, quam tamen in ejus perniciem redituram diceret, conſumptis agendo nimium viribus nec diu ſuffecturis. Simul apud ſe lætus quòd, irritato bello, Britannos Fœderatoſque ſibi obnoxios magis habiturus eſſet. Quæ dum in ea parte geruntur, ab altera Gallos non eadem fortuna ſequutura videbatur. Militum ad quina quadragenaque millia in Taurinis Fœderati contraxerant, quorum tredecim Italici nominis Allobrogum Dux, duodecim Hiſpanici Italicique Leganeſii Comes, quatuor ſubalpinorum Calvinianorum Britannica pecunia auſpiciiſque Medardus Schombergii Dux; ac ſexdecim Germanorum aderant millia, quorum imperium honoris cauſa Allobrogi datum, re vera Comes Æneas Caprara legatus moderabatur. Jam antea in Galliam penetrare deliberatum fuerat, & modò novos addebat ſtimulos invidia Gallicæ in Belgio fœlicitatis inflictumque nuper Oneliæ damnum, quam admotis quinque ac triginta quinqueremibus deſertam a civibus dilaceraverant incenderantque; magis autem, quòd exploratum haberent Catinatio quatuordecim non amplius millibus armatorum eſſe; ac ſibi vires, hoſti terrorem crederent auctum iri Hiſpanienſi claſſe, quam duodeviginti quinqueremibus, ſexdecim bellicis navibus,

Quo numero in Italia Fœderatorum exercitus, & unde conflatus.

Longe minores Galli.

bus,tribus incendiariis validam, ad Provinciæ litus appulſuram condixerant. Itaque, ergo militum quiniſdenis millibus Comiti Palſio ad coercenda Pinarolii & Caſalis præſidia, Seguſioque inſidiandum relictis, diverſi (nam facile aditum unum hoſtis obſidere potuiſſet) maritimas alpes, qui Victorium Amedeum ſequebantur per Barcinonenſem agrum; Cottias per D. Martini, qui Leganeſium; quique Scombergium, per Lucernæ valles tranſcendunt, data teſſera, quo loco ad Druentiam amnem unum in corpus iterum coaleſcerent. Prima Sabaudo Guilleſtra occurrit oppidum, quatuor inſeſſum provincialium centuriis, quæ facta illico deditione, quamquam pactæ liberum commeatum, Auguſtam Taurinorum deductæ ſunt. Illic e ſuperiori loco Myſtagogæ Calvinianorum ciere popularium tumultus, magniſque clamoribus ſuadere ut ejurata imperioſi nimium Regis fide Catholicaque ſuperſtitione, cui dudum ſe addixiſſe ſimulaverant, ſe ſe in libertatem aſſererent, factaque manu darent liberatoribus ſuis documentum: nihil jucundius mortalium generi, quàm nullo impedimento per quamcunque velit ſacrorum opinionem vagari atque ex ingenio vivere. Nemo tamen turbulentis concionibus animos, pauci aures dederunt, eventus metu cautique ad conſilium, quod ejus auctoribus, ſi male cederet, non æque ac ſibi funeſtum futu-

1692.

Fœderati ab Italia in Galliam procedunt, & quibus itineribus.

Guilleſtra potiuntur.

Illic Calviniani populum ad relictam dudum ſuam ſectam, & ad tumultus revocant.

Nemo eis adheret, metu detentus.

1692\. futurum foret. Decepta ſeditionum ſpe, quid armis poſſent, experiri aggrediuntur. Hiſpanorum adventu amnem traducunt. Ebredunum invadunt, nullis propugnaculis unaque mœnium lorica cinctam urbem. Pridie illuc adduxerat militum ad tria millia Larræi Marchio; qui ad deditionem invitatus ferociter abnuit, factaque verbis æquavit. Nam duplici ad muros aggere ſuccedentes hoſtes octo, quot habebat, bellicis tormentis & quinquies ingenti agmine erumpens afflixit adeo diſſipavitque aggeſtæ humi partem ut mille quingentis eorum modica ſuorum cæde necatis oppugnationem ad decimum diem protraxerit; tunc enim, apertis jam ariete mœnibus, præſidio Gratianopolim honeſtis conditionibus diſcedere permiſſum eſt, vetito tamen per reliquam æſtatem arma ferre; hac lege ſoluto ſolùm honoris cauſa Larræo præfecto. Magna ibi frumenti vis, quæ Pinarolium deportanda erat, inventa. Capto Ebreduno variatum ſententiis eſt, qua parte Fœderati bellum urgerent. Allobrogum Duci præ ceteris Brigantium nobile emporium & Queiraſum (quam arcem Scombergius, quippe qui machinis imparatus, fruſtra in itinere cum ſuo Calvinianorum globo pertentaverat) in ditionem redigenda videbantur. Primum illud, ajebat, bellicæ artis eſſe iis, qui imperium in hoſtile ſolum propagare velint, tuto aliquo in loco ſigna ſtatuere,

Ebredunum Fœderati vallo cingunt.

In deditionem accipiunt.

Fœderatorum ſupremi duces inter ſe ſententiis diſcrepant.

re, ubi ſit in adverſa fortuna a tergo receptus, 1691.
& per hyemem ſecuritas ad reſpirandum expectandumque idoneum renovando bello anni tempus. Qua diſciplina, ſi unquam aliàs, modò ipſis utendum, exiſtimare, quibus mox aſperrimum Cœlum, & impeditum ſaltubus iter, nivibus alpes, intercluſuræ ſint; & ſi viam in Italiam repetant, deſperandum in Galliam prope reditum; hoſtibus obito periculo admonitis, ubi & quo pacto levi negotio cavere debeant. Quòd ſi uſpiam in Gallia ſedes locanda ſit, quid Brigantio Queiraſoque opportunius? munitis ad clauſtra montium oppidis, eoque jacentibus agro, unde miles ali queat. Iis autem in poteſtatem ſubactis, fore ut ſpes excitandæ ſeditionis reviveſcat; ad quam non vanis Myſtagogorum clamoribus ſed aliquo facinore, quo dubii illiciantur animi, ſternendum iter. Hæc eadem Schombergio ſententia erat. Verùm Leganeſio & Capraræ aliter viſum. Non enim, dicere, agitari modò conſiliis, quid ex arte militari ſit, ſed quid occaſio ferat ac geri liceat. Æſtatem in exitu eſſe, cui per id locorum ſævam hyemem, non autumnum ſuccedere. Adhuc idcirco ſub dio parùm exercitum durare poſſe; nec parvi eſſe temporis, duo illa expugnare præſidia, dudum egregie ſuppleta, ſitu inſuper ac munitionibus protecta; quibus præſertim faciant ad obſiſtendum animos in-

Allobrox Brigantium, Queiraſumque tentandum ſuadet, ſed fruſtra.

Quæ Leganeſio & Capraræ ſententia fuerit.

1692. invictam, certiſſimamque brevi allatura opem, aeris intemperies atque intolerandus oppugnatoribus cœli rigor. Quæ quamvis magnanimo contemptu nihil pendenda forent, quis illud non ducat plurimi; ſubitario milite ac properantibus undique legionibus augeri quotidie Catinatii exercitum; & qui hactenus exigua manu circumcurſando per juga montium non uno incommodo nos affecit, mox pari & forſitan majori numero pugnam provocaturum; ſeu, quod magis timendum, nullo ſuo diſcrimine & noſtrum maximo inſidentem anguſtos ſaltus nos veluti clauſtris concluſos in poteſtate habiturum? Spe civilis tumultus, ac freti Hiſpanienſi claſſe viam in Galliam ſuſcepimus. Advenientibus nemo popularium acceſſit; nihil turbarum auditum, dum minori periculo moveri poterant. An putamus, ubi ſit certa ceſſantibus pernicies, commotum iri? Claſſem verò ad navigandum paratam nondum eſſe. Quid ni ergo mutatis rebus non mutandum conſilium ſit? eòque vertendum, ut illata quà latius poſſit vaſtitate ancipitem hanc gentem doceamus ærumna ſua, cùm id noluerit beneficio; quid in adductis copiis momenti fuerit. Rem ita gerendam Victorius Amadeus haud quaquam aſſentiebatur pudore, quòd tanto apparatu nil aliud conſequuti fuiſſent quàm prædonum more tantiſper diſcurriſſe hoſtile

1692.

Caprara licèt diſsentiente Sabaudiæ Duce, vincit.

ſtile ſolum; nec tacebat, omnem ita turbandarum in Gallia rerum abijci ſpem; quieturis in poſterum provincialium animis, ſin minus Regis metu, odio Fœderatorum. At nihil evicit, perhibente Caprara, ſe juſſum a Cæſare, obſecundare ac favere Gallicæ expeditioni, ſed ita ut ſuas legiones haud temere in diſcrimen daret. Senſit Princeps, imperium in potentiores ludicrum eſſe, ac ſuam ad alienam voluntatem inflexit. Quare munito Druentiæ tranſitu atque impeditioribus a tergo ſaltubus præſidio inſeſſis, Vapinum, quod in proximo erat, exercitum ducit. Cives diſceſſerant, & flamma tectis inijcitur. Inde ſigna Seguſteronem promovebantur; ſed curſum intercepit undique perſonans armorum ſtrepitus, ac Principis valetudo, quæ vehementer variolis tentari cœpit. Ebredunum regreſſus non ſine ingenti periculo cum morbo conflictatus eſt. Quiete remediiſque ac ſolicita regiæ uxoris cura, quæ ſtatim ad morbi nuncium ex Aula eò raptim accurrerat, recreatus, tandem convaluit. Mox ubi pati viam potuit, ſuperatis alpibus Cuneum nec ita multò poſt Auguſtam Taurinorum ſuos ad penates rediit. Exercitus circumpoſitam Delphinatus regionem ferro atque igne ſæviſſime depopulatus, immemor tributi, quo provinciales ab ea calamitate ſe redemerant; laceratis quoque nitrati vi pulveris Ebreduni mœnibus, inde-

Vaſtitas propinquis oppidis illata.

Vict. Amadæus Dux Ebreduni ægrotat.

Morbo recreatus Auguſtam Taurinorum redit.

Et Fœderatorum exercitus in Italiam nullo ab Gallis damno, quamquam multo milite ſuppletis.

1692. indeque aſportatis æneis octo machinis, in Italiam remigravit adeo ſagaciter ut nullum acceperit a Catinatio damnum. Is principio Genebra in monte cum magna militum parte ſe continuerat, unde expeditior quaquaverſum diſcurſus ad ferendam opem. Illinc Seguſium duabus immiſſis legionibus, ab eo tentando Palſium dimoverat, munieratque præſidiis, quæ magis hoſti patebant, nobiliora oppida. Dein facto peditum quatuor millium globo, quà per arduos ſaltus, quà per inſidioſa loca imminens Fœderatorum copiis, minores intra fines eorum licentiam cohibere ſtuduit. Demum ſupervenientibus in dies novis legionibus, juſto exercitu jam validus in æquum deſcenderat, quidpiam auſurus. At illi celerius movere ſigna aggreſſi, diſcrimen anteverterant. Utrinque fatigatus tot itineribus miles, maturius quàm ferret anni tempus, hiberna cœpit. Fœderatorum, qui Allobrogum Duci atque Hiſpano prætori merebant, ſuas in urbes regioneſque; Germani acerbiſſima complurium provinciæ Principum querela aliò atque aliò traducti; quatuor fere millia in Parmenſem tractum, totidem in Mutinenſem; Duce tantum onus, quod ſuam gentem perditurum diceret, obſirmate adeo recuſante ut nonniſi adventantibus decem legionibus, quæ atrociora minitabantur, illud ſubjerit. A Magno Hetruriæ Duce & a Lucenſium

Utrique hyematum pergunt, & quò.

Re-

Republica non modicum expreſſum argentum. 1692.
A Genuenſium Senatu, quantum ſibi indictum fuerat ingenti ſumma, non prius numeratum quàm privata ſuorum civium pecunia ex Hiſpanis Italiæ vectigalibus retenta pignore. Duriùs actum cum Mantuæ Regulo, duodecim haud minus armatorum millibus in Mantuano & in Monte Ferrato provinciis hyemare juſſis. Additum atrocius vulnus, traducto in Vincentii Gonzagæ poteſtatem Vaſtallenſi orá, quam prius Cæſar Mantuæ Duci, ejus uxoris nomine, adjudicaverat. Sub autumnum claſſis Hiſpana, ſerum auxilium, in Italiam ſolvit. Sexdecim collegerant bellicas naves treſque incendiarias, quinqueremes duodeviginti. Harum imperium Bertrandus Guevara; illarum Petrus Corbetta gerebat, Papachino ſupremo duce. Tribus hominum millibus in Finalium expoſitis, Genuam progreſſæ portum præter incendiarias intrarunt, inſcio Senatu. Mox cùm ex ejus querelis ſuſpectam ibi moram traherent, Neapolim navigarunt. Eas Gallicum navium agmen, quod idcirco ab oceano illuc adduxerat Eſtræi Comes, ſubſequutum eſt. Caſu an conſilio neutra claſſis alteri occurrit, nec diu fuit quin oſtentatis tantùm viribus ad ſua unaquælibet litora appetente jam hyeme remearit. Arma hoc anno per Hiſpaniam prope ſiluere; ſemel auſa Hiſpanienſium manu ad Porteli col-

Vaſtalla Mantuæ Duci eripitur, ac Vincentio Gonzagæ traditur.

Claſſis Hiſpana in Italiam navigat nullo ſucceſſu.

Nihil hoc anno in Hiſpania armis geſtum.

1692. lem tentare irrito eventu hoſtium præſidium; & his longe numero imparibus (Hiſpanus exercitus undecim peditum, tribus conſtabat equitum millibus) nunquam extra munitiones per id æſtatis in aciem egreſſis. Reliqua pars belli erat ad Rhenum, ubi plus diſcordibus hoſtium ſententiis ac ſua Galli ſagacitate quàm armis valuerunt. Prima inter Principes, qui milites ad conflandum illic exercitum Germanica lege dabant, de ſupremo creando armorum præfecto contentio fuerat, tacite abnuente Cæſare Miſnienſi Octoviro continuare imperium; ſuſpecta, ut mox narrabitur, Comitis Scoeningii fide, qui primas rei bellicæ apud eum gerebat. Cùm de uno aliquo eligendo non conveniſſent, in eam itum ſententiam eſt ut ſociorum quilibet cum ſuis copiis, bipartito exercitu, ad Haſſiæ Caſſellenſis Lantgravium Marchionemque Baraiti e ſuprema Brandeburgenſium familia convenirent. Hi deinde diviſi aut conjuncti, prout res poſtularet & communi ducum ſuffragiis decerneretur, ſigna in hoſtem inferrent. Milites ad ſex ac triginta millia, pars major e ſociali Germanico fœdere, cis tranſque Nicrum amnem prope Heidelbergam convenerant. Tribus millibus unumquodlibet Suevorum, Miſnienſium, Bojoariorum conſtabat agmen. Mille & quingentos miſerat Luneburgenſium Dux. Decem millia Lantgravius

Parum quoque ad Rhenum.

Et quamobrem.

1692.

vius adduxerat, quatuor Virtembergenſis; duodecim Suevia Franconiaque provinciæ collegerant. Sex alia Miſnienſium millia iter ad exercitum arripuerant, cùm repente non has tantùm legiones, ſed quot jam dederat ſuæ gentis, Octovir juſſit domum redire, Cæſari præter modum iratus, quod Comitem Scoeningium, dum ad Bojoemas Dublitii thermas valetudinis cauſa diverſabatur, tribus armatorum centuriis circumventa domo effractiſque foribus abſtractum, Spielbergæ in Sileſiæ arce concludi juſſerat, negabatque libertati reſtituere pernicioſum infeſtumque Germaniæ virum, qui Gallica emptus pecunia ab communi cauſa Octovirum abalienaſſet atque atrociora meditari ſuſpicio foret, haud inaniter, ut fama tulit, commota. Nihilo ſecius Octovir exulcerato animo injuriam condidit; milites autem lege debitos, mutata ſententia, perſiſtere ad exercitum juſſit. Hæc inter diſſidia ſero auxiliares, & poſtquam æſtas incœpiſſet, ad ſigna venerant. Habito de re gerenda conſilio, cùm non minus animis quàm ſententiis diſſiderent, ſtatuunt Lantgravium legionum partem Rhenum traducere, quicquid e re ſibi videretur, geſturum. Cum reliquis Baraiti Margravium citeriori provinciæ, ſi forte hoſtis irrumperet, præſidio eſſe. Ille ſuperato amne circa Moguntiam, flectit Vormaciam ſigna. Tres eam urbem

Fæderatorum illic exercitus unde collectus.

Octovir Miſnienſis Cæſari iratus.

Ob Scoeningiũ in hujus poteſtatem abſtractum.

Fæderati Rhenum traiiciunt.

Vormaciam capiunt.

1692. bem inſederant Gallorum cohortes Pecoſſio protribuno duce, quæ ratæ non omnem adeſſe hoſtium exercitum, ſed aliquot ſolùm præmiſſas ſagittariorum equitum legiones, portas extemplo clauſere. Corona cincti impreſſionem primò retuderunt, mox deditione ſibi conſulere coacti ſunt. Interea Lorgeſius Gallici ductor exercitus, ſtatim ut comperit Germanos Rhenum tranſgreſſos, confeſtim ſigna a Crautzenaco, ubi ſtativa habuerat, in eos movit. Iter & ipſi cum reliquis copiis Vormaciam proſequebantur, cùm tranſmittentes proximum Federſheino rivum Gallus aſſequitur atque e re nata poſtremum agmen, priuſquam traijceret, carpere inſtituit. Tria erant equitum millia, in quos cum equeſtribus quinque legionibus Villarſi Marchio impetum dedit. Dum ſe in frontem circumagunt, atque ad eos expediendos Lippæ Comes, cujus in extrema exercitus parte imperium erat, turmas aliquot eò reducere aggreditur, centum capti, plures cæſi, quos inter Diſtorſus Volsfrandorfuſque tribuni militum, & legionis inſtructor Scopingus. Reliqui in ulteriorem propulſi ripam, ad ſuos retentis ordinibus ſe retulerunt. Acies interfluente rivo utrinque inſtruitur. Neutra tamen illum tranſmittere pugnamque inire auſa. Inde Heppenehimum Lorgeſius, Vormaciam Landgravius retroceſſit. Et is certior redditus, hoſtem

Galli eos inſequuntur.

ſtem magnis e Belgio poſt Namurcum expugnatum ſupplementis ad tricena millia exercitum auxiſſe Moguntiæque minitari ; huic metuens, traducto Rheno, eò celeri gradu per ulteriorem ripam appoſitumque ibi pontem ſe contulit. Galli ſua ſpe fruſtrati, ſeu quòd ita in animo habuerant, Vormaciam profecti flumen illic tranare meditabantur, Heidelbergam ſurrepturi ; aut ſi res falleret, ex ea regione ſolvendis tributis obſides manubiaſque. Fœderatos quid illi mente agitarent, haudquaquam latuit. Confeſtim Baraiti Marchio, qui ad Viſſelocum oppidum in ſtativis erat, Heidelbergæ legionum robur admovit ; & Landgravius trajecto Mæno amne, ut aditum infeſtum redderet, Rheni ripam ab ea parte inſedit. Dum plures ibi nulla re memorabili geſta traducunt dies, Lorgeſii vires debilitantur, miſſo in Delphinatum ad ſupplendum Catinatii exercitum ingenti globo & alio rurſus in circumjacentem Moſellæ oram, ubi a Brandeburgenſibus metus erat. Tanto proinde magis pudere Germanos otii ſui ac liberis verſare ſermonibus : ſupremorum ducum ambitioſis, ne unus alteri cederet, an diſcordibus animis prodi communem cauſam, quæ conjunctis copiis, cum adeo numero excellerent, aliquo facinore ſublevari poſſet ; cur autem ſibi, veluti imparibus, interpoſito Rheno cavere ab hoſte ; cui ſi congrederentur, extremam perniciem illaturi

1692.

Germani cis Rhenum recedunt.

Regionem muniunt.

Gallorum pars illinc in Delphinatum, & ad Moſellam pergit.

1692. ri forent? His incenſi vocibus ſociorum præfecti Styrumi Comes atque Alexander, qui Virtembergenſe Imperium, cùm nondum fratris filio per ætatem liceret, adminiſtrabat, Landgravium Margraviumque vehementer dictis aggreſſi, tandem expugnant ut faciles ad aliorum ſententiam accommodent judicium ſuum. Re conventa injectoque ad Manheimum ponte, Rhenum traijciunt, diſſipata Gallorum cohorte captaque tumultuaria munitione cum quatuor campeſtribus machinis, unde ripam tranſcendere vetabantur. Ab læva Spiram progreſſis, quam ruinis invalidam ſed aperientem ad hoſtes iter firmarent præſidio, fit obviam in ipſa ſtrage murorum Feuquiereſi Marchio, vix in tempore cum bis mille ſeptingentis peditibus urbem ingreſſus. Pugna illic exoritur, ſed longe diſpari conditione, Germanis aperto corpore ſe ſe inferentibus, dum Galli ponè dirutos muros jacularentur. Verùm adeo Germani perrumpere conabantur ut Lorgeſius majoreſque duces facta militum manu, ne ſui remitterent animos, eò ſtatim ad illos reprimendos perrexerint. Interea Villarſius ab læva oppidi magna peditum parte obſeſſerat ripam præterfluentis amnis, illuc ſi fortè verterent hoſtes impetum. Quamquam commiſſi hactenus prælii fatis habuerunt; experti quingentum ſuorum cæde, cùm ex adverſo non plus quinquaginta cecidiſſent,

Germani rurſus Rhenum tranant.

Aliquot Gallorum cohortes Spiræ ſe concludunt.

In quas Germani irrumpunt.

ſent, Gallos tuto nimiùm loco ſe concluſiſſe. Rurſus igitur dividere copias, e re magis viſum eſt. Pars Landgravium ſequuta Eberemburgum petit, eo capto expeditura ſibi prope Moſellam opportunum ad hiberna locum. Pars cum Margravio ad pontem receſſit, quo Rhenum tranſmiſerant, ſuum ex hoſtium conſilio moderatura. Nam illinc ad Sueviæ tutelam promptus aditus, in eam ſi Galli flumen tranſgreſſi arma ferrent; & ſi Eberemburgo auxiliatum irent, breve ſibi ad Landgravium iter. Pari Lorgeſius arte veſtigiis proſequitur Margravii exercitum, ratus, ab oppugnando Eberemburgo Landgravium ita diſtractum iri, ne ſolus alter periculoſam pugnæ aleam ſubiret. Et ille quidem ſæpius a Margravio oratus ſuſtinuit gradum. Mox cùm videret Gallos non ultra progredi & aliud, quàm morari hoſtem, non ſibi in animo propoſuiſſe, pergit copias Eberemburgum ducere. Nec mora, hunc iterum ad Germaniæ diſcrimen revocaturus, Lorgeſius Philippoburgum, unde Rhenum traduceret, inflectit ſigna. Landgravius, turpe ducens hac illac ex hoſtium arbitrio e via deduci, iter, quò tendebat, proſequitur; ſpe, aut illos amnem non trangreſſuros, aut, ſi trangredi vellent, a collega repulſum iri. Is enimvero poſtquam novit Gallos in ulteriorem ripam trajeciſſe, Virtembergenſium Ducem cum ala quatuor equi-

1692.

Receduntque cum aliqua ſuarum cæde.

Vterque exercitus alterum morari atque eludere ſtudet.

1692\. tum millium, qui ſuperato ad Manhemium Rheno ſuæ ditionis oram tueretur, præmiſit; ipſe deinde reliquas traduxit copias, data teſſera ad Epingum iterum conventuros. Eò Virtembergenſis pervenerat, cùm nuntius affertur, Gallos Brettenum, ubi centum quinquagenum cohors præſidio erat, in deditionem accepiſſe indeque libere populari. Extemplo ſe propius admovit, Haidelsheimum profectus, ut eos tamdiu refrænaret quoad Margravius cum exercitu adveniſſet. Ibi negligenter ſolutaque militari diſciplina (quippe renuntiatum fuerat, hoſtes prædabundos Phorzeimum versùs deſcendiſſe) ſomno & commeſſationibus indulgentes diverſabantur. Rem per exploratores compertam Lorgeſius haud contemnendam arbitratus, peditatu circa Phortzeimum, quod illico deditionem fecerat, relicto, equitatum omnem ſilentio ad eos adduxit. Nebula ad multum diei lucem atra caligine premens conſpectum longius adimebat; qua latebra tecti ad Germanorum ſtationem, ſegniter agentium vigilias, inopinati ſuccedunt & vix non occulti. Illi, ut in ſubita re, timide ſe ſe expedire, non imperio præbere aures; unum metum, qui cuncta confunderet, audire. Pars equos infrænat, pars in aciem ſe dirigit, complures apparant fugam. Interea Galli conſerunt pugnam, obnitentes obtruncant, nondum inſtructis ſe circum-

Virtembergenſis clam ſubrepentibus Gallis captivus Pariſios ducitur.

cumfundunt, brevi momento agmen diſſipant. 1692.
Plus mille neci dati, quingenti capti, reliqui effuſo curſu periculo ſe ſubripiunt. Cumulus victoriæ additus, in poteſtatem redactis Soyeri Comite aliiſque minoribus præfectis, maxime verò Virtembergenſium Duce, qui Verſalias traductus, a magnanimo Rege Ludovico non ut captiuus ſed ut hoſpes habitus. Audita ſuorum clade Margravius trans Nicrum pedem referre exercitum jubet; firmatiſque valido præſidio Heidelberga Hailbrunaque, eidem adhærentibus fluvio, ipſe, qua parte ad orientem humiliori fluit alueo, ulteriorem inſedit ripam, intactam illam Germaniæ oram a præda, quoad liceret, prohibiturus. Non enim repellendo penitus hoſti, eò ſi verteret ſigna, tanti erat, extenuato exercitu non clade ſolùm & fuga militum, ſed intempeſtive per eos dies a Suevis auxiliaribus capto commeatu; cùm ſe Landgravii ambitione, qui ſeorſum agere cum copiarum parte obſtinate voluerat, deterioris famæ diſcrimini ex infelici rerum eventu objectum videret; non obſcure, ni ſtatim ille ſuppetias mitteret, imperium ſe abdicaturum minitabatur. Aderat ibi Guſtavus Hohenloi Comes, quem ſibi ad Rhenanum exercitum legaverat Cæſar, ſuſpicatus diſcordes diſſimileſque animis ſupremos duces, niſi officiis ac dexteritate colligarentur, magna reipublicæ vulnera impoſituros. Is ad Landgra-

Ab Ludovico Rege ut hoſpes habitus.

Margravius, & Landgravius inter ſe copias partiuntur.

Infauſto conſilio, quod Cæſaris Legatus emendare annititur.

 vium

1692. vium profectus valuit adeo ut quatuor peditum & pari numero equitum legiones Collegæ mittendas obtinuerit, quamquam ille, ita debilitatis viribus, Eberemburgum oppugnanti ſibi male cautum videret. Nec falſa erat opinio. Oppidum quadringentis armatis tuebatur Boiſius tribunus militum, qui ad deditionem vocatus, ferox reſponſum dederat, dictaque factis æquabat, dilacerato quotidie hoſte atque obſidionali vallo eminus capultis, cominus conſerta manu. Itaque præter ſpem decem præteriere dies priuſquam vineæ ad foſſæ labrum admotæ forent; nec ſatis adhuc ariete, quà daretur aggredientibus iter, decuſſa mœnia. Inter hæc Lorgeſius depopulatus cis Nicrum Virtembergenſem regionem, relataque a civibus, ne atrocius ſæviret, ingenti pecunia, rurſus Rhenum traduxit, oppido, cùm inopinato ſe tenuiſſet, opem laturus. Quod ubi Landgravio alius ſuper alium attulit nuntius, celeriter vaſa colligi ac ſolvi obſidionem juſſit, manualibus majoribuſque flammiferis ollis igne, quo diſcerperentur, injecto ne tranſuectionis difficultate moram facerent; tranſmiſitque Rhenum prope Moguntiam, nullo accepto ab Gallis de via feſſis impedimento. Inde in hiberna diſceſſum, quæ ab utriſque, interjacente flumine, in proximo capta; veritis invicem, ſi quidpiam remitteret cœli intemperies, non otio hyemem tranſactum iri.

Germani Eberemburgum oppugnant lento progreſſu.

Fruſtraque tentatum deſerunt.

Utrinque in hiberna procedūt.

Finis Libri Noni.

Li-

Liber Decimus.

DUM ita inter Chriſtianos Principes bellum geritur, Turcicum, minori licèt hoc anno patratum ſtrepitu, non reſedit. Cæſar poſtquam cognovit, Achmetem Regem Purpuratoſque injecta pacis mentione tempus trahere, non rem seriò gerendam ſuſcepiſſe, fœderis feriendi ſermonem non interrupit; omni autem ſtudio ad militares curas intendit animum; Polonos Venetoſque obteſtatus, ut extremo conatu ſecum urgerent communem hoſtem, nunquam ab armis diſceſſurum quouſque illum quidpiam maneret virium; & ſi ſe confirmaret, deſæviturum eò vehementius, quò præ ceteris calamitas irritat fœlicitatem expertos; iiſque acceptæ odium injuriæ, doloris pudoriſque monitu, nunquam deletur. Hungaricum exercitum collecto undique officiis aut pecu-

Cæſar ad urgendum Turcium bellum Fœderatos hortatur.

1692. cunia ſociali milite ſupplere aggreditur. Sed cùm auxiliares longius educti eò adulta ſolùm æſtate convenire poſſent, interim Varadinum admotis operibus (nam ex hyemali periturum obſidione ſpes decedebat) ſolicitandum ad deditionem ſtatuit. Magni quidem intererat, arcem munitiſſimam, ſeditionis incitamentum perduellibus Hungaris dubiiſque Tranſylvanis, e medio tollere. Heuſlerius prolegato, quem Tehelii captivum, reddita huic tandem Aurora conjuge, dudum Cæſar in libertatem vindicaverat, aliquot legionibus aucto eo militum globo, qui per hyemem illinc commeatus excluſerat, oppidum ineunte majo urgere cœpit. Duplex ad duo propugnacula ducebatur agger opere non incruento nec facili; oppidanorum incurſu, qui vix non quotidie frequentes erumpebant, ſæpius oblitus molientium ſanguine nec parum dilaceratus. Productus denique ad foſſæ marginem; inductæque machinæ oppoſita quaſſabant mœnia, pyrolmi interiorem edebant ſtragem, nullo tamen civium tumultu, quos tacitos continebant prætoris ac præfecti Janizarorum ferocia, factaque adventantis auxilii ſpes. Hæc neutiquam falſa erat. Nam Turcæ, cùm imparati adhuc prælio congredi nequirent, Jeni propinquo in oppido quinque contraxerant armatorum millia, qui noctu per intervalla munitionum (non enim continuo val-

Varadinum vi domari jubet.

Ei adducto vallo vis infertur.

Turcæ obſeſſis auxilium parant.

vallo copulabantur) ſe ſe immitterent in obſeſſam urbem. Rem per antecurſores compertam Heuſlerius cavit, eò celeriter traductis aliquot legionibus, quæ hoſtem conſerta pugna retunderent diſſiparentque. Is ubi ſuum nudatum conſilium novit, ſe retulit priuſquam adventanti occurreret. Inter hæc Germani, qui fruſtra faſcibus foſſam complere conati fuerant (flamma ex alto immiſſa torridam vorante identidem materiam, quæ ſummo ſtudio congerebatur) everſo nitrati vi pulveris objecto prope muros aggere, viam ſibi ad oppoſiti propugnaculi frontem æquaverant, jamque decuſſis mœnibus ad tranſiliendas ruinas audacter vadebant; cùm prætor propoſito deditionis ſigno poſuit denique feroces animos. Facilè in eas conditiones conventum eſt, ut oppidum cum tribus circumpoſitis caſtellis, quæ adhuc Turcarum præſidio detinebantur, in Cæſaris poteſtatem traderet. Sibi militibuſque (fuere ad duo millia) & quibus id voluntatis eſſet, Juliam abeundi convecta ſecum, quanta liceret humeris, re familiari facultas eſſet. In oppido repertæ ſeptem ac ſeptuaginta majores machinæ, bellici apparatus, ac præter opinionem, frumenti ad longam quoque obſidionem ſatis. Deditis parum ſervata fides. Fœminæ puerique dimiſſi, reliquis indicta ſervitus ni viciſſim Tybiſci & Peſcabaræ præſidia in libertatem reſtitue-

1692.

Infeſtare.

Oppidum deditur Germanis, & quibus conditionibus.

Parum Turcis promiſſorum fides ſervatur, & quare.

1692. tuerentur; quorum alteri ſuperiore anno, alteri per hos ipſos dies in deditionem acceptis, Turcæ violata promiſſi lege vincula injeciſſe redarguebantur. Peſcabaræ inditum rupi nomen eſt, quæ Danubium duodecim, priuſquam ſubeat Orſovam, paſſuum millibus inter anguſtas cohibet ripas rapidiſſimoque cogit ire amne. Immanis ibi ſpelunca eſt, ore in fluvium converſo, ac tuta inſidiantibus latebra. Hanc Antonius quidam protribuno Araviſcorum, qui ea incolunt loca, ductor Veteranio poſt amiſſam Orſovæ appoſitam inſulam indicaverat, impediendæ navigationi quammaxime idoneam; & ille ſubitariis operibus, trecentis armatis, curulibuſque tribus tormentis munierat locum infeſtum jam inde Turcarum ratibus, quibus commeatus & rem militarem Albam græcam tranſvehere interdictum erat; &, ſi quæ per hyemem tranſgredi auſæ fuerant, haudquaquam impunè tulerant, catapultarum ictu depreſſæ laceratæque. Thraces incommodo admoniti, levibus non ſemel præliis illinc pellere Germanos tentaverant inani eventu; & Veteranius, quanti locus momenti eſſet, expertus, præſidium ad ſeptingentos auxerat. Eò ſub Veris initium pervenerat Halius prætor; qui facto promovendarum navium periculo, cùm ſe celeri curſu tormentorum jaculis, rapiente in adverſum aquarum vi, ſubripere non potuiſſet, inhibere at-

Peſcabaræ rupes & antrum deſcribitur.

Quanti momenti foret.

atque Orſovam regredi coactus fuerat. Obitum diſcrimen ac ſæpius deinceps obeundum (nam Hungarico bello explicatus cymbis Danubius Turcis opus erat) ſecum cogitantem ſubiit propoſitum illuc vertendi claſſicas vires ac paullum in deijciendis ex infenſa adeo ſtatione Germanis immorandi. Non enim eo præſidio rupes iiſque munitionibus firma erat, ut diu obſiſtere oppugnatoribus poſſe videretur. Duobus armatorum millibus, aliquo etiam tormentorum apparatu in terram expoſitis illuc pergit. Et primò diruere obiectum vallum; antro deinde, ne quà pateret exitus, militem circumfundere; hoſtem denique intra illud propellere. His peragendis quidpiam abſumptum virium nec parum temporis. Nam præſidiarii haud faciles nec inulti cedebant, operiebantque cadaveribus ſolum, quà danda via perrumpentibus erat, non ſine tamen ſuorum clade. Ubi ſe tandem cavea concluſos vident, opem oratum mittunt ad Veteranium; qua ferenda, cupido licèt, abſtinendum ei fuit. Quippe ſi levis, non ſuffeciſſet; & ſi plurima, Transylvaniæ periculum, cujus prope fines aliquot Turcarum legiones perduelliumque diverſabantur, in aperto erat. Quamobrem illi, cùm ceterùm durare diu multumque nequirent, auxilii ſpe deſtituti hoſti renuntiant, nulla ſi liceat injuria, ſe diſceſſuros. Abditum intrare locum metuenti ac mo-

1692.

Turcæ illam ſuperare aggrediuntur.

Obtinentque, fractis deinde deditionis conditionibus.

1692. moræ pertæſo placuit dictum; quod etiam pacto firmatum non tamen tenuit. Abeuntibus illata vincula, nec prius ſoluta quàm pari Varadinienſibus reddita vice; atque ita jus, ut non raro, quia mutuo violari poterat, valuit. Rebus ſic expeditis ad belli ſummam, quid admoto invicem exercitu geſturi forent, magna erat hominum expectatio. Quamquam jam æſtas proceſſerat; plurimumque adhuc inter ſe diſtabant, colligendis copiis occupati, Thraces ad Albam græcam, Germani ad Murſam. Etenim Cæſari longius accerſenda fuerant auxilia, nec priuſquam appeteret autumnus, Dravum amnem ad conveniendum trajecerant ſex Brunſuicenſium millia, quatuor Monaſterienſium, duo Danorum, & pari numero miſſi ab Octoviro Bojoario, totidemque Hibernorum a Vilhelmo Rege, quos dedititios utiliorem procul a patria navaturos operam reputaverat: firmiore, ubi nulla mutandæ occaſio, ipſorum fide. Turcis alia ſteterat cunctandi cauſa. Halius Viſirius ad moderandum imperium ſenecta invalidus, ſed cupidus retinendi, cùm illud bonis artibus non poſſet, ſubmotis quotquot tantæ molis capaces conſilio ac ſtrenuitate præcellerent, ſibi tuendum aſſumpſerat. Quocirca intra paucos initi magiſtratus menſes, varia cauſatus, neci dederat prope quingentos civili aut militari præfectura illuſtres. Nemo non oderat

Serò utriuſque partis exercitus ex hibernis diſcedunt, & quam ob cauſam.

Halii Viſirii doloſa crudelitas.

rat abutentem ad privatum ſcelus publica au- 1692.
ctoritate, dolebatque unius furiali ambitione rempublicam peſſum ire. Non tamen audebat ulcus Regi detegere, clauſo omnium conſiliis, ex illaque feritate facilè Viſirii erga ſe fidem, quaſi noxia decuteret capita, reputanti. Verùm augeſcente in dies fremitu lamentantium ereptos ſibi conjuges, parentes, fratres, mox in tumultum evaſuro, plures Aulicorum, quibus diuturnius ſilentium crimini verti poterat, Regi tandem, quid impenderet mali & unde originem duceret, aperuere. Achmetes jam antea expertus, multitudinem vehementius furere, niſi cedendo ejus leniter excipias impetum, Halium abdicare ſe magiſtratu ac Rhodum ire in exilium juſſit. In ejus locum ſuffectus Halius alter Meſopotamiæ prætor, quem pariter per eos dies mactandum mandaverat exauthoratus Viſirius, novam ſuſpicioni ſuæ victimam. Sed antevertit citatiſſimis equis ferales literas nuntius delatæ ipſi a Rège dignitatis. Lætus ille mutata ſorte confeſtim in Aulam proceſſit, non prius autem quadraginta dierum emenſus iter quàm Vere adulto. Primùm ad interiores curas appulit animum, æmulo interempto pulſiſque Sacrorum prætorianæque militiæ præfectis Muphtio ac Janizarcho, quos ei noverat familiariſſimos, aliiſque cooptatis qui, quæ ipſe, ſentirent ſuarumque penitus

Regi tandem detecta.

Punitur.

Turcæ propendent ad bellum producendum.

 tus

1692. tus eſſent partium. Deinde ad rempublicam ſe convertit. Utile ei quoque, bellum producere, videbatur. Non enim Germanos, Gallorum incurſu debilitatos, diu ad utrumque bellum duraturos. In eamdem ſententiam libere ac palam loquebantur Sulficarus & Maurocordatus legatione functi apud Cæſarem, quibus enixe abeundi veniam poſtulantibus, poſtquam plures menſes negata, data denique fuerat, medioque Vere Albam græcam pervenerant. Non tamen de tanti momenti negotio Viſirius abſque Purpuratorum conſilio (ut ſunt cauta, quin etiam timida magiſtratuum initia) ſe uno auctore decidi, ſibi tutum exiſtimavit. Ii ſententiam rogati leniter diſcreparunt, Viſirii dictum tacitamque voluntatem ſequuti; moderante plerumque ceterorum conſilia potentioris deſiderio, quod quiſque venari annititur. Itaque Halius arma diutius periclitanda pronuntiavit; ſimulandum ſimul ſtatuit pacis ſtudium ad conſopiendos hoſtes, ne aliquid audendo turbaret ejuſdem quæſitæ ſpem; cùm præſertim ſibi hoc anno ad prodeundum in aciem vires non ſuppeterent, ac ſatis foret, ſi tyronem militem aſſueſceret hoſti melioremqne uſu redderet. Rebus hoc pacto compoſitis deliberatiſque, ſeneſcente jam æſtate Albam græcam præmiſſo exercitu venit. Ad ſexaginta hominum millia, in his ſexdecim prætorianorum collegerat;

Inſtigantibus Sulficaro, & Maurocordato legatione apud Cæſarem functis

Decernuntque, ſimulato pacis deſiderio ad conſopiendos hoſtes.

rat; Scythatum præterea quidpiam Tehelio attribuit, quibus aucto ſuorum agmine Tranſylvaniæ immineret, eòque averteret Veteranii copias diſtraheretque hoſtium partem. Germani ad quadraginta millia præter aliquot Hungaricas cohortes ſerò Murſæ convenerant; quò pariter Ludovicus Badenſium Princeps vix ſub æſtatis exitum iter ſuſceperat. Diſcedenti Cæſar, remotis arbitris, ſedulò mandàverat ne milites in incertæ pugnæ diſcrimen daret. Meminiſſet, ſe glorioſam ſuperiori anno victoriam de Barbaris reportaſſe, verùm adeo funeſtam ob legiones maxima cæde miſere labefactatas, ut ejus prope pœnitendum eſſet. Nunc ſervandis viribus melius publicæ ſaluti conſultum iri. Nam audaciora conſilia extremæ in utramque partem fortunæ conſentanea eſſe; mediocri, nonniſi cauta. His coercitus monitis, Murſam profeſectus ſigna movit, aditoque Petri Varadino, caſtra ibi metatus eſt; nec ultra progreſſus falſenſque expectati alicujus facinoris famam, vallo ſe communivit, Turcarum vim, ſi fortè irruerent, eluſurus. At hi pariter circa Albam græcam per reliquum autumni tempus otioſi ſteterunt, victu reficiendis intenti, quæ adhuc pauca ſupererant, ſuperioris Hungariæ oppidis; dum interim Badenſis Petri Varadini arcem veteribus inſtauratis noviſque excitatis operibus complecteretur, nullo utrinque ad ea, quæ ſibi pro-

1692.

Badenſi Cæſar ſervandum militem mandat.

Quocirca otio æſtas traducta.

1692. propoſuerant, impedimento. Nec fluviatiales claſſes, magno conatu pecuniaque invicem comparatæ, licèt e ſtationibus nonnunquam progreſſæ, in aciem prodiere. Quieſcentibus armis, vulgò increbreſcebat rumor, pacem brevi compoſitum iri;

Pacis reconciliandæ rumor inceſſit.

quem per ſuam vagari gentem Viſirius lætabatur, ita lenientem belli ægritudines, ejuſque ferentem incommoda æquiore animo, ut citò deſitura. Et Cæſar eò lubentius audiebat, hanc apud Turcas foveri opinionem, quò rei componendæ ſermonem ſuperbe contemnere viſi fuerant jam antea a Vilhelmo Rege inſtitutum. At plura caſu evenerant, quæ Thracibus priſtinam arrogantiam reddiderant ac feroces animos. Principio haud invitus Cæſar annuerat, mortuo Huſſejo, Britannico apud Achmetem legato,

Quam Cæſar proponendam annuerat, ſed honeſtis conditionibus.

Vilhelmum Herbertum ſucceſſorem colloquium urgere, quod ille incœperat de finiendo bello, Regemque ſuum conſtituendæ pacis ſequeſtrem iterum exhibere. Verùm & ipſo Herberto, vixdum Albæ græcæ cum Viſirio congreſſus fuerat, e vivis erepto, reputaverat fore apud Turcas (nec vana erat opinio) timidæ argumentum ſolicitudinis datum illico Hemſkerkio Viennæ Batavorum legato negotium, ut nulla mora ad Viſirium pergeret, intermiſſa pacis colloqnia inſtauraturus; præſertim cum paucos poſt dies Vilhelmum Pagetum, ut in id vehementius incumberet, Vilhelmus Rex eò pa-

iterr

riter maximis itineribus ire voluiſſet. Utrique Cæſar ſuo & Fœderatorum nomine, quæ ſe ſe ad extremum ſententia maneret, & quas primò proponi cuperent, quas poſtremò, ſi non aliter poſſet, accepturi forent pacis conditiones, ægro quidem, nam intempeſtivum rei gerendæ tempus arbitrabatur, ſed prompto ac facili animo credidit; veritus ne ſi, cunctando, Vilhelmi Regis propoſitum retardaret, ejus ab ſe voluntatem abalienaret, quam noſſet Gallici belli moderatricem, & unde ſociorum fortuna pendere plurimùm videretur. Viſirium Hemſkerkius Albæ græcæ convenit candidaque ſimplicitate, quas faciliores ferret redintegrandæ amicitiæ conditiones non gradatim diſcuſſa re, ſtatim aperuit. Ille nactus hominem percommodum conſilio, quod jamdiu animo volutabat, ſibi ut Adrianopoli apud Regem præſtò eſſet, admonuit. Quod ubi Pageto cognitum, metu ne tantum opus ſe abſente conficeretur, confectique gloria in alterum prorſus verteret, accelerata quammaxime potuit via illuc ſub idem prope, quo Hemskerkius, tempus advenit; eam celeritatem, aliorumque ſuper alios oratorum diſcurſum irridentibus Barbaris taciteque jactantibus fractam denique hoſtium ferociam expreſſumque neceſſitate renovandi fœderis deſiderium. Confeſtim a Viſirio in Purpuratorum ſenatum vocati, quæ vellent,

1692.

Quid earum unuſquiſque Federatorum vellet.

Batavorum Legatus rei gerendæ parum expertus a Turcis deluditur.

Itemq. Britannicus Orator.

1692. lent, exponere juſſi ſunt. Vilhelmum Regem, dixere, diuturni miſertum belli, quo cives Othomanici Imperii, plurimùm ſibi ſuiſque Britannis commercii utilitate commendati, conflictarentur, pacis conciliatorem ultro ſe offerre. Nec dubitare quin id gratum habituri ſint, reputantes, nihil in rebus humanis ineſſe boni, ſi deſit quies. Inimicitias mortales eſſe, dummodo ad eas dirimendas faciles afferantur animi, ac mens in futurum potius quàm in præteritum verſa. Hanc mentem Germanis, Polonis, Venetis Vilhelmum indidiſſe; nunc ſciſcitatum miſiſſe an eadem Turcas maneat. Viſirius, parem in Achmete non deſideraturos præfatus, legatos impulit ut dicendis conditionibus, quibus otium haberi poſſet, compendium facerent. Dictæ primùm, quæ graviores erant (hæ ſuperius memoratæ ſunt), cùm Halius aſtu ſe docilem ad paciſcendum ſimularet, atque inde Pagetus arbitraretur (fortaſſe ignarus, quas Hemskerkius ingenii ſimplicitate protuliſſet), ubi ad æquiores deſcenſum foret, illum prius duriorum metu conſternatum facilè æquioribus captum iri. At ſecus accidit. Legatis e curia digreſſis, Halius in iram acerrime effuſus conqueſtus eſt: eò tandem Othomanorum potentiam ludibundis hoſtibus adductam videri, ut cujus antea, ab atavis uſque, terrore percellerentur, nunc adeo contemptui ha-

Ipſorum ad Turcicum ſenatum verba.

Viſirii Legatis aſtutum reſponſum.

Ejus ad irritandos ad bellum animos in Senatu concio.

haberent, ut non pauca ſolùm, quæ in poteſtatem redegiſſent, oppida ſed Albam græ- 1692.
gam, dudum ex ipſorum unguibus evulſam, integraſque provincias, quas adhuc ne tentare quidem auſi fuerint, Turcico Imperio Majorum virtute conquiſitas, repetant. An tantam audaciam ferendam eſſe? Et non cuncta potius in diſcrimen adducenda, quàm fæda ignominia, hiſce ſi vellent annuere, invictæ olim Turcarum genti partæque tot nobiliſſimis triumphis gloriæ inuratur? in diſcrimen verò? Excidit caſu formidoloſum verbum, cujus nulla ſe offert dicendi ratio. Quid enim? Quidpiam ne nobis ex immenſo Aſiæ Africæque tractu deceſſit? Quid nobis in Europa per decem annos, quibus hoc bellum viget, e priſtinis regionibus decerptum eſt? Servia, Dacia, Bulgaria, Boſnia, Thracia noſtræ ſunt. Serviunt Achmeti Macedonia, Græcia, Illyrium, Epirus. Ejus auſpicia ſequuntur Ægæi atque Jonii Pamphiliique maris inſulæ. Pulſi nec penitus quidem Hungaria ſumus, Peloponneſo dejecti. Quota iſta ampliſſimi Imperii pars? Quid iſthinc militum delectui, quid vectigalibus atque ærario damni? Contra verò quanta Cæſari Gallici belli moles, quantum detractum virium? Id utique in aperto dudum fuit, ejus exercitu fruſtra, ut in aciem prodiret, laceſſito; qui paullo ante, quid ſibi ſuperandum

1692. proponeret; non quid ſibi propoſuiſſet, ſuperaturus ne foret, ambigebat. Cur igitur abſurdis petitionibus ingraveſcunt, noſque idoneos reputant in quos illudant? niſi freti civium noſtrorum ſocordia ne an torpore, quo vulgò pacem velle perhibentur. Producto bello, ſi me audiat Achmetes, quàm vana illi ducantur opinione, admonendi ſunt; & cùm ſe falſos fuiſſe compererint, cadent animis; nulluſque dubito, ſatis ſuperque habituros, ſi res in priſtinum locum reſtitutas integrandi fœderis pretium ſtatuant. At plebs fraudato ſuo pacis deſiderio tumultuabitur? Primùm: ego ne unquam Regi auctor ſim, ut e vulgi levitate moderandæ reipublicæ conſilium capiat? Fremit ille, ſed pavet; æſtuat, at ſervit. Facilè deinde variat, ſi probe, quid ſit in rem ſuam, inſtruatur. Procul enim cùm non intendat ingenii aciem, præſenti capitur rerum ſpecie; quæ inde ſint emerſura, haud aſſequitur. Intelligat modò, quas ferat hoſtis implacabilis diriſſimas pacis conditiones; & pacem, ni diuturnus me fallit rerum uſus, pari, quo nunc in eam ducitur, ſtudio averſabitur. Diligenter edoceatur, non eo tantùm vulnere, licèt atrociſſimo, quod præſentes conditiones inijcerent, Othomanicum Imperium dilacerandum eſſe; ſed longe in poſterum atrociori. Agi enim ut in hoſtium poteſtatem dimiſſis alibi validiſſimis oppidis, ali-

bi

Digitized by Google

bi nobiliſſimis provinciis, aditus ad immunitas interiores partes aperiatur, ut ubi modò tutiſſimo perfruimur otio, & nullo percelluntur ſervitutis aut ignominiæ timore Threiciæ nurus liberique; tunc periculum adeant, ipſaque morte aſperiorem, pavidam perpetuò vitam vivant. Et ſane haudquaquam gravabitur, tantam perniciem luctuoſamque malorum colluviem aliquo diuturniore militiæ ac tributorum incommodo ab ſe propellere. His omnium aſſenſu ac plauſu decretis, Viſirius Regi ſua ſponte in bellum propenſo Senatusconſultum detulit; juſſuſque ex ipſo rem gerere, confeſtim in concionem vocat, quotquot in Aula præfecti militares aderant civileſque magiſtratus ac ſimul popularium cujuſcumque ordinis primates; aperit, quas hoſtes proponerent fœderis feriendi leges; indicatque, Achmetem ſuam e ſuæ gentis conſilio ſtatuere ſententiam velle. Bellum incredibili ſtrepitu conclamatum eſt; voceſque mixtæ horrore atque indignatione eò magis invaluere, quò Viſirius promulgatas conditiones maligna interpretatione duriores reddere conabatur. At bellum, infit, pecunia ac milite opus habet; quæ contribuere ſi acerbum videatur, ſatius eſſe illud vel ingenti damno, ut ut queat, componi, quàm neglectum aſperiores ærumnas parere. Horum nihil defuturum vociferati, dummo-

1692.

Eiuſdem ad populum.

Bellum ab omnibus conclamatur.

1692. modo vitam, libertatem, perpetuam Majorum gloriam tueantur; Halium id cupidiſſime appetentem ad arma incendunt. Dein legati diligentius cuſtoditi, ne cum aliis colloquia ſererent prioraque dicta interpretando aut mitiora proponendo frangerent tumultuantium inſanum impetum; mutandæque ſententiæ, ut facilè vulgus impellitur, imperitæ multitudini argumentum darent. Non tamen dimiſſi, quamquam per plures menſes, quibus diſcedere prohibiti ſunt, ſæpius diſcedendi veniam quæſierint ſeu exoſi inutilem moram ſeu Barbarorum animos, tentando, penitus ſcrutaturi. Quid ipſi attuliſſent, quodque Adrianopoli conditionum, quas daturi eſſent, factum judicium fuiſſet, celeriter per provincias diſperſum pares ubique turbas concivit mutavitque mentes, haud ægre civibus ad militiam tributaque ſe ſe offerentibus; quorum neutrum in ampliſſimo Imperio, ni deſit animus, unquam deficiet. Ita Viſirii ſagacitate eadem ars, qua Legati coalituram ſperaverant, pacem diremit. Adeo in omni re pertractanda illud primum: noſſe hominum ingenia, & quid iis expugnandis e temporum varietate magis congruat. Hæc partim in proximum annum cecidere. Magnas Cæſari auxit curas infecta pax; experto in ſe unum jam prope intentam barbarici belli tempeſtatem. Parum enim vel hoc anno Sarmati-

At deternitur.

cis

cis armis profectum eſt. Rex inſito, quod verè nunquam poſuit, in Turcas odio, ac vehementer, ut diximus, a Cæſare oratus aliquod in ipſos edere, ſuppleto exercitu, illuſtre facinus cogitaverat. Id in animo ſibi eſſe, renuntiandum Fœderatis miſerat initio Veris Carolum Mauritium Vottam e Soc. Jeſu, eique mandaverat ut de re gerenda cum Cæſare conveniret, ab eoque idcirco peditum quidpiam, a Pontifice maximo pecuniæ quæreret. Carolus ubique libenter auditus, actæque Regi gratiæ. Nullam tamen ab Leopoldo retulit opem, cauſato vix ſibi ſatis legionum eſſe ad ſua tuenda; re vera ſuſpicato, inutilem fore; tarde Polonis, ut hactenus, in expeditionem profecturis. Ad reliqua reſponſum datum: ſuis quiſque viribus ſuoque arbitratu hoſtem urgeret. Sic enim, ſi fœderis conſtet fides, citò melius debellari poſſe. Manebant veteris diffidentiæ ſemina; eluſaque non ſemel promiſſa nunc quoque parum in pretio habita. Ab Innocentio quinadena haud amplius expreſſa ſcutatorum millia, obtentis ærarii anguſtiis ac palam, ut aperto erat ingenuoque animo, exprobrante tantam hactenus nullo proventu immiſſam pecuniam. Muſſitabatque, male quemquam illici ad ferendum auxilium illata injuria. Sacerdotium indicabat, per id fere temporis adverſus Pontificiam auctoritatem ab Rege aſſignatum, ejuſque

1692.

Poloniæ Rex de belli gerendi ratione cum Fœderatis agit.

Parum auditus.

1692\. que patrimonium infeſſum militibus; ut qui eo Romæ donatus foret, adeundo intercluderetur. Hinc remiſſior ad belli curas Joannis animus, auditusſque Deuriſus, qui ab Safa Gergeio Scytharum Regulo dudum advenerat non magis officii cauſa, quàm quòd novus Princeps popularibus diffidens, quibus invitis in exauthorati Selimi locum ab Achmete Rege ſuffectus fuerat, oſtentare cuperet cum Sarmatis amicitiam, qua tutior inter cives eſſet; ejus autem ſe daturum, ſi vellent, documentum diceret, reconciliando ipſis non ſine Reipublicæ utilitate Turcarum fœdere. Et in id quidem, belli tædio, Senatus inclinabat. Tenuit tamen Regis ſententia, ne quid præcipiti conſilio decerneretur; valuitque ad retinendos animos, quòd Scythæ interiores regni provincias, ubi nondum graſſati fuerant, ferociſſime per hos ipſos dies popularentur; videreturque, affectata interim amicitia, damno ludibrium additum. Itaque ad arma ſed lentius & minori apparatu diſcurſum eſt. Cùm jam prope adeſſet autumnus, collectum exercitum ſupremi duces (nam Rex abſtinuit ob adverſam valetudinem vel potius eventus metu) Kamæneco admoverunt; incerti oppugnarent verberarent ne, illic ex occaſione rem decreturi. Pluvium quammaxime cœlum erat, patebatque, mollito ſolo nec vineas duci, niſi extremo ac fortè inutili conatu

Poloni Scytharū legato privatam cum ipſis Turcarum pacem ſpondenti aures præbent.

Sed ab Rege diſſuadentur.

Kamæneco admovent copias.

tu

tu, nec milites ſub dio durare poſſe. Viſum proinde, obſeſſis itineribus arcere oppidum commeatibus, & longo ſed tolerabili obſidentium incommodo ad inediam redigere. In id Sniatinum Coccinumque ad Naparim, unde via illuc aperiebatur, præſidiis firmant, erectumque inter duos illac in proximo defluentes rivos caſtellum, cui ab ſanctiſſima Trinitate nomen inditum, tricenis machinis & quatuor millibus armatorum muniunt. Quædum illic geruntur, Soraca ad ipſum Naparim ſita & ſuperiori anno ab Sarmatis capta cinctaque novis operibus oppugnatur. Muſtaphus prætor ſex illuc Turcarum millia, duo Valachorum Cantämirenus eorumdem Regulus, tria Scytharum Noradinus adduxerat cum duobus viceniſque tormentis & multo belli apparatu. Oppidum, quod proprio aliquo damno eorum ſingulis incommodabat, diviſo ad æmulationem labore trifariam ſubibant. Intus ſexcentnm præſidio Rappa tribunus imperitabat; qui ubi vidit hoſtes contempta muralium jaculorum procella, quamquam pluribus funeſta, audacter promovere aggerem, bis cum valido erumpens globo, ejus quidpiam delevit inflicta excubitoribus ingenti cæde. Barbari tamen inſiſtebant operi eòque celerius terram moliebantur, quò cunctatio periculi plena erat; jamque ſuſpenderant cuniculis mœnia, & ad foſ-

1692.

Aliquot circa illud muniunt oppida in obſidionem intenti.

Soraca a Turcis oppugnatur.

1692. foſſam prope ſucceſſerant; cùm intempeſta nocte præſidiarios omnes tribunus educit, juſſos uſque adeo pugnam urgere, dum hoſtis obſidionem ſolvat ac pedem referat. Longe illum antecellere armatorum numero; ſed inconditam collectitiamque turbam, repentino præſertim pavore fractam, nullius pretii militari viro ducendam eſſe; cui ſimul addat vires infixa penitus menti opinio: vincendo retineri facilè vitam poſſe; nec aliter poſſe, deſperata propemodum auxilii ſpe. Hæc ubi dixit, triplici agmine in hoſtem irruit. Primos vix non incautos opprimit; reliquos morientium gemitu conſternatos colligere non ſinit animum nec ſtare loco; pulſos e vineis ad vallum uſque proſequitur inflicta ingenti clade ſtratoque cadaveribus ſolo. Tantus hinc timor inceſſit Barbaros ut ipſa nocte extinctis luminibus taciti convaſaverint, relicta machinarum bellicique inſtrumenti parte ne iter, corrupta fœdis imbribus via, retardarent. Ipſorum duo millia, centum quinquaginta præſidiariorum oppugnatio, quæ novem non amplius tenuit dies, abſumpſit. Quieta deinde proceſſit hyems. Veneti, quamquam diligentiùs ſe ad bellum inſtruxiſſent, deteriori tamen quàm Sarmatæ, fortuna uſi ſunt. Vix annus incœperat, cùm Carabuſæ paucorum fraude ad Turcas defecere. Decem ab occidentali Cretæ inſulæ angulo paſſuum

A Polonis defenditur.

A Turcis deſeritur.

Carabuſæ arx a Venetis ad Turcas deficit.

Digitized by Google

ſuum millia adverſus Cadiſcum promóntorium 1692.
e pelago ſurgit ſcopulus, qui cornua utrinque protendens fidam navibus ſtationem præbet. In vertice ad portus tutelam ſedet arx loci natura & munitionibus valida, quam Veneti, ut prius armis ita & Cretenſi pace cum Suda (Amphimalim priſci vocaverant) Spinaque longa, omni reliquo cedere coacti regno, retinuerant. Satis ibi in una militum cohorte præſidii erat, cui fortè centurio datus Lucas Rocca Neapolitanus, perditus & audax indole, longe verò deterior opinione acceptæ inultæque injuriæ, quòd infami conjugio maculoſus in ordinem redactus fuerat, nec unquam vulneri, licèt iterum primipili honore donatus, cicatricem obduxerat. Is oblatam vindictæ occaſionem avide arripuit. In ſuam facilè ſententiam conciliatis ſignifero Franciſco Peronio populari ſuo aliiſque militum, quos ex morum ſimilitudine ad ſcelus fore dociles ominatus fuerat; de arce prodenda tranſegit cum Cydoniæ præſide, pactus proditionis auctoribus ſociiſque prædam ac libertatem. Accepta dataque fide, nactus diem, qua Græcorum plures ad ſua negotia, prætor Franciſcus Donatus inermis ad portum diverterat, repente milites ad arma vocat, inclamans adeſſe Turcas. Factò agmine in fronte proditores locat, intentiſque pyroſcorpionibus prætorem tumultuantium ani-

Quo pacto præſidium eluditur.

1692. mos modò terrere modò lenire fruſtra obnitentem, dein quotquot ab re alienos putabat, ipſa ſceleris novitate fractos opprimit, Turciſque in arcem prius expilatam receptis vinctos tradit, infandi criminis auctarium. Eos Reſpublica ſcutatorum non ita multo poſt quinis millibus in libertatem aſſeruit, ulta memorabili pietate proditoris perfidiam. Et reliquæ duæ Suda Spinaque longa iiſdem artibus in diſcrimen venerunt, conductis mercede inſidiatoribus, qui eas Thracibus deſponderant. Valuit Sudæ, ut in recenti fraude, ſuſpecta omnium fides ad præcavendum; factum Spinæ conjurationis indicium illam extinxit auctorum ſanguine. Hæc irrito conatu clam geſta. Verùm & pari ſucceſſu urbes hoc anno invicem per ea loca armis tentatæ hoſtibus reſtiterunt. Mocenigus imperator, vixdum per anni tempus aperto ad navigandum pelago, de re gerenda militare Conſilium habuit oſtenditque placere Senatui otio æſtatem haudquaquam traduci, ſed jam prope ſeneſcentem armorum gloriam aliquo illuſtri facto revireſcere. Sub ſignis recenſeri peditum undecim amplius millia. Adeſſe, qui eos imperio regat, Comitem Sigiſmundum Trautmeſtorfum in demortui Deghenſelti locum ſuffectum. Romanam Melitenſemque claſſem cum validis auxiliis adveniſſe; & bellici apparatus affatim ſuppeditare; ſatis proinde comparatum ro-

Veneti pecunia Prætorem redimunt.

roboris ad ſplendidum quidpiam audendum. 1692.
Ex hac rerum notitia promere, quid e republica ducerent, invitati, ſenſere alii Mitylenem aut Coum invadendas, expugnatu faciles, quòd incurioſe habitæ ut extra metum; ſitu ac feracitate opportunas, retentu non difficiles maris claſſiumque potentioribus. At viſum, intra Othomanici Imperii viſcera non penetrandum ne nimio dolore Turcæ ſocordiam excuterent, qua modò plurimùm debilitarentur. Chalcis aliis, fruſtra licèt non ſemel propoſita, in ſermonem rediit. Sed rejecta, præoccupatis infauſto dudum eventu animis, &, quia præſidio valida, major credita oppugnantium viribus. Plauſu excepta Mocenigi ſententia Cydoniam indicantis, quam ſciret, ſui fiduciâ incaute nulloque legionario milite cuſtodiri; vix autem octingentos continere cives ad arma ferenda idoneos. Ea ſubacta, haud inanem prodituram ſpem reſtituendi Reipulicæ Cretenſis regni, non capto inde ſolùm fauſtæ expeditionis omine, unde ante annos duos & quadraginta, cùm illa in Turcarum ditionem conceſſit, perituri emerſerat; ſed ex popularium voluntate, qui barbaricæ feritati nondum longo uſu occalluerant; ſe ſeque proinde, ubi ſe daret occaſio, in libertatem communi conſenſu vindicaturos, opinio erat. Nec timendum, ajebat, quin diſtracto alibi exercitu, aliquod in-

Militare Conſilium quid agendum ſit deliberat.

Variant ſententiæ.

Mocenigus Cydoniam invadere ſtatuit, qua ratione commotus.

1692. interea Peloponneſus diſcrimen obeat. Non enim plus abeſſe a Creta millibus ſeptuaginta, promptus idcirco expedituſque eò reditus. Vix autem credi poſſe, exiguas Barbarorum copias, quæ nunc in Bæotia verſantur, iſthmum ingenti præſidio inſeſſum tranſgreſſuras; aut certe, ſi audeant, ſine piaculo redituras. Cydonia decreta, exercitus cum omni machinarum genere parum progreſſa æſtate in naves imponitur. Fuere peditum duodecim millia cum auxiliaribus, equites octingenti. Mille præterea pedites, quadringenti equites, & aliquot provincialium cohortes Marino Michaelio proprætori ad iſthmi tutelam dati; juſſuſque ſi periculum ingraveſceret, eò cum excubantibus ad Ionicas inſulas quinqueremibus accurrere Vincentius Vendraminus. Rebus ita in Peloponneſo diſpoſitis, claſſis in Cretam navigavit, brevique trajectu tenuit Cydoniæ litus. Deſcendentibus nulla hoſtili incurſu facta mora. Progredientibus ad oppidi mœnia obviam fuere Turcæ, qui tamen ad primum telorum conjectum celeri curſu pedem retulerunt. Quieti deinde Veneti, ſed non improviſo, ut rebantur, adventu nec imparatis oppidanis, ad rem bellicam ſe accingunt. Hos enim biduo ante Gallica oneraria navis, quæ Nauplia ſuas illuc merces advexerat, hoſtem mox affuturum, commonuerat. Quocirca Turcæ ſuburbia, ne

Illuc navigat cum exercitu.

quid

quid ſibi negotii faceſſerent, igne deleverant, armaverant muros machinis, & oblatum diſcrimen Cretæ prætori, ut opem ſubmitteret, nuntiatum miſerant. Qua parte illic ad boream vergit litus, lingua in altum protenditur fluctibus Amphimali ſinus ad orientem oppoſita. In occidentali ejus ora prope fauces pelago imminet plano loco Cydonia, vetuſtiſſima Samiorum colonia, quam Veneti, dum Cretam in poteſtate habuere, firmaverant quinque roſtratis propugnaculis & lata foſſa. Turcæ poſtmodum duas addiderant ſemilunares munitiones; alteram roſtrum propugnaculi, quod a S. Demetrio nomen habet; alteram eidem propugnaculo continuata ſiniſtrorſum mœnia protegentem. Aſſanus, qui Patris Peloponneſiacis, cùm oppido Veneti potiti ſunt, nunc Cydoniæ præerat; eique conſilii ſocius at longe præſtantior militari arte aſſidebat Barbus Epidauri & ipſe Limeræ dudum præfectura diuturnaque propugnatione clarus. Hi Venetos vallum ducentes, immiſſo frequenter armatorum agmine inflictaque majori quàm referrent clade, divexabant. Oppidanis erumpentibus faciebat animos oſtentans quotidie ſeſe in proximis collibus tumultuario delectu conquiſita ſuorum turba, occaſionem ac locum, quà in oppidum perrumperet, circumſpectans. Verùm ubique obſtruebat aditum ductus per mille quingentos paſſus ad iſthmi

1692.

Urbis ſitus ac munitiones.

Oppugatio deſcribitur.

1692. iſthmi anguſtias a Venetis agger, foſſa atque undecim caſtellis munitus, æquo ſpatio diſtinctis. Nec per infrequentes illuc ſtationes penetrare ſpes aderat, excubantibus ubique hoſtibus, qui tamen ad tutandum aggerem ingenti numero diſtracti lentius viciſſim agebant ad muros vineas trahebantque moram. Itaque, ut facinus accelerarent, ſubmovere longiùs collectitiam illam Turcarum manum decernunt. Dum promoventur ſigna, Barbari intra nemus ſe condiderant arte ſimulantes fugam, rati ſic hoſtem, ut minus ſibi caveret, in negligentiam inductum iri. Nec ſpes eos decepit. Karæ Murſæ veterano militi, qui expugnandæ jam olim Cydoniæ interfuerat, confectoque Cretico bello partem proximi Rhitimnenſis agri merito virtutis acceperat, datum ab inſulæ prætore negotium fuerat ut raptim conſcripto milite opem vi aut arte, prout occaſio ferret, obſeſſis daret. Is facto quatuor millium agmine, modò huc modò illuc globatim, ut fatigaret falleretque Venetos, concurſabat. Poſtquam inani ſucceſſu diu vagatus, iis ludibrio ſe potius quàm timori eſſe credidit, equites aliquot, peditem ſingulos ab tergo excipientes nemore abdidit, quod mare contingebat; condictoque oppidanis ut concubia nocte haud procul inde hoſtem aggrederentur ejuſque omnem in ſe curam averterent, dum interim per nota vada quidpiam paratæ

Turcarum turbam aggredi decernunt.

ratæ opis clam perrupturum in urbem foret. 1692.
Centum pervaſerant, cùm fraus innotuit, crebroque telorum ictu via ceteris, ne pergere auderent, obſepta eſt. Kara minori licèt quàm ſperaverat eventu lætus novas ex ipſo nemore ſtruxit inſidias. Hoſtes lignandi cauſa illud intrantes, & Illyriorum turmas ad extremam oram, ut præſidio lignantibus eſſent, ſtetiſſe videt. Eò uſque dum faſces colligerent, quievit. Deinde ab latere ab fronte palatos invadit, plures obtruncat; nec equitatus fugientibus tutum receptum dabat, ipſe pariter in diſcrimen adductus. Quo comperto Trautmetſtorfus omne confeſtim illuc adduxit equeſtre robur retuditque promiſcua cæde Turcarum impetum. Interea oppidani concitatas auxere turbas. Foras egreſſi, magnam obſidionalis aggeris partem æquant, ſolo ſtratis excubiis. Jamque pergebant ad corrumpendas machinas, ni legiones Romana & Melitenſis eos tranſverſis jaculis male multatos coegiſſent ſibi, relato pede, proſpicere, pluribus utrinque deſideratis. At clades longe major Venetis ex fuga morbiſque accidebat. Milites aperto cœlo ſolis æſtum noctiſque intemperiem plures jam dies exceperant tabernaculis deſtituti. Hinc paſſim diſſoluta corpora aut moriebantur aut febri correpta viribus deficiebant. Et mille amplius Gallici nominis, in Italia conſcripti e deſertorum collu-

vio-

1692. vione, catérvatim ad Turcas diffugerant; libero inde commeatu, quo vellent, diſceſſuri. Non ideo tamen deſeruere Veneti vincendi ſpem; quin eò magis ad accelerandum incenſi, quò plures dira calamitas inutili mora quàm ferrum abſumptura videbatur. Igitur ſeveriori ſtudio excuſſa gregariorum ſegnities aut negligentia, qua plurimùm adhuc in expediendis machinis promovendoque vallo capti fuerant. Triquetram munitionem ante Demetriani roſtrum propugnaculi (quippe alibi foſſoribus malignus ager) oppugnandam ſuſceperant, illinc, ut olim Turcæ, in oppidum pervaſuri. Parum per tricenos dies proceſſerant vel incurioſe productæ vineæ vel hoſtium vi diſſipatæ. Nunc brevi ad foſſæ labrum adductæ apertiſque ariete lateribus data facilis ad irrumpendum & lata via. Sine mora concurritur. Agmen ducebant Eques Hieroſolymitanus Hieronymus Minuccius & Comes Bartholomæus Soardus. Erant in fronte pyrochitrophori, a tergo pyrobaliſtis armati ducenti Melitenſium. Ad primos ictus Barbari vacillarunt nec diu ſuſtinuerunt hærentem veſtigiis hoſtem; cui tamen, dum vallo ſe contegit, plures ex oppidi lorica telis obruti ademti ſunt. Nunquam deinde ea ſtatio quieta nec ſine cæde. Quin erumpente flamma ad intimam propugnaculi oram e nitrato pulvere, paullo ante ab oppidanis in

cur-

cuniculum inducto, iiſque irruentibus tantus cœpit Venetos pavor, ut nemo non jugulum aut terga dediſſet, niſi Ludovicus Cittadella Veronenſis eques Hieroſolymitanus ad primos legionis ſuæ, quæ ibi fortè præſidio erat, progreſſus ordines, torpentibus animos reſtituiſſet coegiſſetque, pulſis poſt diuturnum certamen Thracibus, gradu inſiſtere. Magni locus ad rei ſummam momenti erat. Ex ejus quippe latere Demetrianum munimentum celeri eventu arietibus quatiebatur, unde ad mœnium ruinas promptum ac tutum iter. Foſſa, ne ſubituris moram faceret, æquanda erat. In id ſubverti ejus marginem ſulphurati vi pulveris, illamque ruinis potius quàm faſcibus complere Trautmeſtorfus ſatius duxit. Non uno loco rupit aggerem furens ignis abſtulitque caſu partem ſemilunaris operis, in clivumque ex adverſum oppido deſedit humus. Oblatam occaſionem Thraces arripuere, proſilienteſque in Melitenſium cohortem, quæ tunc ibi ſtationem agebat, ferociter adeo impreſſionem dederunt ut ei ſtare non licuerit. Victoriam proſequuti, parum abfuit quin machinis potirentur. Sed obſtitit Venetorum globus, qui ſuis auxiliatum in tempore accurrit. Integrata iſthic magno ſtrepitu fera pugna, e vallo e mœnibus immiſſo invicem recenti milite; utrinque ratis, in ea munitione oppidi fortunam vertere. Nec prius cer- 1692.

1692. tandi finis, quàm fracta demum Turcarum ferocia & promiſcua nece Veneti, unde protruſi fuerant, ſe reſtituerint. Hinc iis ſuperandi oppidi oblata ſpes, quamquam dimidia parte imminuto exercitu pervicacia oppidanorum vincenda erat. Et hi quidem, diruta machinis propugnaculi fronte multaque nece debilitati, jam tandem obnitendo haud ſatis erant, nec ulla, quamobrem obdureſcerent, celeris validique ſubſidii lux affulgebat. Non enim ex inſula tantum conſcribi licuerat Turcarum ut ad viam ferro ſibi aperiendam ſuffecturi viderentur. Et Murſa, qui rurſus per vada bis centum aliis immiſſis in urbem equitibus excubias iterum fefellerat, diligentius obſervabatur. Mari verò plus adeo poterant Veneti, ut Barbari claſſe aut nihil aut fruſtra auſuri eſſent. Quamobrem iſti, quod proximum auxilio erat, Peloponneſum invadunt, Cydoniæ periculum graviori Venetis oblato diſcrimine propulſaturi. Liberius Geracharus erat Lacon magni inter Græcos nominis, quòd audaces turbulentoſque animos gereret, dum ſuæ gentis reliqui ſervirent. Collectis quinque popularium millibus ad Turcas Peloponneſo dejectos acceſſerat, odioſum ceteroquin auxilium ſuperbe dudum in Græcos veluti in ſervos dominatis; faciebatque recuperandæ provinciæ ſpem clientum ope ſuaque inter populares auctoritate, quibus oſtenti ſimile

Turcæ Peloponneſum invadunt.

Quibuſcum Græcorum plures coniunguntur.

vi-

videbatur, longiùs repetita vetuſtatis memoria, 1692.
ſtrenuus Græcus & armis potens. Igitur poſtquam in Cretam Veneti ſe diſtraxerant, non dimittendam occaſionem profeſſus, Turcarum prætori, qui propinqua in Bœotia caſtris ſe continebat, detulit: adveniſſe tempus, quo datam de liberanda Peloponneſo fidem perſolveret; & quid in animo ſibi agendum propoſuiſſet, expoſuit. Laudibus promiſſiſque oneratus, poteſtatem, quæ vellet, agendi accepit, ſimulque equitum plures certamque ſponſionem, ſe mox cum omni exercitu, ſi fortuna cœptis arrideret, ſequuturum. Re comperta Michaelius diligentem ad iſthmi fauces intercludendas convertit curam. Iſthmus, ubi latior decem; ubi anguſtior, quinque fere patet paſſuum millia. *Iſthmi Peloponneſiaci deſcriptio.* Ei ſtatim e Peloponneſo difficiles occurrunt montes, qui tria tantùm provinciam intrantibus præbent itinera. Quod ad dexteram flectitur in Corinthiacum ſinum, aſperrimum identidem ac plerumque jumentis fere impervium. Alterum in Saronicum mare verſum trahendis impedimentis facile, ſed per aliquod ſpatium anguſtiſſimum, hinc imminente pelago illinc prolixa rupe. Tertium ad Corinthi ſiniſtram ſub ipſo colle non adeo lene, verùm nulli obnoxium periculo ac brevius in mediterranea ducit. Duo extrema Michaelius aliquo anguſtis locis præſidio ſatis obſepit. Medium, quà conjecta-

1692. bat adventurum hoſtem, contractis, quót potuit, legionariis militibus viceniſque inſuper provincialium Græcorum centuriis, Fabio Lanojæ legionis inſtructori muniendum concludendumque attribuit. Ad tumuli, ubi Corinthus jacet, radices magna continuo tractu eminent ſaxa in valli ſpeciem. Ibi tutiſſimo in loco, qui vel militiæ inexpertis addere potuiſſet animos, Græci locati, levi negotio pyroſcorpionibus tranſgredi nitentem hoſtem cohibituri; in ulteriori proxima valle legionarii, quibus dextrum latus ala equitum contegebat. Iſtac Liberius, ut opinio fuerat, quadrato agmine faciebat iter ſuccedebatque ſaxis propter imum collem aſſurgentibus. Cùm collectitius ille popularium globus, priuſquam hoſtes interiores fierent, nullo ipſorum damno vix jaculatus in apertam fugam per abruptos colles ſe diſſipavit, abjectis animis ſtatim ut eos ad ſe audacter venire vidit. Expedito illic itinere Liberii agmen progrediebatur, cùm procedenti legionarii Veneti a fronte, equites ab latere ſe ſé obiecere. At citò repulſi ab Turcarum ala, quam Liberianis prætor præſidio dederat, quæque irruens, hoſtium ferocioribus obtruncatis, reliquos celeri curſu abeuntes diſperſit. Michaelius, cùm in eo rerum diſcrimine aliud non poſſet, miſit illico, qui palatos colligeret revocaretque Corinthum pedites, Naupliam equites

ire

ire juberet, præſidium aucturos. Aperto in provinciam aditu quinque Turcarum millia cum ipſo prætore prægreſſis cum Liberio Græcis præſtò fuerunt. Argos profecti, & quà blanditiis quà minis popularium fidem ſolicitare adorti, nihil proficiunt; miſera gens ærumnis jamdiu ſtupida, & quo conſilio fugeret ingruentem peſtem, ignara, ſylveſtres devioſque in montes ſe abdiderat, relictis domibus exiguiſque pauperum larium fortunis. Quod ubi hoſtes vident, nec ſe præda ſatiari poſſe, cuncta ferro flammaque devaſtantes, exurunt vicos agrorumque inſtrumenta, obtruncant armenta, herbas frugeſque corrumpunt, nulli frugiferæ arbori parcunt. Inde periclitaturi, quid poſſet illatus pavor, Naupliæ ſe ſe oſtendunt. Vi tormentorum ſubmoti laceratique, nec auſi interius ſe inferre, metu ne Venetorum exercitus claſſe redux Iſthmum intercluderet, referunt ſigna, Corinthum, ſi cœptis ſors annueret, invadere cogitantes. Aderant inibi cum Michaelio proprætore hominum tria millia; nec Turcæ ad verberanda mœnia machinas adduxerant. Vim proinde præſidiariis haudquaquam veritis, una hoſtes manebat ſpes expugnandæ arcis, aquatio interdicta, quàm plurimùm ab externo fonte oppidani petebant. Nam qui mirabili ſubſtructione intus emicat, ut non ante, nunc minus, aucto virorum numero, ſuffecturus repu-

1692.
Turcæ Sociique Græci Peloponneſum populantur.

Receduntque;

Corintho fruſtra tentata.

1692. putabatur. Itaque circumſeſſo tumulo Turcæ, & latice extra minoris teli conjectum ſurgente potiti, quid ſitis ſuaſura obſeſſis foret, expectabant. Aliquot ibi morati dies, cùm compeͬriſſent, jugem interiorem aquam parce utentibus ſatis præbere potus; conſcii quoque hoſtilem claſſem mox affuturam, ſuburbiis incenſis iſthmum remearunt. Mocenigus imperator ad primum turbatæ Peloponneſi nuntium, plus ei veritus eſt quàm res poſtularet; miſſiſque repente bellicis navibus cum ipſarum præfecto Hieronymo Priulo, qui retardaret Thracum conſilia; ipſe de Cydonia deſerenda caſtrenſes majores primùm duces, dein navales, quibus rei decernendæ jus erat, conſuluit. Caſtrenſium una ſententia fuit: ab urbe jam prope enecta non diſcedendum, nec dimittendum, brevi interjecta mora, tot laborum, ſanguinis gloriæque fructum; quem certò referendum portenderent & vineæ ad foſſam productæ, & ſemilunare captum opus, & nudata mœnibus contigui frons propugnaculi, & conſternati cives ædium ruina (id enim ollarum nunquam intermiſſa tempeſtate evenerat), milites plurima ſuorum nece; quodque facinus certum redderet, deſperatum obſeſſis auxilium interclufo mari contractiſque ex inſula, quotquot diuturno delectu contrahi militum potis fuerit, non ea tamen frequentia, quæ inimicum vallum au-

Mocenigus audito Peloponneſi periculo illuc a Cydonia redire ſtatuit.

Præfectis militaribus repugnantibus, atque uno & altero navalium ducum.

auderet perfodere ac ſuperare. Interea de Peloponneſo nullam habendam ſolicitudinem. Etenim quæ ibi eſſent munitæ arces, nihil ſibi timere ab incondita fugaciſſimaque & nullis inſtructa machinis, ut modò res erat, hoſtium colluvie. Populationibus autem nil niſi privatorum cieri lacrymas, quæ facilè pari Principis beneficentia reſtinguantur. Ad hæc Trautmeſtorfus addidit: ſe de Cydonia in poteſtatem redigenda ſpondere poſſe; de incolumi exercitu tantoque belli apparatu ad naves reducendo haudquaquam poſſe. Cùm ex infelici ſucceſſu plerumque flaceſcant animi; iiſque fractis, diſſolvi diſciplinam, quæ una tuti receſſus munimentum eſt. Caſtrenſi Mocenigus ſententiæ non acquieſcebat, ſecum reputans, qualecumque Peloponneſi diſcrimen victa Cydonia pluris ducendum eſse, ab eo præſertim cujus imperio fideique commiſsa foret rerum ſumma. Nam communis conſultationis infelix eventus reliquis imprudentiæ, imperatori delicto vertitur. Huic proinde, ſi quid anceps deliberandum proponitur, cauta conſilia probabiliora. Ceteri, quibus, deferente fortuna, parum noxæ; arridente præmii & gloriæ plurimum futurum ſit, lubentius audent. Duodecim, ajebat, huc adduximus armatorum millia. Horum tria mors abſtulit; duo intercipit incommoda valetudo; decem amplius centuriæ ſigna 1692.

de-

1692. deſeruerunt; totidem non ita multo poſt Auxiliares diſcedent. Duo minimum capta Cydonia, medio ſita hoſtili ſolo atque interiecto mari, millia præſidio ſibi poſtularet. Quid pro tota Peloponneſo reliquum? Et exiguis adeo, quæ ſuperarent, viribus tanta provincia Reipublicæ ſervanda foret, appetente hyeme, qua nullum Venetiis ſupplementum; ac facilè ad ſuperandas urbes redituro cum majoribus catapultis hoſte, ſi modò, iis imparatus, irrita expeditione ſigna referat? Illuc igitur, quacunque parte res expendatur, dimiſſa Cydonia redeundum videri ac reputandum: æque militari viro, prout ferat occaſio, laudabile: arduis tentandis gloriam quærere, ac deſerendis contemnere. Huic ſententiæ Petrus Quirinus commeatuum præfectus, bellicarumque navium Bartholomæus Contarenus adverſabantur, effati: modò nullum Peloponneſo ab tumultuaria latronum potius quàm militum irruptione periculum procreari. Quæ deinde eventura timerentur, non uno remedio præcaveri poſse. Certam verò prædam, qualis Cydonia crederetur, metu abijcere non improvidi ſolùm ſed exilis animi eſse; præſertim cùm illa in ditionem redacta, non vana Cretæ recuperandæ exurgeret ſpes, quam quis rerum prudens vel non aliquo diſcrimine fovendam cenſeat? Verùm Aloyſius Foſcarus hepterum ductor imperatori aſſen-

aſſenſus æquatiſque ſuffragiis, ad hujus arbitrium, ut Senatusconſulto decretum fuerat, rem contulit. Quocirca vaſa colligi ſolvique obſidionem & naves extemplo conſcendi, juſſum. Dimota primùm a militari aggere curulia tormenta; quidpiam flammiferarum ollarum bellicique apparatus, ne prægravarent, igne diſcerptum. Dein milites quadrato agmine iter ingreſſi. Quievere Turcæ, quoad illi vallo exiiſſent. Mox in oppidum pervadentes Murſæ copiæ, compoſitoque cum præſidiariis agmine viam per occulta vallium præripientes, a fronte abeuntibus ſe ſe obtulere, ſubita irruptione haud parum territis; & augebat metum anxitudo, ne ſimul a tergo urgerent. Dum pugna incerto Marte jam jamque nutantibus Venetis pugnatur, Melitenſes Romanique auxiliares in latus circumducti, jaculorum vi fracto hoſtium impetu, iis recedendi conſilium indidere. Iter illi ad litus continuarunt, treſque ibi dies nullo impedimento morati ſunt, vento prohibiti naves ingredi. Interea certior redditus Mocenigus, Peloponneſum hoſtes deſeruiſſe, non tamen diſcedendi ſententiam mutavit, ſecundaque navigatione Naupliam appulit. Sex & quadraginta dies Cydoniæ oppugnatio ſtetit, præterque gregarios, quos memoravimus, abripuit Ludovicum Mutiæi Comitem inſtructorem exercitus, undecim equites Hieroſolymitanos, & quid-

1692.

Veneti ab Cydonia diſcedunt & quomodo.

Quamquam Peloponneſo nihil timendum, certiores facti.

1692. quidpiam minorum ducum. Horum vicem non æqua rependit lance duum millium Cretenſium turba, quæ cùm ad Venetorum ſigna convenisſet, ſibi, ni ſolum verteret, ab Turcis metuens in Peloponneſum traduci voluit, ibique Reipublicæ beneficio domicilii ſedem agroſque obtinuit. Quæ dum illic geruntur, Naupactum in adverſo Corinthiaci ſinus litore magnum diſcrimen adiit. Turcæ Græcique iſthmum egreſſi haud longe caſtra poſuerant, in eam urbem intenti. Quid in animo haberent, Marcus Venerius, qui rebus per id locorum moderabatur, ex ipſorum vicinitate ſuſpicatus, confeſtim periculi, ut opem afferrent, admonuit majores duces. Quinque hominum millia, mixta provincialium Thracumque turba (illos Liberius, hos Calilus ductabat) eò proceſſerant, atque aggerem, tutò ſubeundis ſubruendiſque mœnibus, moliebantur; quæ quamquam tenuiſſima, faciebant moram, ariete, quo Turcæ carebant, non vulnerata. Parum tamen, cuniculis jam prope ſuffoſſa, duratura videbantur, ni tempeſtive Vincentius Vendraminus cum quatuor quinqueremibus, & mille affuiſſent a Mocenigo ſelecti milites, reſtituiſſentque obſeſſis tutandi ſpem oppidi, ſuperandi oppugnatoribus ademiſſent. Præſidium, hac ope ad tria millia ſuppletum, non tenuit otium. Concubia nocte Iſius Tribunus maritima porta, quæ maxime

Naupactum Turcæ adoriuntur.

Ac repelluntur

me ab hoſtium operibus averſa erat, cum ſeptingentis Illyriis egreſſus, imminentem oppido collem aſcendit, ad cujus radices Turcæ tentoria locaverant indeque brevi tractu immiſerant ad muros aggerem. Et hunc ex altera parte aggreſſuros, mille ducentos Volus inſtructor legionis dubia adhuc luce propiùs eduxit. Dato ſigno, Iſius citato gradu ſe demittens, primus accendit pugnam. Incurioſius ibi degebat hoſtis, ratus nihil ſibi ex abrupto clivo timendum eſſe. Itaque repente impulſus conſternatuſque, dum nec audet obniti nec ſe in aciem inſtruere, cuncta metu ac tumultu implevit. Primi aut vulneribus conciſi ſunt aut jugulum præbuere; reliqui in apertam vallem fugientes, vix tandem audiere præfectorum vocem ad ſigna clamantium, utque ſaltem ſe reſpicerent numero longe præſtantiores, colligerentque animos. In eos ordine digeſtos utrinque Veneti dedere impreſſionem. Turcæ ad tantam procellam vacillarunt, non tamen ut terga verterent. Obſtabant duces haſtilibus minitantes tergo trepidantium. Verùm Iſio inter ſuos diſcurrente magniſque vocibus acriter inſtigante, ut ne remitterent neve ſinerent turbatos aciem reſtituere, Illyrii ſtrictis gladiis vehementer adeo ſe ſe intulerunt ut nemini ex adverſum ſtare gradu licuerit. Fuſos tandiu Veneti perſequuti ſunt, dum hoſtilem equitatum ad ſuos e fuga 1692.

Hhh 2 exci-

1692. excipiendos moviſſe compererunt. Horum quingentos mors delevit; Venetorum haud amplius quadraginta. Naupacto a metu libero, ſuos intra fines uterque conſtitit. Hæc per id temporis in Græcia variante fortuna, geſta. Dalmatiam finitimaſque provincias fœdæ populationes aut retinenda prædæ lucro popularium fide, aut illatis injuriis ſolicitanda, miſere divexarunt. A Venetis in Croatiam, in Epirum ad primamque uſque Macedoniæ oram, quò nondum penetratum fuerat, perventum eſt. Sata ibi & ruſticana tuguria igne abſumpta; vis pecorum ingens abrepta; pauci hoſtium cæſi, capti aliquot; plures ſacro Baptiſmate initiati ſponte abducti; quibus, cùm nihil relinquerent, ubique futura eſſet patria; & ſatis cenſebant poſſe, diviſa ſibi, ut condixerant, Ardubenſis agri parte aratro vivere. Barbari primùm populabundi peragrarunt Cettinæ circumjacentia loca. Deinde adulto nondum autumno Solymanus Epiri prætor juſti prope belli more Cettignem (id Græcorum cœnobio nomen eſt) aggredi inſtituit. Confragroſo jacebat colle viamque ad Orbelum montem aperiebat, unde facilis in Macedoniam aditus. Orbelienſes, montani & & fera gens, Chriſtianam græco ritu religionem colunt, fretique ſaltuum, quos incolunt, aſperitate ſuis prope legibus vivunt. Non ita multo ante in Venetorum tutelam ſe dederant;

Venetorum in finitimas Dalmatiæ provincias populationes.

Turcæ vicem per Dalmatiam reddunt.

iique,

Digitized by Google

lique, ut illuc ſibi ad omnem armorum ſtrepitum tuta pateret via, ſubitariis munitionibus validoque præſidio cœnobium firmaverant, quod Aſcrivio diſtat duodeviginti haud amplius paſſum millibus, ab eaque parte in Orbelum montem claudit iter. Hujus incolæ, capta ex eo munito loco Turcis obnitendi ſpe, vectigal, quod annuum pendebant, petenti Solymano negare auſi. Is incenſus injuria inſtigatuſque iteratis a Byzantio nuntiis, octo contraxit popularium millia, ornatuſque bellico apparatu Cettignem duxit, haud falsò arbitratus, ea monitiuncula in ditionem redacta Orbelienſes in poteſtate ſe habiturum; quos intra abruptos difficileſque ſaltus aggredi, longum nec tutum erat. Re illi cognita, Aſcrivium ſuppetias oratum mittunt. Præerat ibi Nicolaus Erizzus, qui facta Dalmatarum manu additiſque trecentis legionariis eò ſtatim ſigna duxit, coram, quid e re foret, deliberaturus. Comperto, nimis præcellere hoſtes numero, optimum viſum eſt, anguſtias viarum obſidere provincialium parte, ſe prope arcem cum reliquis copiis edito ſtare loco. Creditum quoque, Turcas illuc per objectas difficultates non peruaſuros. At longe ſecus evenit. Dalmatæ ſubeuntium non arma, non impetum, non prope minaces oculos ſuſtinuerunt, arrepta confeſtim fuga. Illi proſpero ſucceſſu elati, continenti curſu in altum eva-

1692.

Cettignem munitum locum recuperant.

1692. evadentes tentarunt tectam vallo Venetorum aciem. Repulſi autem obſtinato prælio, ad arcem flexere gradum, ipſam deinde expeditis machinis verberare aggreſſi. Mœnia tumultuario compacta opere, bidui ſpatio facta ingenti ruina, fregere penitus præſidiariorum animos. Quamobrem Erizzus pactus pro deditione Orbelienſibus veniam, ſuis diſcedentibus militare decus, Monachis incolumes deletis munitionibus ædes, illinc digreſſus Aſcrivium rediit. In eo ſolùm a Barbaris violata promiſſi fides, quòd, ut in ſuſpecto loco, nihil non ſolo æquatum. Annus hic fuit inſignis ob auctum Auguſtalium collegium creando Cæſari. Principiò, cùm e Caroli magni, cui primùm ab tertio Leone P. M. datum fuerat, ſtirpe ad Germanos Romani nomen Imperii delatum eſt, illudque hæreditate obiri deſiit, cuncti provinciæ Reguli comitiis habitis auguſtum novo Candidato munus demandabant. Dein vel exiguorum Principum incuria vel ignota nunc lege, cùm numerus quotidie accreſceret, res ad potentiores pervenit. Hinc non uni eidemque Dominatui affixa tantæ dignitatis ſedes; nec ſemel variavit, quoad ei ſtabilem ac firmam dedit anno MCCCLVI. quartus Carolus Imperator celeberrimo aureæ Bullæ diplomate; ſanxitque, apud Moguntiæ, Trevirorum, Coloniæque Agrippinenſis Archiepiſcopos, Comitem

Auctum Electorum Imperialium Collegium.

Quomodo, quando, & quo numero inſtitutū.

tem itidem Palatinum, Saxoniæ Ducem, Bran. 1692.
deburgi Marchionem perpetuò manſuram; quibus, ſi pari numero dividerentur, additus arbiter Bojoemi Rex. Omnium ordinum celebrata conſenſu, firmataque diuturni temporis auctoritate lex, ad unum tantùm comparandum Germanis otium ſoluta ſemel fuerat. Nam cùm Federicus Palatinus rebellantibus adversùs ſecundum Ferdinandum Cæſarem Bojoemis, accepto ab iis regni diademate, acceſſiſſet, Auguſtali proinde nudatus jure eoque in gentilem ſuum Maximilianum Bojoariæ Ducem tranſlato; non alia in Monaſterienſi conventu poſt diuturnum bellum iniri potuit ratio reconciliandæ Germanicæ pacis, quàm ut priſtino Palatinæ Domui reſtituto decore, Bojoarius ad ſeptemvirale collegium octavus aſcriberetur, addita lege, ut alterutra extincta ſtirpe, nemo in ejus locum ſufficiendus eſſet. Tres tùnc in ipſo collegio diverſam ab Romana religione ſectam ſequebantur, Miſnienſis, Palatinus, Brandeburgenſis. Verùm cùm ſuperioribus annis Palatinus ad Catholicam Neoburgenſium Principum familiam traductus fuiſſet, qui eorum duo manebant reliqui, de reintegrando ſuorum numero cum Erneſto Auguſto Hannoveræ Duce, inter Germanos Calvinianæ Lutheranæque ſectæ Pincipes poſt Brandeburgenſem. Miſnienſemque præſtante Imperii viribus, facta ipſi honoris adipiſce-

Octavus in eo locus additus, & qua de cauſa.

1692. piſcendi ſpe, conſpirarunt. Arduum erat in hanc ſententiam adducere Leopoldum religioſiſſimum Cæſarem, Octoviroſque reliquos vera imbutos religione; non tamen adducendi intermiſſum ſtudium. Erneſtus Cæſarem, Turcico fatigatum bello, ſubmiſſis ingentibus auxiliis ſibi obſtrictum, expugnare aggreſſus, obtinuit denique ut Octovirûm augendo numero aſſentiretur. Semel autem aſſenſus, in propoſito permanſit, ratus haudquaquam in eo collegio imminutum iri Catholicæ partis auctoritatem, ſi reliquis duobus ab hac diſſentientibus unus tantùm accederet; excuſavitque apud Pontificem maximum rem illi adeo moleſtam & fruſtra officiis omnibus oppugnatam, objecta temporum difficultate, cui ſibi modò ſubſerviendum eſſet. Nihilo ſecius Innocentium manſit aliquandiu ſpes, id legitimo ſuffragiorum numero nunquam ſtatuendum fore, quin etiam antiquari poſſe; contendentibus Germaniæ Regulis liberiſque Civitatibus; aliis æmulatione, aliis invidia, aliis pietatis ſtudio tanti momenti negotium nonniſi omnium Ordinum conſenſu decerni oportere. Quæ quidem ad irritum cecidit ſpes. Etenim Cæſar, officiis Moguntino, auctoritate Bojoario genero in ſuam ſententiam adductis, adverſantium dolorem ſolertiamque eluſit. Sexſtodecimo Kal. Nov. Moguntinus orator, Octoviri ſui, cujus id erat mu-

Honos Hannoveræ Duci datus, & quare.

Pluribus diſſentientibus.

muneris, nomine Collegas rogavit: vellent, 1692.
juberent, Hannoveræ Ducem Erneſtum poſteroſque ejus ſuffragii donatum jure in Collegium cooptari. Trevirenſis, Colonienſis, Palatinus rogationem rejecerunt. Quinque annuerunt. Sed, qui duo nuper ad Cæſaris voluntatem acceſſerant, ea conditione conſenſerunt ut ſi alterutra Bojoaria Palatinaque ſtirpes; reliqui, ſi utraque exareſceret, alter extemplo *Quæ pacta conditiones.* Catholici nominis aſcribendus in Collegium foret. Leopoldum ſimul obteſtati ſunt, ne prius decretæ dignitatis diploma daret quàm rurſus communi definirent conſilio, quid inibi (idque non multo poſt accidit) conſcribendum eſſet novarum legum. Quod ubi factum, Germania fremere atque objurgare: datum ampliſſimum magiſtratum ab uno tantùm provincialis Conventus Collegio, duobus reliquis Principum liberarumque Civitatum non præteritis modò, quod vel antea non ſemel; ſed quod nunquam, reluctantibus. Imminutam proinde Germanici Concilii majeſtatem; fractas ſocialis fœderis leges; irritum decretum, dicere. Metus erat, ne præſenti diſſidio ulcus ſerperet; in parteſque diſtracti, re, ſi non verbis, reſtinguerent belli ardorem, quo tum maxime in Gallos ferebantur. At ne quidpiam remitterent, fecit priſca inveterataque ejus gentis in iſtos æmulatio, quæ nunc in odium degeneraverat. Alii deinde of-

1692. officiis emolliti, aliqua alii utilitate, plures tempore, quod ſedandis hujuſmodi contentionibus valet plurimùm, poſt aliquot annos quieverunt, datumque illuſtri familiæ Auguſtale decus non amplius exagitarunt. Adeo rerum maximarum initia plerumque difficillima ac turbulenta; progreſſiones laborioſæ; proſperi ac læti exitus, ſi obtinendis occaſio ſagacitaſque opem afferant. Hoc anno Federicus Daniæ Regis filius & regni hæres, Italiam prius, deinde Galliam, Belgiumque pervagatus, omnium in ſe oculos convertit, inſuetis hoc ordine viris egrediendi ſuæ ditionis fines. Ubique quantum ipſe tulit voluitque, occultato licèt natalium ſplendore, magnifice exceptus. Romæ duos degit menſes, veſtigiis haud minus veteris majeſtatis quàm præſentis ampliſſimæque illectus monumentis. A vero Dei cultu quamvis diſſidenti nulla non exhibita vel a Pontifice maximo honoris ſignificatio, facta nunc etiam fide: Romæ priſcum Reipublicæ ingenium adhuc manere, cunctis, præterquam religionis turbas cientibus, amicum & familiare. Exacto jam prope autumno crebri terrarum motus Siciliam, Melitam, magnamque Græciam afflictarunt, concuſſis terrore civibus, clade nondum affectis. Hæc tandem atrox eſt conſequuta. a. d. tertium quintumque id. januar. ea Italiæ pars, Siciliaque præſertim interno ictu quaſſatæ

Qui rei finis.

Federicus Regis Daniæ filius varias Europæ regiones peragrat.

Terremotus in Sicilia, Melita, magnaque Græcia ingenti clade.

ſatæ miſere vacillarunt. Catana, Auguſtaque, 1692.
præter murorum loricam, ſolo æquatæ. Motuca, Taurominium, Siracuſæ, Leontini, Ætna, aliæque ignobiliores urbes, quadraginta oppida, centum amplius vici ruinis obruti. Aliquid Meſſanæ dirutum; quicquid prope reliquum dilaceratum. Nec Panormum damno vacuum. Hominum per totam Inſulam ad centum millia deleta, ſaucii ad vicena millia. Cum Melita magnaque Græcia mitiùs actum, paucis & leviſſima mortalium cæde decuſſis ædibus. Terra deinde plures menſes non quievit. Quodque civibus vix non præ metu ſpiritum exhauriebat, frequenter auditus per interiores cavernas horribilis cum tremore aliquo boatus. Arma quoque per id temporis ad Rhenum Colmamque Belgii flumen obſtrepuere, contempta ab Gallis hyemis aſperitate, dummodo urgerent hoſtem fatigarentque. Sub anni finem Tallardi Comes Rhenofeldam adduxerat octo millia Gallorum ea ſpe, ut præſidio parum firmata facilè potiri poſſet. Sedet illa ad ſiniſtram Rheni ripam ſupra collem coni ſpecie faſtigiatum, muniturque ex loci opportunitate vario operum genere. Ad ejus radices, brevi diſtractum intervallo, ſitum eſt ab S. Gothardi nomine dictum oppidum, tenuiori clauſum muro & lata foſſa. Præerat arci Baro Gortius, urbi tribunus Montus. Ad hanc primò Harcurti Marchio, qui

Galli Rhenofeldam adoriuntur.

Oppugnatio narratur.

1693. ſtatim in Tallardi locum ſucceſſerat, pyroſcorpionis vi, dum propius ſpeculaturus munitiones ſubit, graviter icti, ſigna vertit circumſeſſamque corona repentino impetu ſuperare aggreditur. Repulſus non ſine cæde, medium inter ipſam arcemque occupat ſpatium, unde utramque verberaret, mutuamque impediret opem. Machinæ, vehementer corruptis hyemali tempore itineribus, quidpiam tardarunt. Adductæ demum expeditæque mœnium non uno loco ſtragem ediderunt. Proſperi eventus ſpes in rei gerendæ celeritate poſita erat. Nam Germani ad Rhenofeldæ periculum, quà, traducto amne, iter in Haſſiam Moguntinamque regionem aperiebatur, contrahebant e proximis hibernis copias, auxiliatum ituri. Itaque Harcurtus re ſemel ferociuſque tentata, in unius pugnæ caſum tradendum ratus quicquid militum longior cautiorque oppugnatio conſumptura foret, utrinque ad foſſæ labrum, in eam deſcenſurus, certamen accendit. Magnis ibi, utpote in quo rerum ſumma verſari videretur, viribus animiſque pugnatum eſt. Ter Galli impreſſionem dedere, tantumque perduruerunt dimicando atque impellendo ut Germani tandem impetu abrepti ceſſerint loco. Sed citò regreſſi majori numero, illos aggere nondum confectos viciſſim repulere, conſperſa cadaveribus humo. Nec ita multo poſt duode-

devicenis catapultis in adverſa ripa, ad quam 1693.
occupandam vires Harcurto non fuerant, conſtitutis, intermediam Gallorum ſtationem ita divexarunt ut illinc abire abductaſque machinas interius locare, quò jacula non pervaderent, neceſſe habuerit. Nihilo ſecius animos Harcurtus non demittebat, urgebatque vineas iterum irrupturus; quamquam præſidiarii, ex adverſa ripa novo quotidie milite recreati, ſæpius erumperent carperentque non ſine mutua cæde quidpiam producti ac ſubeuntis aggeris. Quod ubi Landgravius Caſſellenſis, cui ea provincia mandata fuerat, compertum habuit; veritus ne ſi diutius cunctaretur ſuppetias ferre, arx obſtinate concuſſa in diſcrimen veniret, Rhenum, conflato decem millium exercitu, ad Confluentes trajecit, cum hoſte congreſſurus priuſquam novis accreſceret copiis, quas idcirco apud Montem regalem conveniſſe noverat. Harcurtus cùm paratam ſibi opem in tempore non affuturam percepiſſet, priuſquam impar elici ad pugnam poſſet, poſtridie Kal. Jan. obſidionem ſolvit. Nulla ſe referentibus pernicies obtigit. Præmiſſæ machinæ atque impedimenta. Pedites deinde ſubſequuti. Equitatus agmen clauſit. Steterat autem in ſuos digeſtus ordines, quouſque pedites atque impedimenta præceſſiſſent, ut Germanis, ne impedirent abeuntibus iter, tempus aut animos præ-

Germani ad opem ferendam ſigna movent.

Galli diſcedunt

1693. præriperet. Duo curulia tormenta, pyrolmus & parum bellici apparatus, quibus revehendis jumenta non ſuppeditarunt, in oppidanorum poteſtatem conceſſere. Galli, quà cæſi quà vulnerati, prope mille. Germanis defenſæ arcis urbiſque gloria minoris ſtetit. Non eadem fortuna Fœderatos in Belgio manſit. Furnas Dixmudamque a Gallis deſertas Angli dudum ingenti molimine ſepſerant externis propugnaculis firmaverantque frequenti præſidio atque omni militari inſtrumento commeatuque; ſpe Dunquerquam inde, maritimum fortiſſimumque oppidum in proximo ſitum, primo vere in ſuam ſubigi ditionem poſſe. Quod avide percupiebant & quia non multos ante annos ab ſe divelli ac pretio diſtrahi Ludovico Regi, ægre viderant; & quia nunc piratica ſibi infenſam experiebantur. Spem diremit Beuflerſi Marchio, qui per eos ipſos dies, quibus Tallardus Rhenofeldæ, Guiſcardi Comes Huyo ad Moſam, Furnis copias admovit. Vicena ſecum adduxerat hominum millia. Oppidum cum quatuor millibus tuebatur Horni Comes, qui ubi hoſtem comperit ad ſe venire, ſuppetias Octoviro Maximiliano rogatum miſerat. Is ancipiti primum diſtractus cura (nam & Huyo timebat) incertuſque quò iret ipſe, majoreſque intenderet vires, Furnas tandem, urgentibus Britannorum ducibus, quorum præcipue res interat

Britanni Dunquerquæ inſidiantur.

Gallis eluſi.

Qui pariter ab Huyo oppugnando recedunt.

rerat, potiores habuit. Itaque ad Tſerclaium Leodienſium copiarum præfectum, qui circa Tillemontium hyemabat, unam peditum legionem, decem levis armaturæ equitum, duas ſagittariorum duci juſſit, quibus ille ſuas conjungeret, Huyoque depulſis hoſtibus, Leodium, quod illinc parum diſtat, extra diſcrimen poneret. Nec mora viam ingreſſus, eos citò convaſaſſe ſibique conſuluiſſe reperit. Guiſcardus enim ſimul ac novit Tſerclajum adventare, ſigna Namurcum retulit, contentus, ut Rex eventurum putaverat, e Flandria illuc non parvam diſtraxiſſe Fœderatorum manum. Bojoarius Neoportum, unde Furnæ ſex tantùm diſtant paſſuum millia, progreſſus, e vicinis oppidis ad tricena millia coegerat, quærebatque Furnenſibus opem ferre. Loci naturam ſpeculatus, rivis plurimùm ac ſtagnantibus aquis impediti; quà verò iter patebat, occupati ſubitariis munitionibus, quas per eos dies Galli conſtruxerant; nactuſque, ſi vim inferret, certum ſibi periculum adeundum; inducere in circumjacentem oram apertis cataractis oceanum atque obruere, ni recederent, hoſtium caſtra, conſilium cœpit; cùm præſertim non ignoraret, Villarſi Marchionem prolegato quinadena armatorum millia propius Beuflerſum adduxiſſe, ut hujus ope, ſi foret uſus, exercitum augeret. Flandria provincia, ut reliquum Belgium, qua parte

1693.

Furnis ſuperandis inſiſtunt.

Ab apertis cataractis haudquaquam damno affecti.

1693. te mari alluitur, humili jacet ſolo, quod eminentes fluctus inundarent, ni continui arenarum tumuli, vel naturæ beneficio vel æſtu ferente agglomerati, litus circumſepirent. Horum præſidio tellus ibi olim inculta, horridis vepribus ac paludibus occupata, cultum accepit, feraciſſimaque nunc ſplendet gleba. Unde verò certa incolis proditura pernicies videbatur, nunc ſalus cuſtoditur. Quippe ab nobilioribus, quæ ad mare ſedent, oppidis, ſi nequeant armis, pelagi alluvione hoſtem prohibent. Nam aggere identidem perforato, demiſſæ cataractæ retinent furentes aquas; ſuſpenſæ, terribili fragore in longum terrarum ſpatium admittunt. Quæ proximæ Neoportui ſunt, caſtello muniuntur ne invitis oppidanis e cujuſpiam arbitrio recludi queant. Eò ſtatim Beuflerſius legiones adduxerat, ratus præſidium concuſſum metu, vi non expectata, ſe dediturum. At poſtquam, accepto feroci reſponſo, fidem non deſerturum comperit, eas circa Furnas reduxit, veritus parabilem, quandocunque hoſtis vellet, ex oceani alluvie ſibi cladem; excitavitque ad ſubitos caſus per editiora loca munitiones, quas memoravimus. Mare, aperto aditu, terras ingreſſum oppoſitam potius oram, utpote humiliorem, Brugas verſus inundavit. Quocirca Beuflerſius, Villarſi copiis ad ſe vocatis expeditiſque arietibus urgere Furnas inſtituit. Unum dura-

Quid Cataractæ, earumque uſus.

duravere diem, cùm Hornus præfectus, honeſtas præſidio pactus conditiones, ita ſiquidem a Bojoario acceperat, Neoportum diſceſſit. Dixmuda, priuſquam hoſtis accederet, vacua deſerta. Hujus decuſſa propugnacula; alterius retenta inſeſſaque frequenti milite, cui victum commeatus ingenti copia utrobique inventi præbuere. Mox, hyems namque ſæviebat, reditum in hiberna. Quæ dum foris aguntur, ubique domi per idem tempus Principum ac populorum ſolicitarunt animos non leves curæ. Vilhelmo Regi ſuſtinendæ erant Britannorum querelæ, qui Furnis Dixmudaque amiſſis, argumentum ex eo capiebant, prorſus Dunquerquæ recuperandæ ſpem defeciſſe; quo nomine tantam ab Concilio pecuniam expreſſerat, quanta in reliquum bellum ſuffectura videretur. Famæ quoque ſuæ metuebat, infelici armorum, ſe duce, adversùs Gallos eventu debilitatæ; quò nihil periculoſius novo Principi, una præſertim virtutis ac bellicæ laudis opinione majeſtatem tutanti, civium benevolentiam rerum geſtarum gloria atque utilitate. Verùm, ut erat moderandæ avertendæque popularis procellæ expertiſſimus, compreſſit omnium voces turbandique voluntatem, facta iterum ſpe melioribus auſpiciis invadendi maritimam Galliæ oram, ſimul ac mare fidum navigantibus ſe ſe aperiret. Non enim illam ab ſe repulſuram funeſtam

1693.

Hinc Britannorum querelæ in Vilhelmum Regem.

Quas facile diſſipat.

1693. ſtam calamitatem, aperto victrici claſſi pelago, nec ubique munitionibus excubiiſque clauſo litore. Hæc viciſſim in graves inijciebat curas Ludovicum Regem, jam prope deſperantem ſibi & Jacobo Regi uſui fore ſæpius inaniter commotos Britannicos tumultus; ac metuentem ne tanta ſuæ gentis multitudo dudum a Calvini erroribus revocata, quos tamen nondum penitus animo expuliſſe opinio erat, domeſticas turbas agitaret. Accedebat annonæ caritas, qua non parum hoc anno Gallia confligtabatur. Nihil tamen a providentiſſimo Rege non explicatum. Rei frumentariæ conſuluit partim invectis partim conquiri & in publicum educi juſſis, quæ occultabantur, frugibus æquiſſimeque diſtributis; maritimæ verò circa oceanum oræ, aucta claſſe ad bellicas duas & nonaginta naves, incendiarias ſeptem ſupra tricenas; excitatis, ubi opportunum appellendo litus eſt, munitionibus; datoque triginta millium exercitu, nihil alibi imminutis viribus, Aurelianenſium Duci; quo, ne deſcenderent aut ne manerent, vetaret hoſtes. Nova hinc pariter Viennenſi Aulæ fluctuandi materies, reputanti Gallicas copias, uſque adhuc ad Oceanum diſtractas, circa Rhenum minori numero excubaſſe; liberum proinde fuiſſe Cæſari, Turcicum urgere bellum majori exercitu ac refrænare Barbarorum audaciam, qui elati animo, quòd

Ludovici Regis moleſtæ curæ qua providentia diſcuſſæ.

Ejus terra marique bellicus apparatus.

Cæſar quomodo ad utrumque bellum ſe comparat.

quòd ab Hemskerchio Pagetoque legatis ad foedus reconciliandum effuſo nimiùm ſtudio ſollicitarentur, ſurdas ejuſmodi officiis præbebant aures. Nunc autem ex tanto Ludovici Regis apparatu clam non erat, nihil Germanis priſtinæ ſollicitudinis deceſſurum. Et ea Cæſarem mordebat cura, quòd Sarmatæ jampridem ærumnarum tædio & nunc variis ſuſpicionibus exagitati alienam ab Turcico bello voluntatem gerebant. Metus illos inceſſerat, ſeorſum Cæſarem de componendis cum Thrace diſcordiis per eos ipſos legatos agere inſtituiſſe. Ab his enim cum diu nullæ aut inanes literæ Viennam advenissent, quocirca Fœderatos latebat, quid Adrianopoli de ſtatuendæ pacis negotio fieret; Sarmatis ſilentium iſtud ſuſpectum evaſerat excitaveratque eò liberiores finiendi belli ſermones, quò, vexato hibernis Cepuſio, nihili ſe fieri nullamque ſui duci rationem acerbe dolerent. Hujus provinciæ ad Carpathios montes, quibus Polonia ab Hungaria dividitur, pars major anno quinidecimi ſeculi duodecimo a Sigiſmundo Cæſare Uladislao Sarmatiæ Regi ob florenos Pragenſes octogies mille pignori oppoſita nec deinceps unquam repetita, in Lubomirſcorum Lithuanorum procerum poteſtatem pretio addicta conceſſerat. Immunem adhuc militari licentia intempeſtive Germanorum globus traducendis hibernaculis acceperat; incertum,

1693.

Polonis ſuſpectus & quare.

De captis in Cepuſio hibernis inſimulatur

1693. tum, neceſſitate an in Principem odio, qui modò illic rerum potiebatur, eratque illorum opinione Gallicæ factioni obſtrictus. Is enimvero cauſam Reipublicæ cum ſua conjunctam orare aggreſſus, tantas ubique commovit turbas ut miſſum ab Cæſare Comitem Noſtitium, qui Regem, Senatum, Concilium gentis, per id temporis Grodnæ coactum, ad bellum incenderet oſtenderetque: unam hanc eſſe viam, qua ſibi timere ab Turcis deſinerent ſtabilemque ſalutem retinerent; contracta fronte audierint, haud taciti, fœdus prope diſſolutum iri, niſi Cepuſium Germani vacuum relinquerent, ſponderetque Cæſar eò non redituros, nec ſe unquam vetera in eam regionem jura Hungarici regni perſequuturum, quæ Rodulphus Imperator Pannoniæ Rex, reddito ſibi Maximiliano Archiduce, in prælio a Sarmatis capto, pace ſequeſtra dimiſerat. Res aliquot menſes cum Samuele Poſchio Joannis Regis legato Viennæ diſcuſſa. Leopoldus declinandæ ſagaciter contentioni, quæ non ſuo tempore in-

Eaque excuſat. cenſa videbatur, nunc ſe inconſulto illic Germanos hyemaſſe, dicere; nunc dare fidem, ne rurſus accidat, cautum fore. Abnuere ſimul, ſolemni diplomate in eam provinciam qualecumque ſibi adhuc ſupereſſet, jus abdicare. At cùm Sarmatæ nihil remitterent, in ipſorum denique (ſed jam æſtas abierat) ſententiam conceſſit.

Quam-

Quamquam iis alia ſuberat cauſa longe major inclinandi ad pacem animos, jamdiu feſſis militiæ labore, fractis tædio atque ærumnis. Rex, ut lege jubetur, provinciarum conventibus, quicquid Scytharum legatus, adhuc Senatuſconſulto apud ſe detentus, de componendis Regulo ſuo auctore cum Thrace diſſidiis attuliſſet, renunciaverat. Id avide magniſque lætitiis ubique auditum. Ante omnium quippe oculos obverſabantur inflicta populationibus aut privatim ſibi aut Reipublicæ fæda vulnera & prope inulta; quæque metus erat, niſi ab armis ceſſatum foret, mox accipienda eſſe, neglecto exercitu ſolutaque diſciplina. Satis ſuperque, vociferari, pro tuendo ſacro fœdere datum ſanguinis aut damni acceptum. Nec ſibi, ſi tandem poſt acerbiſſimas calamitates proſpiciant honeſta pace, ullam violatæ fidei notam inuri poſſe, cùm primas curas naturæ lege patria ſibi vindicet; atque impietatis arguatur, quiſquis ejus pernicie aliena commoda curare velit. Itaque ſuis ad totius regni concilium legatis mandaverant, ii præſertim, qui vaſtitatis periculo propiores erant, ut pacis negotium urgerent; & quam Sarmatarum gratiam, oblatis injuriis diuturnaque animorum alienatione, Germani contemnere viderentur, Achmeti ultro illam æquiſſimis conditionibus poſtulanti addicerent. Res in concilio agitari cœpta, mole-

1693.

Sarmatæ pacem cum Turcis inſtaurare cupiunt.

1693. leſtiſſimis contentionibus involuta eſt; quæ deinde ad jurgia, ad tumultus, ad arma inter diſſidentes progreſsæ, illud turbarunt diſsolveruntque. Socialem fidem tandiu proſequutis retinendam ad belli uſque finem, nec levi declinando, quod ſuperſit, incommodo corrumpendum fructum ſervari non ſine ingentibus ærumnis adhuc fœderis, Rex & quotquot Auſtriacæ factionis erant, ſuadere adnitebantur. Quos cùm expugnare pars major legatorum non poſset, omnium deterrimum conſilium inivit, infecta pace, enervandi belli, non decreta militibus in ſtipendium pecunia conventuque dirempto. Id enim Sarmatis, ut aliàs narravimus, in promtu eſt, lege reliquis nationibus non inſueta ſolùm ſed prope incredibili; qua tanti momenti negotium concidit, ſi vel unus legatorum ab aliis in aliqua re gerenda diſsentiat, diſſenſuque publice denunciato, cœtui ſe ſubripiat. Quod nunc evenit, duobus inventis, qui eroganda in bellum tributa tolerandaque hiberna repudiaverint, clam illicò elapſi, metu ne in aliorum ſententiam vi adigi poſsent; ut non rarò apud ipſos conſueſcit. In tantis animorum fluctibus, ne reſpublica naufragium faceret viſum eſt Regi ac Senatui obſecundare civium deſiderio, decreta Revonskii Chelmæ prætoris ad Scytharum Principem legatione, qua quæ per internuntium de reconcilianda concordia pro-

Fruſtra obnitente Rege.

Decernunt legationẽ ad Scytarum Regulum, ut de conditionibus inquirat.

propoſuiſset, magis in apertum proferrentur: 1693.
Senatuſconſultum Rex Fœderatos, exoneraturus quodammodo fidem ſuam, latere noluit admonuitque ſe invito expreſsum, ſed curaturum ne ullum inde communis cauſa detrimentum faceret. Hæc eò magis Cæſarem ſolicitabant, quò ab Sarmatis prope deſertus ægrius barbarici belli ferebat onus. Ceterùm nunquam ratus, Turcas niſi penitus fractos ad ignobilem, nec e priſtina fortuna, pacem adductum iri, omnes in Hungarico inſtaurando exercitu, ornandaque ibi re militari commeatibuſque parandis contendebat nervos, mandata horum procuratione Heuslerio prolegato dataque Comiti Antonio Carrafæ, qui ea minus belle ob imperioſam indolem defunctus fuerat, Romana legatione; quam tamen illum obire, mors brevi morbo acccelerata vetuit. Simul corrogata, unde magis licuit, pecunia collectiſque ab Octoviro Brandeburgenſi militum ſex millibus, quatuor a Brunſuicenſi Regulo, acceptoque iis legionibus ſupplemento, quas antea Daniæ Rex, Bojoarius, aliique ſubmiſerant, exercitum quadragies millium, præter legiones ad Transylvaniæ tutelam Veteranio datas, Croiæ Duci gubernandum attribuit. Nam Badenſem finitimæ Rheno provinciæ ſupremum belli per ea loca moderatorem ab Cæſare obtinuerant, verito ne ſi negaſset, adire am-

Croyæ Dux ad Hungaricum exercitum moderandum mittitur.

Badenſis ad Rhenanum.

1693. amplius tot ærumnarum, quas hactenus pertuliſsent, periculum nollent, induciaſque cum Gallis paciſcerentur. Cæſarem Turcico urgendo bello vehementer intentum Veneti pari ſtudio proſequebantur, ſagaciter arbitrati, cùm utrinque laſſeſcerent vires, parum adhuc ſævire bellum poſse; & poſtremos conatus, aucta hinc roboris opinione, dum pacificandi conditiones aguntur, eas meliores vel ab invitis eripere.

Veneti urgendo bello provident.

Ubi Venetias ſub autumni finem appulit nuncius improſperæ ad Cydoniam expeditionis vaſtatæque Peloponneſi, non magis, quid modò fortuna tuliſset, perculit patres, quàm quid in poſterum minitaretur, niſi frænum jam prope diſcedenti imponerent. Prima ipſorum fuit cura, novum legionibus imperatorem præficere, qui melioribus auſpiciis bellum gereret; inſito mortalibus ingenio calamitatum culpam eò conferendi, ubi facilius piari queant. Mocenigus veteri apud civium complures invidia flagrabat neglectæ aliquando, ſi quidpiam ipſe melius ſe cogitaſſe crederet, Senatus auctoritatis; rigidique in æmulos animi, virtutis fiducia, contemptu repulſæ atque aſperitatis, quibus non ſemel ejus dicendi agendique libertas compreſſa fuerat. Duæ recenter ad invidiam inflammandam acceſſerant cauſæ; una, quòd Antonium Zenum Peloponneſi prætorem repetundarum accuſatum, ab

Mocenigo imperatori infenſi, & qua de cauſa.

Digitized by Google

ab Senatu quæſtionem juſſus inſtituere, in carcerem condi mandaverat; iſque fuga Venetias dilapſus, purgato crimine, ſui miſericordia impleverat Senatorum animos, ac ſuperbæ contentionis æmulum inſimulaverat, quam ſatiare civis ignominia, magiſtratus dedecore voluiſſet. Altera, quòd rei apud Cydoniam male geſtæ redarguebatur, quaſi pavido, non cauto abeundi conſilio facinus corrupiſſet. Sic enim Senatui Trautmeſtorfus renuntiaverat, primùm literis, mox præſens, citò Venetias advectus purgandæ præcipue cauſa male ab ſe inſtitutæ Cydonienſis oppugnationis, quo nomine a Mocenigo ſevere accuſatus fuerat. Huic igitur cum majora comitia creandis magiſtratibus haberentur, Veronæ prætura (ſic enim ab exercitu tacite abducebatur) mandata eſt; ejus ætati geſtiſque honoribus non æquum munus. Ubi de ſucceſſore deligendo conſilium haberi cœptum, in Franciſcum Maurocenum, ſupremo fungentem reipublicæ magiſtratu, pars major Senatus inclinare viſa. Ille rogatus, an ſuam tractandis armis ducendaque claſſe navare iterum patriæ operam vellet, ætatem (natus erat annos quatuor & ſeptuaginta) excuſavit. Verùm extimulatus communi plauſu, fatigatuſque admonentium precibus: ejus ductu auſpicioque auctam rempublicam & modò ab aliis minus commode geſtam, ut vel vincendo rurſus au-

1693.

Illum ab exercitu revocant.

Armorum imperium Mauroceno Reipublicæ principi mădant.

1693. augeſcat vel ſaltem ne detrimentum faciat, fortiſſimi imperatoris præſidium quærere, nec quidquam dolentiùs laturam quàm, quod ab ejus virtute promptum paratumque ſibi crederet, non retuliſſe; ſe ſe in reipublicæ poteſtate futurum dixit. Res ad univerſum patrum Concilium delata, lætis animis accepta eſt, decretùmque: obſecrandum ab Senatu Ducem ut armorum imperium, quod ter antea ſumma cum laude geſſiſſet, nunc denuo moderandum ſuſciperet, cumularetque novo rerum maximarum decore patriæ gloriam. Geſtiens ille tam illuſtri civium de ſe judicio, e ſella curuli aſſurgens detraxit capiti cornutum regium inſigne; quo ſalutationis genere Princeps reipublicæ nunquam utitur, niſi cùm primùm patribus acceptæ ſupremæ dignitatis gratias agit. Paucis deinde, ut illi neruoſus potius quàm facundus ſermo erat, Senatum alloquutus: non

Hujus ad Senatum ſermo. ego, inquit, Patres conſcripti, otii dulcedine patriæ ſubducebam quod parum adhuc mihi ſupereſt vitæ, dum rurſus veſtra ducere ſigna detrectabam. Verebar ſolùm ne, quando non eædem corpori vigente licèt animo ſuppetunt vires, quas, tamdiu pro ſalute publica militiam ſequutus, conſumpſi; tanti muneris locum non ſine reipublicæ damno melioribus occuparem. At cùm alia, qualiſcumque ſit, vos maneat ſententia, non eam ſequi, religio mihi eſt.

1693.

eſt. Veſtræ igitur voluntati morem geram, & quod bonum fauſtumque Veneto ſit nomini, ad bellum iterum proficiſcens, precor veneror-que Superos immortales ut, qua dudum, fœlicitate fortunare arma velint; me verò ea cumulent gloria, ut veſtrum Imperium, quod non multo ante bonis auſpiciis dilatavi, moriens in ampliores iterum productum fines noviſque tropæis ornatum relinquam. His omnibus læto murmure plauſus datus, putantibus aliis aut Mauroceno Principe aut non alio imperatore Venetam armorum fortunam excitatum iri; blandientibus aliis, ne aliena dolere laude viderentur. Sapientum, uti vocant, Collegium, graviſſimus in ea Republica magiſtratus, ſuboſcure muſſitaverat: militare imperium ſupremæ dignitati non committendum. Hinc enim libertati non ſemel paratæ inſidiæ, creatumque periculum nec facilè diſſipatum. Non tamen publice in Senatu, ut moris eſt, ea de re verba facere, induxit animum, præoccupatis mentibus opinione futuræ Mauroceni ductu fœlicitatis; nec facilè ſuccurrebat, (poſt longam meditati olim ſceleris oblivionem, potentioreſque nunc hominum cupiditatibus leges) perverſa invadendæ libertatis conſilia, cuipiam cadere in animum unquam poſſe. Deinde ad gerendum pro Principis majeſtate bellum converſa omnium cura. Legati primùm in Græciam

Datam Duci armorum præfecturam non omnes probant; nemo palam diſſentit.

1693. dimiſſi, qui rerum ſtatum inquirerent, ut eo comperto Senatus perpenderet, quid ibi opus foret. Citò renuntiarunt, exercitum ad octo millia redactum, quorum duo morbo aut vulneribus laborarent; navales apparatus imminutos; reliqua valere; hoſtem in rem bellicam ſedulò incumbere, ac minitari non ſe ſuis finibus contenturum. Itaque Senatus conſularem exercitum ad ſexdecim millia ſuppleri juſſit, conſcriptoſque ingenti ſumptu milites in Rhætia, Italia, Germania, Helvetiis tranſportari, claſſemque navium numero augeri atque inſtrui ad terreſtres expeditiones armis & commeatu. Qui armorum præfecturam gereret, creandus erat; nam Trautſmendorfo eam rurſus committere patres abnuerant; nondum extincta apud Mocenigi præſertim fautores ſuſpicione rei ad Cydoniam ejus incuria non bene geſtæ. Secundas averſabatur, quas demum ea conditione accepit, ut operam locaret, ubi nemo, qui ſigna duceret, ſibi præeſſet; ſic enim vel cum Polano conventum fuerat. Neque verò curandæ pecuniæ neglectum ſtudium. Centum Venetorum ducatorum millibus voluntariæ provincialium largitiones ærarium locupletarunt; non levi ſumma civium ſocietates, venditumque octavi Alexandri Pontificis maximi auctoritate patrimonium Cœnobii a Carceribus nuncupati; exules convento pretio reſtituti; aliquot familiis cum ſuffra-

Quæ ad bellum e dignitate gerendum erant, ſedulò proviſa.

fragii jure, centum erogatis millibus, data civitas; tres patritiæ gentis in Marciorum Procuratorum collegium quinis vicenis millibus aſcripti. Hæc lætis animis agebantur, nihil niſi augendæ reipublicæ ſpem cogitantibus virtute auſpicioque Mauroceni Ducis. Ad quam & ipſe ſpem cives eò magis erigebat, quò firmatis mentis alacritate corporis viribus, ubique præſens aut urgendæ navium conſtructioni aut civilibus & militaribus expediendis negotiis impigre aderat. Ad eam quoque fovendam faciebat rumor, qui plurimus de Byzantinæ Aulæ tumultu, quamquam fallente fama, per hos dies invaluerat. Ineunte anno deceſſerat quartus Mehemetes, jampridem ſolio detruſus detentuſque domi liberali ſed arcta cuſtodia, ut narratum fuit. Veneno ſublatum fratris juſſu communis opinio fuit, nec res ab ſuſpicione abhorrebat. Fertur enim Achmeti ſuboluiſſe, in Regia conſpiratum ut, ſe in ordinem coacto, iterum Mehemetes ad moderandum Imperium adhiberetur; quem magna Purpuratorum pars regnandi potentiorem noviſſet, & modò calamitate mollitum, alienis conſiliis faciliorem crederent; Achmetem verò politicæ artis imperitum, ſui arbitrii atque obfirmatæ mentis (qua Principis indole nihil non reipublicæ metuendum) reputarent. Hæc inter veteres Mehemetis amicos familiaribus agitata ſermonibus, & non-

1693.

Mehemetes Turcarum Rex pridem exauthoratus moritur.

Quæ inde in Achmetem conjurationis oborta ſuſpicio, & quomodo diſſipata.

1693. nondum Aulam egreſſis, Viſirio atque ærarii præfecto placuiſſe dicebantur; relataque Achmeti (ut levi plerumque impetu dominandi cupiditas ad atrociora impellitur) fratri mortem properaſſe. In animo quoque ei fuiſſe, duos illius liberos neci dare, ne conjuratio haberet ultra quò ſe conferret. Satis quippe Othomanorum conſervandæ ſtirpi in geminis aliis cautum eſſe, quos dudum ſibi uno partu ediderat regia coniux; hujuſmodi autem conſilio abſtinuiſſe, ab ſummo falſæ religionis Antiſtite ſevere admonitum: Principum vitia vulgus ferre, niſi inhumana; hæc horrere atque ulciſci. Quæſtor Viſiriuſque in exilium pulſi nec ita multo poſt capitis condemnati. Supremus magiſtratus Muſtapho Byzantii prætori datus, cui Regis nupſerat germana ſoror. Ancipites illi fortunæ caſus cogitanti, licèt in bellum intento, non diſplicebat pacis mentio, quæ ſibi ſtatim ab Hemſkerchio Pagetoque legatis injecta fuerat. Verùm cùm ipſius Regis ac Purpuratorum ſententia in contrarium tenderet, obniti non eſt auſus. Igitur eò diligentius, quò ſuo periculo rem neglexiſſet, ab omni ampliſſimi Imperii parte milites, pecuniam, commeatus colligere; Danubianam augere claſsem; ubique objecta hoſtibus munire oppida; Scythas, unde ingentem equitatum attraheret, ſibi conciliare, in ſolium reſtituto Selimo Gereio, cujus dudum ex-

Turcarum ad bellum diligens apparatus.

exauthorati deſiderio infrequentiores ad Turcica ſigna ſuperiori anno convenerant, & modò hac mercede non pauciores triginta millibus ſe adventuros pollicebantur; Selimum quoque, miſſo gemmato enſe atque acinace & quinque aureorum Venetorum millibus, quin & ipſum in Aulam vocando, ut rebus communi conſilio decernendis intereſset, privatim demulcere. Nec ſui oblitus, Mehemetem Janizarorum præfectum, quem ſibi æmulatione adverſum opinabatur, clam calumniatus, eo inſigni militari imperio dejectum, Damaſcum dimitti, prætoris ingrato munere defuncturum, & alium in ejus locum ſubſtitui ab Rege obtinuit. Iis explicandis æſtas adoleverat. Interea Germani principio Veris, ne tempus, quo expectandi auxiliares erant, otio traducerent, Hungariæ cis Mariſum flumen oram, quæ Tranſylvaniam contingit in ipſamque facilem præbet aditum, coacto duodecim millium exercitu Heuslero duce, ab Turcarum præſidiis expediendam ſtatuunt. Jenum primò propiùs fines poſitum aggrediuntur. Octo inerant armatorum centuriæ cum feroci præfecto, qui ad deditionem invitatus, machinarum boatu reſponſum dedit. Itaque vis adhibita. Oppidum indefenſum portas aperuit. Ad arcem bidui ſpatio (cùm præſidium intra mœnia ſe contineret) vallum promotum, diſpoſitæque machinæ tantam brevi mœ-

1693.

Cæſariani Jenum in Hungaria occupant, prius cum cæde repulſi.

1693. mœnium ſtragem edidere ut per ruinas tentari aditus poſset. Ad hujuſmodi facinus mille peditum expertæ ſtrenuitatis ſelecti, quibus exercitus omnis in aciem eductus auxilium, ſi foret opus, ſimul hoſtibus terrorem laturus erat. Præfuit rei gerendæ Carolus Thomas Principis Valdemontii filius (nam fortè Heuslerus ægrotabat) qui juvenili ardore, dum prælium exacuit, dimicantibus ſe ſe immiſcuit, leviter telo caput ictus. Verùm cùm Turcæ veſtigio non ſe moverent adimerentque irruentibus perrumpendi ſpem, ille agmen retulit quadringentis imminutum, poſtridie inſtauratis viribus rediturum. Quod oppidani facilè ſuſpicati, facta honeſtis conditionibus deditione anteverterunt novam pugnam, cui ſe fore impares arbitrabantur, ſuorum ducentis eo pariter die ferro conſumptis. Triginta inibi repertæ majores catapultæ, parum bellici apparatus, annona vix non deficiens. Vlaſcovarum deinde caſtellum ſponte ceſſit, tradentibus præſidiariis, qui centum quinquaginta numero Temeſuarium & ipſi incolumes abire permiſſi ſunt. Julia ſupererat, quam circumfuſam per eos dies ſtagnantibus aquis, quia moràm fecisſet, intactam reliquerunt, veriti ne indicta ſibi ad conveniendum cum reliquo exercitu dies abiret. Media is tandem æſtate, contractis undique auxiliis, ad Petri Varadinum coaluerat. Ibi majores militiæ

litiæ præfectos Crojæ Dux ad ſe vocatos, quò ſigna verti oporteret, conſuluit. Nam Viennæ id unum deliberatum ſuerat apud Cæſarem, quidpiam ſcilicet in Turcas memorabile audendum eſſe; non aliter quàm rurſus terrore fractos, oppida & quicquid amiſerant, pacis pretium in aliena poteſtate relicturos. Variatum tantummodo ſententiis fuerat, quòd alii Temeſvarium, alii Albam græcam oppugnandam ſuaſerant; illud utpote ſubigendo facilius, Tranſylvaniæ ſimul Hungariæque periculoſum; hanc non minoris utilitatis, ſed longe majori metu ac dolore Barbaros, gloria Cæſarem cumulaturam. Rejecta ad militare conſilium rei ſumma, Crojus, poſtquam dicendo plurimùm contendiſſet, vicit ad Albam græcam ſigna duci; quod ingenti omnium alacritate plauſuque auditum eſt, imbutis falſa opinione animis: Turcas ferendo obſeſſis auxilio non tanti fore. Enimvero quid ipſi militum collegiſſent, quòve profecturi eſſent, clam Germanos tamdiu fuit, donec hoſtem in conſpectu habuere. Idque ſeu incuria ſeu præmii tenacitate acciderit, magnam perniciem iis attulit, ſua moderatis conſilia ex incerta opinione. Thraces conſcripſiſſe hominum haud amplius quinquagena millia, eorumque partem, Scythici præſertim nominis, cum Tebelio in Tranſylvaniam iter arripuiſſe, partem ab Achmete non diſceſ-

1693.

Collectis undique Copijs, quid agendum delibe. rant.

Albam græcam oppugnandam decernunt.

1693. ſuram, in quem conjuratum iterum fuiſſe, atque Aulam Imperiumque inteſtinis diſcordiis vehementer diſcerpi mendax rumor obſcuris auctoribus diſſipatus increbruerat. Proſperi quoque ſucceſſus faciebat omen aſtute deceptus Temeſvarii prætor. Scripſerat Segeduni præfecto, hanc falſam in Turcas opinionem inducturus Crojæ Dux, ut commeatus expediret legionibus mox illac Temeſvarium progreſſuris. Literæ commiſſæ vago per ea loca Ruſtico in Temeſvarienſis prætoris manus pervenerant, prompto facilique eventu, ſic enim Crojus putaverat, ab ejus oppidi præſidiariis, quos late inſidiari itineribus noverat, interceptæ. Ille fraudem non ſuſpicatus atque oppido metuens, opem illico ab Alba græca, unde ſolum dari poterat, acccerſivit, impetravitque militum tricenas centurias, arma, commeatus, aliquot etiam tormenta; imminutis proinde illic ad obſiſtendum viribus. Rebus ita diſpoſitis, juſſoque Veteranio legato inſidere, quà iter patebat, Tranſylvaniæ ſaltus, Germani ad quadragies millies, Savum cupide trajecturi, ſigna ſequuti ſunt. Amnis

Savum ſuperant. ſupra ripas effuſus late ſtagnaverat interceperatque viam, quam tentare per ignota vada uliginoſumque ſolum, temeritatis potius quàm audaciæ plenum videbatur. Anxiis, quid agerent, exemere curam agreſtium plures, qui obviam progreſſi pactique præmium monſtrarunt,

quà

Digitized by Google

quà humiliores aquæ nec fallens humus tranſitum darent. Emerſis de palude ac tandem in ſicco figentibus pedem flumen tranandum erat. 1693.
Præmiſſi, qui ulteriorem ripam ſpecularentur, quini viceni milites vacuam reperiſſe dedere ſignum. Extemplo lintribus quingenti alii traducti Vidone Starembergio duce, qui ſubitario vallo tutum redderent tranſmittentibus locum. Quamquam nullum obiecere Thraces impedimentum, omnique liber ſolicitudine exercitus in adverſum ripam tranſuectus eſt. Crojus fœlici ſucceſſu lætus, confirmataque opinione, modico inſideri præſidio Albam græcam; quippe quod extenuatum invecta Temeſvarium ope nón ſe ſe ſuperantibus amnem oppoſuiſſet; leve proinde negotium exhibiturum, eò infeſta promovit ſigna. Ab Savo ad Danubium, ſignato non ſemel tramite, erigi jubet vallum; dein bifariam militarem aggerem ad urbem duci. Vix parum proceſſerat, cùm quatuor præſidiariorum millia ab externis munitionibus in ſtationes erumpunt, quæ præoccupata opinione, detineri metu intra muros hoſtem & nihil auſurum, incurioſe diverſabantur. Trecenti ferro abſumpti, reliqui fuga intrà vallum ſe condunt; deletur congeſta humus, idque levi Turcarum cæde. Nec eò ſtetiſſet incœpta clades, ni Crojus ipſe cum aliquot legionibus periculo ſe ſe objeciſſet, retudiſſetque ingruentium fero-

Oppugnatio Albæ Græcæ deſcribitur.

Mmm 2 ciam;

1693. ciam ; qua compreſſa promptum fuit, eos intra mœnia compellere, majori ſubinde multatos nece. Experti didicere Germani, quod & transfugæ referebant, non ſibi cum invalido præſidio rem eſſe. Octo millia inerant Janizarorum, decem prætorianorum equitum centuriæ, quibus addebat robur Zefferus prætor, egregius militari ſcientia, invictus animo ac fide. Nec quicquam deerat, quod ad victum, ad bellum in longam obſidionem foret opus. Et ad veteres munitiones aliæ nuper acceſſerant, præſertim cornutum caſtellum, ubi meridianum latus ad orientem inflectitur. Promurale quoque ſolum quatuordecim cuniculis ſuſpenſum fuerat, juſſo Andrea Cornelio Cretenſi, vi ab Turcis detento, in id ſedulam dare operam, ſuo ni male capiti conſultum vellet. Quod ut ingratiis extortum pateret, clam ille ſubmiſit, qui obeundi, ni caverent, diſcriminis Germanos certiores faceret. Hi proinde lentius aggerem promovebant, terram ubique altius molientes, incerti, quouſque cuniculi caput inſeruiſſent. Opus etiam tardabant oppidani, prope quotidie cum foſſoribus excubiiſque manus conſerentes, nunquam tamen impunè habiti. Germani enim ad repellendum frangendumque ipſorum impetum firmabant amplioribus caſtellis ſtationibuſque aggeris angulos. Sed majus aderat oppugnatoribus periculum ab fluviatili claſ-

Quantum in ea præſidium.

Digitized by Google

claſſe, qua Thraces, aucta ultra ſexágenos lembos, Germanos multò impares navium numero ac viribus vetabant Danubio vehere commeatus; ac ſtramenta longius petenda erant, ſqualido circa ſolo deſertoque penitus agrorum cultu. Expediendæ navigationi quæ tanti momenti erat, Crojus, cùm vi non liceret, conſilio utitur. Conjungi ponte, cymbis impoſito, utramque ejus amnis ripam, priuſquam Savum excipiat, claudique jubet pontis fauces ſubitariis operibus, unde hoſtes, ſi fortè compagem ſoluturi accederent, ſubmoverentur. Simul ne quid opis in urbem penetraret, quam identidem ſubmiſſa adverſo fluvio navigia convectabant, tranſverſis arborum truncis inter ſe colligatis alveum præcluſit. Savi pariter ſibi curſum explicare aggreſſus, Kibæ protribuno negotium dedit ut Germanorum globo, quo eam Sclavoniæ partem tutabatur, Bretskam Sabatzumque oppida, ejus amnis rìpæ propiùs Albam græcam impoſita, & unde Thraces infeſti navigantibus erant, ſtatim invaderet. Interea vallum proceſſerat, atque undecim detectæ jam caveæ ſulfurato detinendo pulveri, eo tamen nondum refertæ, faciebant animos tutius accelerantibus. Duo ac tricena curulia tormenta cornutæ munitionis loricam decuſſerant mollierantque ruderum congerie clivum, quo via in altum patebat; tantum etiam urbis mœnium 1693.

de-

Digitized by Google

1693. dejecerant ut illac inſtructo agmine tentari aditus poſſet. Steterant hæc Germanis multo gregariorum ſanguine, cumulaverantque damnum inſtructor exercitus Comes Archintus; atque obſidionalium operum Keiſerofeldus, pyroſcorpionum ictibus, dum ulteriorem circumeunt urgentque aggerem, interempti. Nec ab extremo vitæ diſcrimine Crojus abſuit, telo pyrobaliſtæ ab ejus capite parum adeo declinante ut pileum tranſverberaverit. Itaque vel majorum ducum ipſiuſque imperatoris præſentia milites, qui quotidie hoſtium eruptionibus dilacerati, quamquam non inulti, deficiebant jam prope animis, ad vineas properandas acuere opus erat. Viſirius enim ſuppetias laturus gradum accelerabat. Creditum primò quinquaginta illum non amplius adducere hominum millia, quibus propulſandis, dimiſſa nequaquam oppugnatione, vires adhuc ſibi ſufficerent; cùm præſertim Veteranio mandatum foret, ut quandoquidem nullum Transylvaniæ periculum modò inſtaret, per ſaltum, cui porta ferrea nomen eſt, Danubio admoveret copiarum partem, Turcas prohibiturus opem tranſmittere in Albam græcam, ad quam injecto ponte ſtructoque ad hujus caput valido munimento illinc patebat aditus & facilis militum commeatuumque tranſactio. Interim Heuſlero Crojus negotium dederat ut cum octo legionibus imminens illud ponti caſtellum ag-

Veteranius Albam ſuas Copias e Tranſylvania adducit.

aggrederetur; factamque inde ſubſidiis ſpem hoſti ſubriperet. Fruſtra conatus, infenſum nimis catapultarum, quæ frequenter ex urbe laxabantur, jaculis locum citò deſeruit. Potuit tamen ſuis & ipſe machinis quodam in ripæ ſinu locatis munitiſque circumpoſito vallo, hoſtiles cymbas adeo divexare ut relicto lævo amnis latere in oppoſitum ad oppidi mœnia ſe recipere, neceſſe habuerint. Crojus cum omni equitatu, & quo majori poſſet peditum agmine, conſtituerat e vallo egreſſus, circa Samandriam, quà permeandum hoſti erat, caſtra ponere, acie conflicturus ni gradum ille ſuſtineret. Verùm aliis ſuper alios advenientibus nuntiis certior jam tandem redditus, Turcarum ſexagenis millibus, Scytharum tricenis conſtare exercitum, Danubiumque ad Bydenam tranſmittere; ſuorum ſalutem certo periculo in tam diſpari numero committendam non arbitratus, intra vallum ſe continuit; conſultiſque majoribus ducibus, eò viciſſim revocandum quicquid ubique militum in viciniam digreſſus fuerat, atque audaci conſilio (quod unum in aliquam proſperi eventus ſpem tentandum ſupererat) de ipſorum ſententia aperta mœnia repente aggredi ſtatuit; ut, ſi virtus aut fortuna ſtrenue irruentibus arrideret, oppido potiti, vallum deinde omni alia ſoluti cura tutarentur. Quamquam exiſtimari poſſet, Viſirium inutili periculoſoque præ-

1693.

Crojus cũ exercitus parte adventanti Viſirio obviam iturus, repente ſubſiſtit.

1693. prælio non ſe ſe amplius impliciturum, ubi noſſet Albam græcam in hoſtium poteſtatem abiiſſe. Nondum vineæ ad foſſæ labrum pervenerant, diſtabantque octogenos paſſus. Vorandum tamen hujuſmodi incommodum (res quippe moram non patiebatur) cunctis viſum. Dum faſces, & quicquid ad ſubitarias munitiones eſt opus, parantur, atque acies inſtruitur, dies in veſperam inclinaverat. Tantæ moliendæ rei Crojus aderat, qui reputans brevi adhuc luce pugnam in noctem, plerumque magnis auſis inimicam, producendam fore, poſtridie mane pugnandam edixit. Ægre id a milite acceptum, damnabatque querelis pavidum aut nimis cautum Ducis conſilium. Hunc proinde legati præfectique circumſtetere ſuadentes: ſequeretur animorum ardorem, quo nullum vincendi melius auſpicium; cunctando illum reſtingui; & ubi inconſulto naturæ impetu res agitur; audaciæ, ſi detur cogitandi ſpatium, metum ſuccedere: rara apud intactos gloriæ ſtimulis ea virtute, quæ non horreat periculum, niſi ignotum. Parum quidem ad ſuperanda mœnia ſupereſſe temporis. At ubi rei gerendæ alacritas addit animos properatque facinus, nullum huic abſolvendo breve ſpatium; ac ſæpius momento fieri, quod quis factum velit. Ad ea Crojus: non ego, inquit, hanc ſtrenuo militi retundam injecta mora certan-

Vrbem extremo conatu aggredi ſtatuit.

Ingenti militum plauſu.

di

di alacritatem ; quo telo ad conciliandam vi- 1693.
ctoriam neſcio an aliud potentius ſit. Verebar, ille ne adeo eluctari poſſet ut priuſquam Sol occidat, victoria potiretur. At cùm ſe poſſe arbitretur, & ſuas melius ipſe internoſcat vires, Superis bene juvantibus in prælium ruat, memor quid ſibi de ſe promiſerit, quidve ſponderit imperatori ſuo. Dixit, datoque ſigno acies inceſſit. Triplici vadebant agmine. In fronte ſexcenti pyrochitrophori, quibus totidem ſcorpioniferi tegebant latera. Horum duodecim inſuper brevi intervallo centuriæ a primis diſtabant. Longius ad ſubitos caſus dubioſque Martis eventus quatuor millia ducenti ſubſequebantur. Dextrum regebat cornu Vido Starembergius, lævum Seybelſdorfius Bojoariorum ductor, medio agmini auxiliarium præfecti moderabantur. Nihil ea pugna ferocius. Nam oppidani in via tecta locaverant militiæ robur; haud ignari, Germanos extrema conaturos, quippe quibus hoc uno prælio male defunctis illico abeundum, ne cum Viſirio certandum ſibi eſſet. Citò, quod jaculis patebat, confectum iter. In extremo foſſæ margine conſerta pugna. Machinæ ex alto poſtremos ſubeuntium ordines dilaniabant, frons haſtilibus repellebatur non ſine ſanguine ac cæde. Ad primos igneſcentium ollarum ictus Barbari veſtigio ſe tenuere. At repercuſſi cùm quidpiam ordines diſ-

Datur impetus, & quo ordine.

1693. *Primùm fœlici ſucceſſu.* diſſolviſſent, ſe ſe Germanus in viam tectam mediamque foſſam intulit, immixtuſque hoſtibus quà igne, quà ferro, quà corporum niſu expediebat ſupervenientibus locum, tantùmque auctus numero atque ira percitus potuit ut denique Turcas per apertos ruinis aditus occultaſque portas intra munitionum clauſtra detruſerit, & ipſe firmandæ ſtationi jam daret operam. Verùm fœdiſſima telorum tempeſtate, vixdum reſpirare a prælio cœperat, correptus ceſſit invicem, ac ſaluti conſulere ſatis habuit.

Germani recedere coguntur a mœnibus. Magnam oppidani fabrefacti ignis, manualium majorumque ollarum vim in ultimam obnitendi ſpem paullo ante ad mœnia congeſſerant. Hanc omnem in ſubiectos hoſtes effundunt. Erupit quaquaverſum ſeſe late diffundens ingenti fragore concepta prius flamma, globorumque fragmentis confertiſſimam turbam diſcerpſit. Pars vita deceſſit, reliqui vulneribus ac pavore in fugam conjecti. Adhæſere tergo, aucta cæde, oppidani jam antea ad erumpendum parati; non tamen ultra viam tectam progreſſi. Nox enim, quæ ſupervenerat, ſicut ignaros, quid hoſtis ageret; ita quid ſibi agendum eſſet, incertos reddidit. Hæc pariter Germanis in cauſa fuit ne, quamquam non ultra impellerentur, pedem fixerint in foſſæ margine, veriti hoſtium inſidias inexploratumque antea locum. Re male geſta, non amplius inter majores

joreſ duces de diſſolvenda obſidione, ſed quo 1693.
pacto decore fœliciterque diſſolveretur, deliberatum. Id belle quidem atque e ſententia evenit. Unum in caſtris moratus diem, ne feſtinando minuerentur militum animi, quibus confirmatis ad rem ordine gerendam opus erat, exercitus quatuor millium nece ac pari fere ſauciorum numero debilitatus duplici ponte Savum traducitur, præmiſſis machinis bellicoque apparatu, cujus & commeatuum quidpiam igni traditum ne diſcedentibus moram adderet. Nam Viſirius adventabat, jamque Scytharum præcurſores in conſpectum ſe dederant & aliquot abduxerant boves ſub ipſum vallum paſcentes. Præſidiarii, quorum ad tria millia oppugnatio conſumpſerat, facto cum quatuor Scytharum millibus globo, poſtremum abeuntium agmen, priuſquam flumen traijceret, carpere ac morari adorti, ferociter propulſi ſunt, non ſine Comitis Hoſkirkii laude, cujus in eam exercitus partem imperium erat. Rediere tamen, Savum tranſgreſſi ad propinquum Sabatium oppidum, novis aucti Scytharum turmis, tranſverſiſque itineribus hoſtem aſſequuti. At multati aliqua cæde, ab inceſſendo rurſus abſtinuere. Quietum deinde ſed lentum Germanis iter, juſſis temperare ita gradum ut cymbas tardo niſu adverſum relegentes amnem non deſererent, ſecus futuras barbaricæ claſſis prædam. Et

Deſeruntque inceptum facinus, & quare.

Non ſemel in itinere Turcas repellunt.

 illud

1693. illud moram inferebat, quòd acie inſtructa progrediebantur, metu ne repente Viſirius adeſſet cum omni exercitu, ut is quotidie rumor ad ipſorum aures accidebat. Verùm Muſtaphus Albæ græcæ conſtiterat; incertum, parum ne fidens tyroni militi, quo plurimo legiones conſtabant; an aliquo refecturus otio feſſos longo acceleratoque itinere, priuſquam pugnandi copiam faceret. Etenim Adrianopoli diſcedens, iter in Tranſylvaniam incæperat ad eam recuperandam aut vi, ſi Germani non multo illic numero in prælium deſcenderent; aut urbium proditione, ſi ſe intra mœnia continerent. Hanc enim Tehelius, qui ſecum aderat, faciebat ſpem, fretus popularium vel erga ſe benevolentia vel in ipſos Germanos odio. Dein per portam ferream Danubium adeundi animus erat, ut ex oppoſita ripa Albæ græcæ ſuppetias, quantum foret opus, ſubmitteret, ipſe quoque, ſi hoſtis illinc non diſcederet, cum omni exercitu tranſmiſſurus. Moldaviam peragrabat conjuncto ſecum Selymo Scytharum Regulo, qui, quem diximus, equitatum adduxerat; cùm ab Albæ prætore nuntium accepit: urgeri oppugnationem nec longam ſpondere moram: quare illuc feſtinanter ſigna vertit. Ad Viſirii adventum diſceſſerant hoſtes; & ipſe dato legionibus, quantum ſatis fuit, ad ſe reficiendas quietis intervallo, rurſus ad Tranſylvaniam, qua capta nihil ſibi glorio-

Viſirius invadendæ Tranſylvaniæ conſilium deſerit.

In Albam Græcam intentus.

rioſius, nihil hoſti dolentius, adjecit animum. 1693.
Ergo quinis denis Scytharum millibus Galga, Reguli filio, duce, octo addita Turcarum millia, quatuor Araviſcorum, quos modò Raſcianos vocant, & aliquot Hungarorum perduellium cum ipſo Tehelio, eam in expeditionem ire jubet. Prius tamen ut Juliam Temeſvariumque victu ac milite recrearent. Jenum deinde aut Lippam, quod non magni fore negotii videbatur, in poteſtatem redigerent, tutum aditum, & ſi reflaret fortuna, reditum habituri. Simul ut ne Germani pluribus oppreſſi curis, & in ancipiti re tardiores, captum conſilium turbare poſſent ingenti conatu, Tybiſco minatur oppido, admota claſſe; ponte Savum conjungit, pauciſque Semlinum traductis legionibus, ceteras ſe mox tranſmiſſurum, ſpeciem offert, ratus hoſtes, qui adhuc circa Petri Varadinum in ſtativis erant, ſui metu ſolicitos, copias ad opem aliò ferendam non diviſuros. Tantam undique impendere procellam ubi cognitum Crojæ Duci, haudquaquam deſpondit animum, ad eam repellendam continuò aggreſſus. Sex aliis muralibus tormentis armat adversùs claſſem Tybiſci mœnia, duabus cohortibus præſidium auget. Dat octo equitum legiones partim levis armaturæ, partim ſagittariorum Hoſkirckio prolegato, quibus Mariſum tranare amnem Turcis prohibeat, ſe ſeque, ubi res

Iterum de Tráſylvania cogitat.

Ad quam Germani accurrunt in alias partes tutandas intenti Croyo auctore.

1693. res ita poſtulet, cum Veteranio conjungat, quem reliquam ad Tranſylvaniæ fines regionem, uti & Lugum & Karanſebem, tutaturum non dubitabat. In ipſo enim ejus retinendæ provinciæ præcipuum momentum erat; nec ille ſpem fefellit, circumducto ſuorum agmine, quòcumque diſcrimen ſe ſe offerebat. Ad primum nuntium: Moldaviam Thraces peragrare: Stephanopolim accurrerat, proximos ſaltus, quà iis ab ea parte progrediendum erat, inſeſſurus. *Ac Veteranii ſtrenuitate.* Statim ut Turcæ ad Danubium inflexere ſigna, citato gradu mediamque provinciam tranſgreſſus, Mariſum obſepire in ejuſque ripa inſidentes urbes frequentioribus præſidiis munire antevertit. Quod poſtquam eò commigrantibus Barbaris compertum fuit, pars Temeſvarii, quò commeatus adduxerant, conſtitere; pars Juliam annona pariter ac milite reficiendam ire pergunt. Jam propius acceſſerant, cùm Scythæ (duodecim millibus conſtabat agmen) paullum ad lævam declinantes in ſuperiorem Hungariam præcipiti curſu avolant, permiſſi a Viſirio, poſt navatam ea in expeditione ſuis impoſitam operam, Tybiſcum inter ac Tranſylvaniam, muneris loco ad illicendam ipſorum fidem, agros vicoſque depopulari ac prædas agere. Quatuor reliqua Turcarum millia cum clitellariis jumentis pacato greſſu Juliam iter continuant. Hofkirckius per idem ferme tempus

Ca-

Canadium pervenerat. Re percepta, nulla interpoſita mora movet ſigna. Citatis equis Turcas ſub ipſam Juliam aſſequitur, qui jam commeatus in inferius oppidi ſeptum inferebant. Non unus alterum latuit. Procul conſpecti conſpicienteſque ad pugnam ſe comparant atque arma expediunt pari Martis ardore, & pari erant numero. Turcæ primùm veſtigiis ante vallum ſtetere; dein permittentibus equos Germanis & mox in pedes deſilientibus, ex humiliori vallo primùm depulſi, in arcem denique tutum receptum habuere, majori accepta quàm illata cæde. Hic finis certandi fuit. Victor Germanus, parta jumentorum camelorumque ad mille quingentos præda, conſumptiſque igne commeatibus ad Mariſi ripas ſe circumegit, opinatus, ſe ab Scythis quoque, dum remearent, illatæ Hungaris calamitatis pænas repetiturum. Illi Debrecinum uſque proceſſerant, nactique ſui nimium ſecuros negligenteſque populares, quamquam a Tehelio vel communis patriæ miſerto vel indignato ſuis eripi, quicquid alii prædarentur, clam in tempore admonitos; circumpoſitam regionem deuſtis villis abactiſque ſex mortalium millibus, boum quinque, atrociſſime divexarunt; mox incolumi præda Juliam, dein fœliciter eluſis hoſtibus Temeſvarium regreſſi. Ibi plures morati dies auctique nova Turcarum manu ſuſpicionem dabant,

1693.

Certatum intèr aliquot Germanorum & Turcarum legiones apud Juliam.

Ingens Scytharum populatio.

bant,

1693. bant adhuc Tranſylvaniæ, ſi occaſio ita ferret, inſidiandi. Quamobrem Veteranio, inhorreſcente licèt hyeme, opus fuit, Mariſum proximoſque ſaltus & occupata præſidiis ad provinciæ fines loca non deſerere. Crojo quoque Cæſarianos equites (nam qui ſociorum erant, eorumque peditatus domum hyematum redierant) Segedunum mittere, unde trans Tybiſcum flumen traducti ulteriorem Mariſi ripam hoſtibus interdicerent. Ita obſepta undique Barbaris ad irruendum via, & cùm aſperum anni tempus ſub dio longius morari vetaret, in hiberna denique diſceſſum eſt. Hæc eo anno in Hungaria geſta magno belli apparatu, exiguo rerum ſucceſſu; quem tamen æque Germani Thraceſque ex antecapto unuſquiſque conſilio ſibi fauſtum exiſtimarunt. Crojus enim ideo ſolùm, ut Barbaros a Tranſylvania dimoveret, Albam græcam oppugnandam ſuſcepiſſe; Muſtaphus, ut ab hac urbe periculum, Tranſylvaniæ minitatus fuiſſe, ajebant; uterque damnatus & compos voti. Cæſarem ſua recuperandæ Albæ ſpe dejectum, erumpente in publicum lætitiæ Achmetis juſſu, Turcæ ubique plauſere adeo, ut nimium rei pretium ſtatuiſſe viſi fuerint. Sed inſtigabant provinciarum prætores, gnari, ut opinione vulgus impellitur, hinc præteritas calamitates, unde tantus emerſerat pavor obliteratum iri, ſe ſeque facilem ab conſopiti pra

Utrinque in hiberna diſceſſum.

Dataque parte ſibi victoriæ ſigna.

præſenti gaudio militem pecuniamque ad bellum habituros. Cæſar vultus hilaritate inſidentem animo texit curam ; ceterùm cum interioribus amicis non ſemel queſtus, tanto ærarii, ſociorum, civium conatu nihil memorabile geſtum, quo territi comprimerent Barbari exurgentem audaciam & ad pacem inclinarent. Nunc eos arrogantius bellum quærere atque offerre novum diſcrimen, quod ſibi non tantis, ut dudum fortaſſe, viribus ſuſtinendum ſit. Viſirius enim Adrianopolim ad Regem diſſoluto exercitu profectus, exceptuſque privatim donis lætiſſimaque fronte, publice triumphali fere pompa, omnem abruperat de inſtauranda pace ſermonem. Jam tum cùm ad arma diſceſſerat, Pagetum Byzantium dimiſerat, Britannorum negotia Vilhelmi Regis nomine curaturum. Hemskerckium retinuerat, caute etſi liberaliter cuſtoditum ut, ſi per æſtatem quidpiam nutaſſet belli fortuna nec Mars cœptis arriſiſſet, haberet cum quo reconciliandi conſilia fœderis agitaret. Nunc tandem abire juſſerat, quamquam, dum iret, ſeptem menſes arcta ſed honorifica in ſpeciem cuſtodia, ut Othomanicis apud Cæſarem legatis evenerat, Albæ græcæ detentus eſt ; injuriæ vice barbarico faſtu reddita. Ad belli producendi propoſitum apud Viſirium non parum valuerant irriti Venetorum conatus eluſaque opinio, qua hi plu-

1693.

Cæſar tamen interius anxio, & quam ob rē.

Turcæ ad bellum intenti.

1693. rima detenti fuerant, exagitandum Mauroceni virtute atque auſpiciis ſuperiori æſtate fuiſſe Ægæum claſſe, terreſtri agmine Græciam, Byzantium quoque propiùs admoto belli turbine. Idque Muſtaphum ſolicitum habuerat non periculi magnitudine, ſed metu ne inquieta falſiſque ſuſpicionibus percita plebes tumultuaretur. Enimvero nihil ſibi Senatus reliquum fecerat, quo magis bellum urgeret, comparata ingenti pecunia, ſuppleto largiſſime exercitu, aucta claſſe, re militari celeriter explicata. Quæ cum per hyemem geſta forent, IX. Kal. Jun. Dux paludatus in D. Marci deſcenderat aſtiteratque Patriarchæ rem divinam facienti. Illic ſuſcepto ex ipſius manibus Reipublicæ vexillo, per anteriorem Templi aream, veluti e portu confeſtim diſceſſurus, proceſſerat ad regiam navem, præeuntibus primùm Aulicis, militiæque præfectis, poſtmodum Clero & Sacrorum Antiſtite; tegentibus ejus latera Pontificis maximi, Chriſtianiſſimique Regis Oratoribus, ponè ſubeuntibus ſexvirûm aſſidentium Principi magiſtratu, Marciis deinde Curatoribus, quos Georgius Benzonus & Auguſtinus Sagredus ſequebantur, Mauroceno ab Senatu dati, ut cum iis conſilia digereret; claudebantque pompam Senatus ipſe & quotquot Ducem familiaritate ac neceſſitudine attingebant. Nihil æque tamen huic diei celebritatem addidit

Soluti Venetorum metu.

Mauroceni cum pompa ad Claſſem diſceſſus deſcribitur.

dit ac immenſa popularium advenarumque multitudo, quæ terra marique, unde ſpectaculum videri poterat; Principem lætis vocibus proſequebatur acclamabatque: iret dextro Numine; tropæis Rempublicam cumularet, ſe gloria. Cùm extremam ſenectutem publicæ fœlicitati devoviſſet, nominis immortalitate vitam produceret. Inſignis tot rerum geſtarum decore, clarior hac in ſe uno poſita patriæ ſpe, impleret expectationem atque omnium vota. Redux tandem profligatis hoſtibus cum ingenti meritorum fœnore civibus otium, ſe civibus reſtitueret. Cuncta inibi ex Veneta magnificentia; erecti triumphales arcus, ornati aulæis parietes, expreſſum pictis tabulis poſitumque in civium conſpectu quicquid Mauroceno auctore bene ac fœliciter geſtum fuerat; prodiga in decernendis honoribus Republica ad excitanda virtutum ſemina; parca tradendæ auctoritatis, ne ſupra civilis potentiæ modum luxuriet; quam idcirco ultra ſuetos militaris imperii fines dilatare ne illi quidem, principe licèt honeſtaretur loco, haudquaquam annuit. Ductus ad extremam æſtuarii oram e ſacraque D. Nicolao inſula in hexerem, prætoriam navem, conſcendens, non ita multo poſt, ſedato pelago, in Peloponneſum proras direxit. Naupliam appulſus, compertoque prius, quæ ſibi quæ hoſtibus vires eſſent, de re gerenda conſilium habuit. Chalcis illi- 1693.

1693. *Conſilio habito, variæ de re gerenda ſententiæ dicuntur.* co in ſermonem venit; ab aliis de repetenda Cydonia dictum; plures contendebant, arma prius cum Turcarum exercitu, qui prope Thebas caſtra poſuerat, periclitanda; reliqua deinde in proclivi & promptu fore. Dux in aliam ſententiam eundum, repudiatis quæ adhuc dictæ fuerant, brevi & gravi ſermone diſſeruit. Chalcidem, retulit, novis operibus circummunitam; quatuor ibi armatorum millia præſidio eſſe; caſtellum quoque in adverſa continentis ora frequenti milite inſideri. Utrique, ſicubi ſit opus, auxilium non defuturum, eò loci hoſtili exercitu ſe continente, unde illud vetari nequeat. Non eſſe proinde, cur ab re difficillima & ſane immatura initium agendi fiat. Cydoniam integris iterum munitionibus, *Maurocenus claſſe quærendum hoſtem ſuadet, ejuſque oratio.* copiis, & belli apparatu vigere. Satis videri ſemel in ea tentanda peccatum eſſe. Nam ut providi vel fœlicis potius imperatoris eſt per futuri caliginem, quò rarò mens humana pertingit, prævidere mala; ita ſtupidi magis quàm incurioſi foret, aperta monſtrataque inſigni aliquo luctu non devitare. Hoſtem pugna laceſſendum ſupereſſe. Verùm quis dubitet in aciem non proditurum, nobis numero longe minorem, ac ſatis habiturum, ſe aggere tectum noſtra eludere conſilia ac ſua tutari? Intra vallum igitur petendus erit. Quod nobis certam perniciem pariturum, nemo non profitebitur,

cui

Digitized by Google

cui ab inanis gloriæ ſtimulis nonnihil conquie- 1693.
ſcat animus, nec velit ſpecioſis opinionibus ſed vera & ſolida virtute inniti. Eſto multò nos frequentiores (quippe illi non plus decem millibus in caſtris habent) meliores quoque, ſi lubet, quamquam novo delectu legiones plures conſcripſimus, impreſſionem daturos. Quid ſi extemplo e vicinis præſidiis accreſcant? Quid ſi carulibus tormentis, priuſquam manus conſerantur, ſtragem edant? Si ponè aggerem, vulnere intacti, firmius nulloque metu figant jacula ac tela ingerant? Quid tum? Referemus pedem? at non ſine ignominia nec ſine damno. Actutum inferemus? At quanto diſcrimine & quanta clade. Stabimus caſtra illic metati? At quid Turcis incommodi, commeatus e feraci amicaque ab tergo regione affatim habituris? Quid nobis non ſolicitudinis, longius illos e pelago nec brevi & infeſta via petituris? Quæ quamvis graviſſima tantique per ſe momenti ſint, ponderoſiora tamen evadunt, ſi rei gerendæ affuturum Principem Reipublicæ in mentem veniat. Ejus quippe non eſt, dubia ſequi, ne, ſi male contingant, vulnus aliquod majeſtati ac decori publico inferatur. Ceteros audacter in incertam aleam dare ſe poſſe, qui ſi ſpe decipiantur, nomini tantùm officiunt ſuo. Principi nihil improſperum, quod non ſit omnibus calamitoſum. Huic declinando periculo

duo

1693. duo videri maxime profutura; unum, quieto milite negligentiam in hoſtes inducere; alterum, illo aucto atque exercito ipſos cùm redeat vernum tempus, ubi minus ſibi metuere compertum fuerit, faciliori eventu impellere ac profligare. Interea per reliquum æſtatis Ægæum claſſe pervagari, & ſi occurrant bellicæ Turcarum naves, quæ ibi ad reficiendas victu ac milite ſuas urbes navigent; aut piraticæ, priuſquam in Africam redeant; cum iis vix non certa victoria pugnam conſerere. Cautum & non priſco ejus more animoſum, Ducis conſilium, velut qui ſatur gloria nollet jam ſibi partam in diſcrimen dare, viſum eſt. Nemo tamen diſſenſit, veritus inexpiabilem culpam, ſi quid ſecus propoſuiſſet, cui non belle ſuccederet. Datis itaque Antonio Zeno ſex millibus ſexcentis peditibus, equitibus mille ducentis, quibus iſthmum Turcis occluderet; juſſoque Bartholomæo Gradenigo navium præfecto cum hepteribus ſex, quatuor quinqueremibus ac ſeptem bellicis navibus tutari Saronicum ſinum; Dux claſſem reliquam in altum duxit, ſeptem auctam Melitenſium quinqueremibus, nec ita multo poſt quinque Romanis, tardiùs profectis. Non enim eas prius e Centumcellis ſolveré Innocentius voluerat, quàm quædam oborta paullo ante ad Ferrarienſium fines diſſidia Veneti ex ipſius ſententia compoſuiſſent

Pc

Pelagum circumvagatus, novit hoſtes illatis, quò conſtituerant, auxiliis jam diſceſſiſſe. Quocirca pertæſus inutilis navigationis, medio autumno in Naupliæ portum ſe reſtituit; ubi ſub anni finem febri ac diſuria correptus, poſtridie Id. Jan. duodecimo, poſtquam morbo conflictari cœperat, die fato ceſſit. Vitam a prima adoleſcentia ad ultimam ſenectutem re nautica exercuit, ejus peritiſſimus ingenio & uſu. Nactus Rempublicam Cretico primùm, non multos poſt annos ſacro adverſus Turcas implicatam bello, per omnes navalis imperii gradus egregiam illi nec intermiſſam navavit operam; quater, quod nunquam alteri ab eo Senatu, ſuprema donatus maris præfectura; idque non gratiæ ſed virtuti datum, qua ceteris major creditus. In ea gerenda, varia uſus eſt armorum fortuna, prout Othomanorum vires ac tempora variarunt. Imperator iterum, Creta cedere jam prope a Turcis ſubacta, opus habuit, ſed illam pretium conciliatæ pacis conſtituit. Qua de re uti reus cauſam dixit; at poſtquam paullum amiſſæ reſedit dolor, tacite laudatus. Tertiò præturam adeptus, devicta Peloponneſo factum in Cretæ jactura damnum inſtauravit, retulitque (quod in libera civitate prœmium omnium ampliſſimum) honores, titulos, & principem locum. Nonnihil ejus fama hæſit ad metas ob infelicem Chalcidis op-

1693.

Fruſtra quæſita hoſtili claſſe Naupliam redit.

Moritur, ejuſque elogium.

1693. oppugnationem. Sed citò deteriori comparatione per hominum ora fœliciter adeo vagata eſt ut unus ille, cujus auſpiciis armorum proſperitas reviviſceret, ſpem dare potis fuerit; vel eo fœlix, quòd implendæ tempus defuerit; ita nullo incerti eventus diſcrimine in civium opinione ac memoria permanſuræ. Præter bellicam laudem, quicquid in eo reliquum, mediocre, nec magnis virtutibus nec magnis vitiis. Sylveſtro Valerio conſularis magiſtratus; armorum imperium Antonio Zeno Peloponneſi prætori datum. Addita lex, ne de rogando in poſterum Duce, ut illud ſuſcipiat, ſermonem fieri in Senatu liceat, niſi Sexviri ſolio Principis adſidentes, treſque trinis capitalium quadragenumvirum collegiis præſides, ex triplici diviſione duæ partes, auctores fiant; neve, ſi Senatus judicio res ad majora comitia deferatur, rata ſit, niſi octingenti haud minus ſuffragia ferant, nec plus tertia parte diſſentiant. Ita ſagaciter obſeſſa iterum ſupremæ dignitati ad imperium via, quam atavi periculoſam experti, ut primùm potuere, obſtruxerant non ſine arduo conatu conſilioque. Adeo ingentes honores facilè moderationis obliviſcuntur &, ni ſint inermes, audent imminentque publicæ libertati. Bellum hoc anno in Dalmatiæ finibus non juxto exercitu, non ullo memorabili facto, ſed incondito popularium ad prædandum concurſu, mole-

Valerius Princeps Reipublicæ eligitur, armorum Imperium Zeno datur.

Quod Principi Reipublicæ nova lege impeditur.

Dalmatia utrinque populationibus divexatur.

leſtiſque invicem populationibus geſtum. Qui circa Jaderam incolunt, conflato ad ſex millia peditum equitumque globo tribus additis equeſtrium legionariorum centuriis Boſniam ingreſſi, longius quàm unquam aliàs ferrum flammamque intulere. Turca prætor inopinata licèt perculſus clade, ſuis & ipſe provincialibus ultra mille peditum totidem equitum centuriatis, tacitus occultuſque ſaltum, quà redeundum hoſtibus erat, inſedit, aggreſſuſque referentes prædam, partem abſtulit, majori tamen ſuorum cæde. Sed æquavit Venetorum damnum Cruttæ, quo duce utebantur, mors. Aſcrivienſes in prædam primùm effuſi, mox Clobuchum tentare auſi, Muſtapho Chelmiæ prætori plurium morte pœnas dederunt. Is deinde, Boſniæque prætor alter, proxima ſuis finibus loca pari propemodum eventu miſere divexarunt. Non eadem apud Sarmatas viciſſitudo, Scythis ibi latiſſime depopulatis vix non impune. Hi Vere nondum adulto progreſſi, Camenæcum ingenti agmine commeatus adduxerant; tacitis intra ſuas munitiones, quibus itinera obſepiebantur, Sarmatis ne longe impares in aciem prodirent. Illi comperto, nullum adhuc eorundem exercitum ad ſigna conveniſſe, Ruſſiam nigram Leopolim uſque, quod ejus eſt caput, hoſtiliter peruagati, magna ubique feritatis veſtigia reliquerunt, abacta ingenti 1693.

Et Sarmatia a Scythis acerbiſſime.

1693. ti præda quadrageniſque, ut fama fuit, mortalium millibus. Rex ad tantam ſuæ gentis calamitatem vehementer exarſit; indignum, clamitans, bellicoſiſſimam Polonorum nationem quondam armis invictam nunc deſidia negligentiaque captam Scythis latronibus ludibrio eſſe; rapi quotidie in vincula; indefenſam addici ſæviſſimæ ſervituti; malle cum extrema pernicie, dummodo otietur, conjunctum dedecus quàm gloriam aliquo labore partam. Quòd ſi qui genere aut divitiis præſtant, parum plebis ac ruſticorum captivitate, ipſi intra munitas urbes hoc vacui periculo, moveantur; ſciant, deſerto agrorum cultu opes dilabi; quarum, ſi careat luce, parum ſplendeſcere avitum decus. Una erat origo tot malorum, quòd exercitus ornari, ſuppleri, ex hibernis educi ſine pecunia; & iſthæc, niſi aut juſſo a majoribus comitiis tributo aut voluntarie in provinciali conventu exhibita, contrahi haudquaquam poſſet. Comitia, cùm plura iis celebrandis præmittenda forent, tempus, ut priuſquam hyems appeteret, haberentur, non ſuppetebat. Erogandæ igitur in emerita ſaltem ſtipendia pecuniæ Rex edixit, provinciales illico celebrari cœtus, ubi ſimul, ut moris eſt, quid ſinguli ad commune gentis concilium referendum putarent, decerneretur. Unus Maſſovienſis conventus vix reveritus ipſum Regem, qui aderat atque hor-

Maxima ſui Regis indignatione.

Comitiis Provincialibus vix non fruſtra ad

taba

tabatur, quidpiam in bellicum ærarium tributi ſibi impoſuit; ſed in iram adeo efferatis animis ut ad arma itum fuerit, multaque cæde pollutum Auguſtianorum Templum, in quo legati proceresque convenerant. A reliquis nihil datum, cauſatis accepta in re familiari vulnera & alibi deſertos agros, alibi ſata bello depaſta. Omnium autem ſententia fuit: obſecrandum Regem ac Senatum, ut ne ulterius pacem reconciliandam differrent ac tandem apud ſe ſtatuerent, quærendam, quocunque liceret modo, afflictis provinciis requiem, amoliendas calamitates, quibus jam nimium laceratæ fuerant, vitandumque funeſtum excidium, quod ab Scythis imminebat ni ſtatim pax conveniret. Sic enim legatus, qui per eos dies ab Selimo novo Regulo, illum in principem ſedem reſtitutum officii gratia renuntiaturus advenerat, palam nulloque metu venditabat. Hæc popularis finiendi belli conſenſio, magis quàm ipſum bellum, Regem ſolicitabat; cùm nec iſtud tractari pro dignitate, exhauſto ærario impeditoque delectu, poſſet; nec pax, inviolata ſocialli fide, ſeparatim componi. Quod medium erat, ſupremos Polonæ Lithuanæque militiæ duces Leopolim ire juſſit; ubi collectis, quot plurimas poſſent, copiis tueri a Barbarorum excurſionibus fines, commeatibus diligentiùs Camenæcum occludere, iiſdemque

1693.

pecuniam & remedium expromendum convocatis.

Pacem inſtaurandam poſtulantibus.

Invito Rege.

Qui Scythas comprimendos curat.

Digitized by Google

1693. Moldaviæ oppida in Reipublicæ ditionem redacta reſerare conniterentur. Ex hujuſmodi conſilio Sarmatia Scythis prædonibus minus patuit, nonnunquam etiam ipſorum ſanguine reſperſa eſt; nova prope Vaſiloum munitione arctius obſtructæ Camenæco fauces; compreſſaque præſidii licentia, late ad prædam ſuo licèt non ſemel damno vagantis; nec ſubactæ in Dacia urbes neglectæ. Per id prope tempus, quo hæc geſta ſunt, Mars ferocius inter Chriſtianos Principes bellum exaſperavit, quod nunc retexendum exordior. Magna erat hominum expectatio, an aliquo inſigni vulnere debilitatum, quod prope eventurum videbatur, Galliæ regnum ſibi tandem timere inciperet. Hoſtibus enim, qui terra marique ad illud invadendum ſupremis prope viribus ſe comparaverant, undique circumfuſum, patebat graviter perculſum iri. Centum millium exercitus juxta ejus fines e Belgio irrupturus erat; quinquagenum ab Rheno, totidem ex Italia; vicenum e Catalonia; e claſſe, quam centum bellicæ naves conflabant, quinum vicenum. Non minus ad eos repellendos ſe ſe inſtruxerat Rex Ludovicus, pari navium numero collecta claſſe, quod poſt acceptam ſuperiori anno navalem cladem vix credi poterat; nec impari terreſtri robore, non militum multitudine ſed celeri ipſorum diſcurſu, quò ferret uſus. Auxerat ad ſe ſtre-

Bellici Chriſtianorum Principum apparatus.

ſtrenue gerendos præfectorum alacritatem, aucto præmio. Priuſquam enim diſcederent ex hibernis, novum diverſis diſtinctum gradibus inſtituit equeſtrem Ordinem D. Ludovico ſacrum, in quem centum quinquaginta militiæ præfectos, dena ſaltem eo gradu ſtipendia meritos cooptaret donaretque, ſervato dignitatis diſcrimine, annua penſione ab octingentis nummis Turonicis ad ſena millia; in id trecenties millium ærario conſtituto. Liberalitatem honoribus cumulavit, eoque præcipue, quòd Regem Cœtus moderatorem ac præſidem habituri forent. Nihil verò ad acuendum militare ſtudium ſtimulos æque addidit ac promulgatum ipſius Regis cunctorumque regio ſanguine Principum ad bellum iter. Quippe qui oculis percepturi erant, quid quiſque pro Galliæ decore ſtrenuitatis impenderet. Augeſcit enim ſpe laudis ac præmii conſpecta virtus. Philippus Aurelianenſis maritimas ad oceanum provincias cum duodecim legionariorum millibus, & provincialium quot e re duceret, cuſtodiendas accepit. Reliqui in Belgium, ubi præcipua armorum ſedes, iter habuerunt. Jam Ver incœperat, cùm undique Galli, prævertentes hoſtem, hiberna deſerunt. Prior Lorgeſius, cui prorogatum ad Rhenum imperium fuerat, amne per Philippoburgi pontem tranſmiſſo, hominum tricena millia Haidelbergam ducit. Hanc Germani inſtauratis mu-

1693.

Novus equeſter Ordo a Ludovico Rege inſtitutus.

Rex Ludovicus cum pluribus Regiæ Domus in Belgium ad Exercitum.

Aurelianenſis ad Oceanum.

1693. munitionibus præſidio firmaverant duum millium quingentorum, quibus inſtructor exercitus Georgius Everardus Heuderſdorfus præerat. Suburbium tenui propugnaculo claudebatur, quod præſidiarii, ſuperatu facile, vixdum hoſtis locaverat ad verberandum machinas, clam reliquere, in urbem, ubi minus periculi, ſe ſe abdituri. Qui vineas agebant, re cognita ſtatim irrumpunt, ſcandunt aggerem, hærentesque diſcedentium tergo, poſtremos ordines ferro carpunt. Primi, qui portam intraverant, obiectis foribus nonnihil irruentium vim retardarunt. Sed citò dolabris effractæ dedere inundantibus aditum. Fuga inde præſidiariorum in arcem; qua excluſi, ne ſimul ſe ſe immitteret hoſtis, trecenti poſitis armis capti aſſervatique majori in Templo, bis centum fortiter pugnando ultique ſuam vicem interimuntur. Nec mora Lorgeſius expediri atque intendi machinas in arcem jubet, extrema præfecto militibuſque minitatus, ni ſtatim cedant. Ille tergiverſari, tempus ad exquirendam Badenſium Principis, qui prope Hailbrunam cum exercitu morabatur, ſententiam petere. Eò vehementius impellitur, quò fluctuabat. Non parvi operis munimenta ac mille octingentum præſidium ſpem dabant, poſſe aliquot dies repelli hoſtem ac ſumi ſpatium ad expectandam opem. Verùm & metus erat ne nimia oppidanorum ſtra-

Galli Haidelberga potiuntur.

ſtrage, qui omnis ætatis ad quindecim millia intus confugerant, inutilis moræ luenda pœna foret. Namque ubi pyrophorarum ollarum tempeſtas in refertiſſimam degentemque ſub dio turbam graſſari cœpiſſet, nullum acerbiſſimæ cladi modum impoſitum iri. Qua re permotus Heuderſdorfius, quamquam a Badenſi juſſus ad extremum obſiſtere, Gallis poſtridie portas aperuit, pactus, incolumes oppidanos cum ſingulis veſtimentis, præſidium armatum ſed tacitum cum duodecim onuſtis plauſtris abiturum. Civium diſceſſus vere miſerabilis fuit, mulierum ac puerorum lacrymis, incerto virorum, quo irent, conſilio; omnium extrema inopia. Patriæ calamitas augebat luctum; pavor durioris, quæ in poſterum impenderet, ærumnæ cumulabat. Plures fame, laſſitudine, incommodis periere. Heuderſdorfus, poſtquam ad ſuos venit, cauſa e vinculis dicta capite damnatur. Quocirca exutus inſignibus Teutonici equeſtris ordinis, quibus erat ornatus, lictori traditur. At ubi legionibus in aciem directis ſui ſpectaculum e ſuggeſtu præbuit, vita donatus pellitur in exilium. Morti tamen non ſe ſe eripuit, ab agreſtium manipulo, dum iret, veluti publicorum cauſa malorum contrucidatus. Heidelberga in poteſtatem redacta, Galli in prædam opimam ruunt, cum tempus civibus ea ſubducendi, quæ ſibi cariora haberent, non ſuffe-

1693. *Præfecti non parum ignavia.*

Multa Civium pernicie.

Illataque Præfecto infamia.

1693. feciſſet. Nihil a furibundo milite prætermiſſum, quo captæ urbes obrui malis ac funeſtari ſolent. Et illud execrandum nec moris humani geſtum eſt, quòd apertis Palatinorum principum ſepulcris, ubi quidpiam ad ornanda cadavera ineſſe pretioſum fama ferebat, oſſa diſſiparunt, loculis quoque plumbeis abductis, furto æque ſordido atque irreligioſo. Tanta immanitas fæditaſque in centurionum præcipuè invidiam ceſſit, qui rem atrocem nec ſibi ignotam non vetaſſent. Rex Ludovicus illam ſummoperè averſatus, quod unum modò erat piaculum, ſtatim juſſit reliquias iterum componi ac fato defuncta corpora tandem quieſcere. Ingens in arce reperta ſulfurati pulveris telorumque vis, parataque Miſnienſibus legionibus frumenti copia. Utraque Philippoburgum traducta viliorem annonam ornatioremque belli apparatum Gallis fecit. Ædibus flamma injecta, captivorum primùm fraude, quibus ſpes erat, per tumultum e cuſtodiarum manibus evadendi; deinde pluribus locis militari licentia; quæ ſi furit impunè, nullum facit ſæviendi finem. Mœnia quoque urbis dilacerata; arcis, ut quandocunque vellent, diruerent, ſuſpenſa caveis. Infeſta ſigna fauſtis auſpiciis in eam Germaniæ oram inducta conſternatoſque latè circùm provincialium animos Ludovico Regi mutandæ, quam ſtatuerat, adminiſtrandi hoc anno

Execranda Haidelbergæ vaſtitas.

Digitized by Google

anno belli ſententiæ occaſionem præbuiſſe, opinio fuit. In Belgium proceſſerat, luſtratoque prope Gemblurſum exercitu centuriata repererat equitum duo ſupra quadragena millia, peditum octo ac triginta. Fœderati nondum pari numero convenerant circa Lovanium, quò condixerant; lento Germanorum ex hibernaculis digreſſu & longa ſæpius via. Rex igitur deliberandum ſuſceperat, in quodnam ſe dignum facinus operam daret; & Caroloregium præter cetera opportunum ſe ſe offerebat, arx Namurcum inter Monteſque munitiſſima, unde non rarò intercepti ſuis legionibus commeatus, iiſque commigrantibus ultro citroque infenſum iter. Cùm accepto, Germanicam expeditionem fœliciter inchoatam majora, ſi acrius illic vires intendantur, de ſe promittere; ab ea parte urgere bellum ac temperare in Belgio audacioribus conſiliis, induxit animum. Ægre id ſibi imperaſſe dicitur, cupido quidpiam nunc etiam patrandi coram æmulo, quod ſuam, ut ſuperioribus annis, extolleret gloriam, ejus minueret. Non defuere tamen, qui reputarent, oblatam ſe in Regiam reſtituendi occaſionem libenter arripuiſſe; plena ſemper ſolicitudinis parta ſemel inſigni laude, nec rurſus in incertam aleam facile committenda. Itaque ſexdecim, pari equitum peditumque numero, armatorum millibus Belgico exercitu, cujus im-

1693.

Rex Ludovicus Delphinum ad Rhenum cum ingenti exercitu mittit.

1693. perium Luxemburgio dederat, extenuato, Delphinum Beuflerſio legato comitatum cum hoc ſupplemento ad Rhenanas legiones miſit, arma illic adversùs hoſtes vehementiùs concitaturum; ipſe Verſalias rediit. Interea Lorgeſius victorem exercitum hoſti admoverat, qui trans Nicrum amnem prope Hailbrunam tuto maxime loco diverſabatur. Hunc ponendis caſtris elegerat Badenſium Princeps, ne, priuſquam ad ſe frequentiores adveniſſent ex hibernis copiæ, invitus ad pugnam elici poſſet. Modò quina tricena ſolùm ſibi erant hominum millia, miſeratque quaquaverſum, qui reliquos, ut ſtatim accurrerent, adhortarentur. Non enim in ſenâ Caſſellenſium millia, quos Landgravius; non in dena Miſnenſium, quos Octovir ductabat, ullum ipſi imperium erat. Nicer amnis utrumque exercitum interfluebat; quo impedimento Galli, ne committerent prælium, vetabantur. Itaque ſuperandum aggreſſi, paullùm ad lævam inflexo itinere, cymbis e proxima Klingemburgo ripa tria peditum duo equitum millia tranare incipiunt. Non improvisò advenerant, & Badenſis quinque illuc ex adverſo legiones præmiſerat, quæ telis adeo navigia traijcienteſque turbarunt ut poſt levem pugnam inhibere ſatius duxerint. Cùm hac non ſucceſſiſſet, alia tranſitum tentant via. Mons erat prærupto dorſó, fluvio imminens, e re-

Germani ad Nicrum amnem tuto loco caſtra ponunt.

regione hoſtium caſtris. Ibi tricenas ſtatuunt machinas nullaque requie in ſiniſtrum cornu, quod miſſilibus interius jacebat, jaculantur. Fremebat Germanus miles, quòd impunè & ignobili nece ſterneretur; poſtulabatque aut in aciem eductum honeſta morte occumbere, aut vitando periculo mutare locum. Annuit Badenſis, circumactumque nonnihil agmen oppido texit, quod fortè illic interiacebat. Galli tamen in vacuam ripam evadere non pertentarunt, veriti par diſcrimen ab hoſtium catapultis; majus ab eodem agmine, raptim in primos tranſmittentium ordines, priuſquam pedem firmarent, decurſuro. Sed facta ſeptingentum manu pontem Hailbrunæ conjunctum derepente invadunt; ſpe, aliò intentos Germanos, incurioſos iſthic repertum iri. Propulſi ferociter, non remiſere aliquà perrumpendi curam. Bidui ſpatio interpoſito, in adverſa Corneliæ oppido, quod nunc Vimſenam dicunt, ripa plures improvisò legiones ſe offerunt cum magno ad inijciendum pontem navali apparatu. Præſtò ibi quoque fuere Germani; commiſſaque eminus pugna non ultra paucorum vulnera ac mortem, ſponte recedentibus Gallis, proceſſit. Lorgeſins, deſperato ad hoſtes aditu, ſigna ad Eppingam Brettenamque retulit, late inde Palatinatum depopulatus. Medio ad alterutram expeditionem loco ſtativis poſitis, nonnihil Badenſis anceps

1693.

Galli Nicrum traijcere tentant ſed fruſtra.

Populabundi alio ſe vertunt.

1693. ceps hærebat, ab dextra ne in Virtembergenſem oram, an ab ſiniſtra in circumfuſam Nicro Mænoque amnibus arma ferret. Ubi verò Lorgeſio patuit, illum caſtra Morbacum tranſtuliſſe, veluti Virtembergenſi provinciæ Badenſique regioni ſuæ metuentem, in lævam protinus vertit ſigna, Nicrumque e regione Lademburgi non procul a confluente traducit, ſecum adductis quatuor ac viginti armatorum millibus, juſſoque Melaci Comite, itinera cis amnem cum aliquot legionibus impedire atque obſidere, quoad bellica ferret ars, hoſtium conſilia. Tranſgreſſo Gallico exercitu, in fugam undique populares conſternati ſunt; deſertaque militari licentiæ ora in primis Germaniæ nobilis oppidorum numero, civium frequentia, agrorum cultu. Hinc mixtæ gemitu ac lacrymis liberæ, ut fit, in extremo dolore quiritantium voces: male ſibi conſuluiſſe, cùm tantam in bellum juventutem armaverint, pecuniam contribuerint, imperium Badenſi dederint. Pactis, quæ ab Gallis offerebantur, induciis, otium longe minori pretio redimi potuiſſe. Nunc ſe nimiæ credulitatis pœnas luere. Quid enim Badenſis ipſe ceterique provinciæ Principes non promiſerint? Tanto exercitu Galliam pervaſuros ut hæc ad ſua curanda nedum inferenda vulnera non ſatis virium habitura foret. An promiſſum eos tenuiſſe? abdito in-

Ingenti Germanorum luctu acerbiſque querelis.

intra munitionum clauſtra imperatore ſuo, du- 1693.
cum reliquis negligenter contrahentibus copias, dum interim provinciales hoſtium rapacitatem ſævitiamque ſatiarent. Inter hæc Galli peragrata regione ſe ſe manubiis, Lorgeſius late oppidis indicta pecunia ærarium locupletabant. Ventum erat ad impeditum maxime locum, ubi Zuringerberga claudit ſaltum, quà Darmſtatienſis tractus oraque ad Mœnum uſque recluditur. Sex Miſnienſium centuriæ mœnia tutabantur. Eò cum trium millium agmine Chamilii Comes prolegato immittitur, qui fruſtra ſolicitato ad deditionem præfecto, moræ impatiens (nam alterum mille ducentum hoſtium globum illuc properantem noverat) impetum dari juſſit. Refractis foribus, ſagittarii equites, qui primi ex equis deſilientes certabant, bis repulſi. Sed incenſi concitatique ducum vocibus, tanto iterum conatu ſe ſe intulere ut præſidiarios veſtigio moverint ac tergo adhærentes magnam eorum partem necaverint. Capti bis centum, pauci inter tumultum evaſere non incruenta Gallis victoria, qui ſtatim, aperto ſaltu, in ulteriorem plagam ſe diffuderunt; juſſi tamen abſtinere cæde ac rapinis, placata a miſeris civibus non levi ſumptu victoris ira. Terrore *Reprimuntur.*
Francofurtum, in adverſa jacens Mæni ripa, vehementer perculſum eſt; & Moguntia, quæ inde parum diſtat, ſibi timuit. Quamquam

citò

Digitized by Google

1693. citò utriuſque cives collegere animos, freti Miſnenſium & Caſſellenſium copiis, quæ ad ſtrepitum illatæ prope ſe cladis citato gradu illuc progreſſæ præſidia firmaverant, & caſtris in propinquo locatis ſpem dabant, hoſtem, ſi quidpiam tentaret, non ſine damno repulſum iri. Nec ita multo poſt affluxere undique ingentibus auxiliis Brandeburgenſes aliique, interiori provinciæ haud parum veriti. Et Badenſium Princeps Baraiti Marchionem juſſerat dena armatorum millia ſociis adducere, moveratque omnem exercitum, ut ipſe Gallis, dum alii frontem urgerent, a tergo inſiſteret. Quamquam non ultra Vimſenam profectus, gradum continuit, ne ſi longius abiret, male conſultum Sueviæ Franconiæque foret. Verùm Lorgeſius accepto nuntio, Delphinum jam tranſmiſiſſe Moſellam amnem & ad Rhenum accedere, viam rediit, illumque ad Philippoburgum ſuas traducentem copias eſt aſſequutus. Habito illic de re gerenda conſilio, una majorum ducum, eaque Delphino placuit, ſententia fuit, rectà ad Badenſem ire &, ſi faceret pugnæ copiam, confligere aperto Marte; ſin minus, caſtra oppugnanda, priuſquam ille circumjacentibus ſociorum legionibus vires augeret. Ita uno prælio debellari poſſe. Siquidem eo victo, reliquas contractas alibi minores copias ſua ſponte aut levi negotio diſſipari poſſe. Ce-

Lorgeſius cum ſuis Copiis obviam delphino fit.

Conjunctis legionibus ad hoſtem pergunt.

Cetera Delphino duce minus utique videri digna; clariſſimique imperatoris eſſe, quidpiam arduum tentare; quod ſi bene vertat, quicquid reliquum celeri deinceps curſu fama vincit; ſi male, ipſa, magnanimæ virtutis indicium, audacia terret hoſtes. Re deliberata, duplici agmine ad Nicrum amnem ire pergunt, quem longius ab hoſte incerto, quò in alterutrum tenderent, nullo impedimento traducunt. Iter deinde conjunƈto agmine ad eum continuant. Caſtra Badenſis tutiſſimo ſtatuerat loco. Ab tergo Nicer interfluebat lato alveo, latera Kocherus Jaythuſque parva flumina, ſed præruptis ripis, tegebant; in fronte duo erant colles, quos triplex vallum caſtellaque identidem ſtruƈta armataque magno tormentorum apparatu occupabant. Ad eum quoque pervenerant Saxones Caſſellenſeſque, adeout æquaret jam prope militum numero Gallorum exercitum. Nihilo ſecius intra munitiones ſe continere de conſilii ſententia, cui Miſnienſis Oƈtovir Landgraviuſque interfuerant, conſtituit. Non enim, ajebant, pari cum hoſtibus conditione certandum ſibi eſſe; his, ſi pugnaverint adverſo marte, facile ſuos fines interpoſito Rheno multoque validiſſimarum arcium robore tutaturis; ſe, ſi fortuna fefellerit, profligatis, Germaniam certo periculo maximiſque difficultatibus implicari poſſe. Non parum autem ei fœliciter ſucce-

de-

1693.

Quem aggredi intra clauſtra non audent.

Et ille apertam pugnam detreƈtat.

1693. dere, ac ſatis vincere, qui hoſtem deijciat conſilio ſuo. Se ſe tantis auctos copiis pugnaque abſtinentes, dum hoſtis interim prædas aget atque impunè depopulabitur, vulgi ſermonibus diſcerpendos eſſe. At cui unquam obtigit bellicæ prudentiæ laus & boni nomen imperatoris, qui neſcierit ſalutem ante rumorem ponere? Itaque vallo pedem non extulit, ſed acie tantùm inſtructa, ſi fortè Galli perrumpere niterentur, repellendos, induxit animum. Cornu dextrum Octovir, ſiniſtrum Landgravius, medium Badenſis (ſic enim, dimiſſa contentione, quæ non hujus temporis videbatur, inter eos tandem convenerat) moderaturi erant agmen. Interea Delphinus cum exercitu imminentem Otmarsheimo vico aſcenderat collem, unde in conſpectum hoſtile dextrum cornu ſeſe offerebat. Speculatus inexuperabile vallum, continuit gradum, relictoque ibi Beuflerſo cum parte legionum, ipſe comitatus Lorgeſio Choiſeloque ceteras inflexo itinere per jugi dorſum propius ad lævam caſtrorum, ſi fortè illac facilior aditus aperiretur, admovere ſtatuit. Mille vix paſſus aberat, cùm exiguo nemore ſuperato, ab ea quoque parte Germanorum apparuit acies tot undique munitionibus circumſepta, erectiſque ad viarum flexus propugnaculis ita clauſa ut ab hoſtili incurſu timere nihil poſſet; quin eò penetrantibus certam

tam

tam perniciem minitabatur. Quapropter ſe interius immittere haudquaquam auſus. Sed in aciem directo exercitu pugnandi copiam fecit, quietis intra caſtra Germanis nec niſi paucas ad levia certamina turmas identidem producentibus. Quod ubi per tres continentes dies, & fruſtra provocata pugna, geſtum vidit, increpans Delphinus, Martios Germanorum animos tandem fractos, qui tanto belli apparatu excitaque undique juventute id unum penſi habuiſſent, abdere ſe intra clauſtra munitionum, & Gallis de virtute ac gloria concederent; æger tamen erepta ſibi victoriæ agendique aliquid, quod eſſet ad rei ſummam, ſpe agitare cum legatis cœpit, quò ſigna verteret. Hailbruna in proximo erat magni momenti oppidum, quippe ubi pons Nicri ripas coniungens in ulteriorem provinciam præbebat aditum; ſed munitum recentibus quoque operibus, frequentiſſimoque inſeſſum præſidio atque apertum ſubſidiis ex ipſo exercitu, a quo brevi intervallo diſtabat. Ulma illiciebat, nobile emporium nec ſatis validum; ſed a tergo & difficili commeatuum vectura, interiectis hoſtibus. E re proinde magis viſum, eundem iterum tranare Nicrum, caſtriſque prope Stugardam Virtembergenſis ditionis caput locatis, oram illam Danubium uſque vectigalem reddere. Simul in occaſionem intentos circumſpicere, ſi quod no-

1693.

Deſperata pugna Galli recedunt.

1693. vum Germania conſilium agitaret, diſtracta domeſticis diſcordiis, quæ jam eruperant & longius flammam laturæ videbantur. Dudum enim extincta virili ſtirpe Ducum Lavenburgenſium, altero Saxonicæ principis familiæ ſurculo, ejus Imperii cuinam jure bono cernenda foret hæreditas, ambigebatur. Ex eo, qui poſtremus regnaverat, duæ ſuperſtites erant filiæ, quibus Luneburgi Dux aliique præferri cupide poſtulabant. Quin Luneburgius, judicio nondum conſtituto, ſibi ſtatim vendicaverat finitimum oppidum Raceburgum firmaveratque militum quatuor millium præſidio validiſque munitionibus, ut armorum patrocinio ſua invaleſcerent, aliena facilius conticeſcerent jura. Verùm non ita res accidit. Tertius hoc nomine Federicus Daniæ Rex ſuſpicioſum haud minus quàm indecorum ſibi eſſe ratus, muniri proximum illud Holſatianæ avitæ ditioni ſuæ oppidum, rei novitatem cum Luneburgio primùm queſtus nec auditus moverat arma, eò progreſſus cum duodeviginti armatorum millibus & magno ad ferienda mœnia obruendaſque domos machinarum apparatu. Ille ceteros familiæ Principes propius admovere ſuas copias, tamquam ſuppetias ituros, impetraverat. Quo Rex obiecto metu acrius exarſit, expeditiſque tormentis triduo urbem concuſſit laceravitque. Ad belli ſtrepitum accurrere illico Cæſaris, Britanni,

Interni oborti motus in Germania ob Lavemburgenſem hæreditatem.

Ba-

Batavorum, Brandeburgenſis legati, ſerpentem 1693.
flammam, ſuadendo minitandoque, priuſquam latius manaret, compreſſuri. Pactæ quindecim dierum induciæ, per quas reſtituendæ pacis conſilia verſari poſſent. Jam prope expiraverant, cùm tandem convenit, æquari ſolo Raceburgi munitiones, præſidium dimitti præter bis centum milites, qui Luneburgio aliquam retinerent imperii ſpeciem, quoad prolatum, ad quemnam oppidum jure bono pertineret, judicium foret. Sedato eo tumultu evanuit pavor, quo plurimo per eos dies Germania commota fuerat: Daniæ Regem diſceſſiſſe in Gallorum partes quærentemque Rhenano bello diverticulum, querelas atque arma ad Albim amnem moviſſe. Cùm præſertim Rex provincialium Principum legatis iterum apud Ratiſponenſem Conventum, quo eadem fama pervenerat, hanc mentitam redarguens, iterum ſpopondiſſet ſe illaceſſitum ab otio non abiturum. Delphinus dejectus ſpe Germanici tumultus, qui ſibi, diſtractis Regulorum viribus, clauſtra provinciæ recluſurus erat, nec ſibi ultra blanditus hoſtem extrahere in aciem poſſe, confeſſionem detrectantium certamen pro victoria habuit. Mox Virtembergenſibus impoſito præſenti quadringentum ſcutatorum millium tributo, centumque millium, quoad bellum maneret, in annos ſingulos, quibus regionis vaſtitatem re-

Citò, & quibus conditionibus ſedati.

1693. dimerent; ſulfuratoque pulvere juſſa diſcerpi Heidelbergæ arce, exercitum diviſit. Duodecim millia in Italiam, ubi Gallica res longe impar copiarum numero laborabat; decem millia cum Beufterſo in Belgium dimittit. Quicquid reliquum in duo partitus corpora, Lorgeſio Choiſeloque legatis conjunctim aut ſeparatim, prout uſus foret, moderandum attribuit. Ipſe inutilis otii inter arma pertæſus, æſtate jam ſeneſcente ad patrem ſe recepit. Legati ultra Rhenum Badenſi in ditione per eam provinciam haud longe a ripa tandiu morati, quouſque conſumptis pabulis, jamque ſæviente frigore tranſgreſſi flumen, proximis in oppidis hiberna peregere. Et Germani, qui quantum recederet hoſtis, pedetentim ſubſequuti veſtigia, per citeriorem ripam ad hyemandum pars major ſe diffundere; renuentibus primùm acceptaſque obtendentibus calamitates civibus; deinde acquieſcentibus, metu ne ſine militum præſidio majora perpeſſuri forent ab hoſte vulnera, & ne huic, quod ſociis negaſſent, uberiori ærumnarum fœnore pendendum eſſet. Adulto Vere, quo hæc per Germaniam peragi cœpta ſunt, in Cataloniam Galli Noallio duce, trito ſæpius itinere, ſe promoverant. Militum erant ad viginti millia, rectàque Rhodam prope Ruſcinonenſis oræ fines contenderant. Jacet oppidum in ipſo litore quinque ſeptum roſtratis

Delphinus diviſo exercitu Verſalias redit.

Exercitus utrinque hyematum pergunt.

Rhoda a Gallis oppugnatur.

Digitized by Google

tis majoribus propugnaculis, quorum duo flu- 1693.
ctibus obijciuntur, ibique portus pandit in altum brachia. Roſtrum ſingulis, intermedia foſſa, ſemilunares protegunt munitiones, interiacentem loricam triangulares. Mare ſubſidiis claudebat claſſis duum ſupra viginti bellicarum navium Eſtræo præfecto, quæ pridem Telone Bajas digreſſæ ad verberandas Hiſpanienſium naves; irrito eventu (quippe ſub arcem difficili ad pervadendum Bajano ſinu, brevibus interſepto, & longe micantibus tormentorum jaculis) iſthuc in tempore advenerant. Nec ita multo poſt Aphrodiſium promontorium tenuere quinque ac triginta quinqueremes proprætore Noallio, procerum uno equeſtris Melitenſis Ordinis; portus oſtium, ſi quis furtim aut vi ferre tentaret obſeſſis opem, diligentiùs prohibituræ; quamquam jam tandem ſupervacanea cura. Nam oppugnatio, fœdis licèt imbribus impedita, pluſquam opinio fuerat, acceleraverat. Vineæ bifariam ad maritimum lævum propugnaculum eique proximum campeſtre ductæ, promuralem loricam triduo contigere. Ad eas perpetuo vallo conjungendas, muniendaſque objecto aggere duodevicenas machinas & aliquot pyrolmos biduum conſumptum. Ingens deinde in mœnia tectaque urbis jaculorum ollarumque flammiferarum vis edita; cui reprimendæ nulla facta a præſidiariis eruptio, quamquam

quam

1693. quam duo millia quadringenti forent; frequentiſſima ſolùm ingeſta tela non ſine hoſtium cæde ac vulneribus. Miſſilium procellam ſprevere Galli, in viamque tectam impavidi ſe demittentes tenuere ſtabili pede locum, ubi ea circa roſtrum flectitur ſemilunaris operis, in ipſoque angulo latius patet. Quod poſtquam geſtum, nulla mora terram moliebantur, in foſſam leviori periculo deſcenſuri; cùm vocatus ad deditionem Petrus Robles, apud quem ſummum oppidi imperium erat, facilè annuit, quamquam nondum apertis propugnaculis, nec ultra octavum diem oppugnatio proceſſiſſet. Fregerant ejus animum ollæ incendiariæ fragmento diſcerptum brachium ex eoque vulnere maximi cruciatus, quibus confectus paullo poſt Gerundæ occubuit; quò duo præſidiariorum millia cum omni militari decore biniſque æneis tormentis Rhoda diſcedens adduxerat. Excuſarunt immaturam deditionem deſperatum auxilium reſervatique opportune tot milites in reliquum belli uſum. Non enim apud Medinæ Sidoniæ Ducem, armorum per ea loca præſidem, plus novem ad ſigna convenerant hominum millia, quos cùm hoſti obijcere haudquaquam e re duceret, validis præſidiis firmare munitas urbes difficileſque ſaltus, & aſpera inſidere loca ne longiùs ille vagari auderet, conſilium cœpit. Gerundam, quæ Rhoda parum di-

In deditionem accipitur.

Obniti nequaquam auſo impari Hiſpanorum exercitu.

diſtat ab eaque parte Cataloniam tuetur, progreſſus ſub ipſis mœnibus caſtra poſuit, ſolicite circumſpectans, quò ſibi e re nata auxiliatum ire & quid præcavere opus eſſet. Noallius, capta Rhoda, confeſtim moverat, litus claſſis ope, quoad poſſet, longius explicaturus. Primùm vicinis Emporiis admovit ſigna, Phocenſium olim coloniæ, priſcis ſcriptoribus celebratiſſimæ ob ſeveriorem diſciplinam, qua una ſtetit crevitque inter ignotos populos; atque ob invictam, dum punica vigerent bella, erga Romanos fidem; nunc exiguæ molis caſtello, quod vix expoſitis machinis in poteſtatem accepit. Dein Palamum versùs iter proſequutus, cùm parum abeſſet, Rhodam regreditur. Rumor ad eum pervenerat, ubique Hiſpanos ad arma cieri bellicoque apparatu cuncta perſtrepere. Adeo Rhoda, præter opinionem paucis diebus erepta, conſternaverat illorum animos, negligentiamque, ut fit, excuſſerat anceps metus. Quocirca deficiente per eos dies ærario, ſponte non parum pecuniæ collatum a magiſtratibus proceribuſque, Regis conjuge ac matre præeuntibus; nobilioreſque civitates, delectu habito, aliquot legionibus exercitum ſuppleverant. Noallius, quid hæc animorum concitatio datura hoſtibus virium eſſet incertus, ratuſque repentinos impetus, niſi obviaris, brevi concidere, nihil ultra tentandum ſtatuit; impoſitiſque in quinqueremes & qua-

1693.

Emporii urbs Gallis cedit.

Palamus itidem.

Hinc excuſſi Hiſpani plura conferunt ad bellum ſuſtinendum.

1693. & quatuor bellicas naves, ut dudum ab Rege juſſus fuerat, hominum ſex millibus, qui Nicæam ad Catinatium irent, reliquum æſtatis in ſtativis traduxit. Eſtræus cum duodeviginti navibus in fretum Gaditanum vela dedit, quò iis Tourvillus maris præfectus cum oceani claſſe (novem ac ſexaginta bellicæ, triginta incendiariæ naves erant) obviam proceſſerat, ne ullum adirent diſcrimen a Britannis Bataviſque, duarum ſupra nonaginta navium claſſe præter incendiarias jamjamque mare ingreſſuris. Harum ſex & quinquaginta inſtruxerant Angli, Fœderati Ordines ſex ac tricenas. Nunquam tantum maritimarum virium collectum fuerat. Nimis enim ad rerum ſummam pertinebat, alterum alteri pelagi imperio non cedere; ſeu frequentandis commerciis, unde opes publicæ privatæque; ſeu inteſtinis diſſidiis repellendis, quæ niſi uterque invicem alieno litore prohiberetur, commotum iri fama ferebat. Quamquam & hæc in dies ſeneſcebat, impedito crebris munitionibus, tormentis ſtationibuſque in Galliam deſcenſu; & fida Jacobo Regi Britannorum ingenia ad res novandas magis magiſque retardaverat editum ſub navigandi tempus publiciſque ab eo conſignatum literis diploma, quo ſe non vi ſed ſuorum civium voluntate in avitum ſolium redire velle profitebatur; ſpe, ipſos opem fidemque præ-

Galli longius non progrediuntur.

Quid Claſſibus geſtum.

Jacobei in Britannia exanimati quieſcunt.

Digitized by Google

præſtaturos redeunti, atque hoc recenti merito præteritas obliteraturos injurias, quas & ipſe perpetua oblivione delendas conſtituiſſet. Tanta enim moderatio animi, cùm hactenus armis reditum ſibi patefacere pertentaſſet, viſa eſt non ex ingenio ſed ex virium diffidentia, qua opinione debilitantur amicorum ſtudia; & ingentia facinora nemo, niſi animo auctus, audet. Serius quàm Gallica, Fœderatorum claſſis diſceſſerat ex Anglico Torbai litore, non ita facilè ſeſe expedientibus onerariis, quas ingenti numero maximiſque refertas divitiis ab hoſtium incurſu tutatura erat. Britannicum oceanum egreſſa, parum meridiem verſus navigavit, nimium fidenter opinatis majoribus præfectis Killegreto, Lavallio, Schovelo, qui tripartito ejus agmini moderabantur, illinc onerariis in fretum Gaditanum, per quod in Aſiam Italiamque tendebant, tutum ab hoſtibus fore iter; quamquam ignaris, quam pelagi plagam Gallicæ tenerent naves. Igitur datis equiti Rooko proprætore ſeptem Batavis, ſexdecim Britannis bellicis navibus, quibus centum quinquaginta onerarias præſidii cauſa proſequeretur, ipſi in Galliam primùm direxere proras; mox in Angliam circumagentes, appulere iterum ad Torbai litus commeatus inopia; quoſque jam cœperat morbus, nautas, ne contagio ſerperet, expoſituri. Ventus interea ſecundo curſu ferebat

1693.

Navalis Gallorum victoria, partaque ingens præda referuntur.

1693. bat Rooki claſſem ad promontorium ſacrum, ubi ultima Europæ terrarum ab occaſu in meridiem Algarbia inflectitur. Ponè illud ante Lacobricæ portum anchoras Tourvillus jecerat, Eſtræum opperiens, Rooko ſimul inſidiaturus. Noverat enim, hunc vix in altum provectum, aliquo ſolùm navigaturum præſidio bellicarum navium; reliqua hoſtium claſſe in Galliam intenta, e qua nondum navale robur e portu digreſſum, opinio apud eos erat. Sic enim inter ſe utriuſque gentis prætores maioreſque præfecti taciti conſtituerant. Sed prodidit arcanum conſilium Britannorum aliquis, ut fama tenuit, & non unum inſimulavit, ſed incomperto crimine. Certior Tourvillus per diſpoſitam ſpeculatoriam navem factus, Rookum appropinquare, Gabaretum archinavarcum cum duabus ac viginti navibus præmiſit, qui ſuperato promontorio adventantes eluderet exigui ſpecie agminis detineretque. Juvit conſilii calliditatem incendiaria navis, aſtu per ea maria vagari juſſa ut in hoſtium incidens claſſem, illos aut flammis læderet aut capta, quod accidit, in inſidias duceret. Nam referentibus, qui inibi erant, nautis, paucas ad Lacobricæ portum ſtare Gallicas naves, Rookus veluti ad certam prædam urgere curſum inſtitit; eòque magis, cùm explicari vidit, falſa opinione præoccupatus, Gabareti agmen. Ibat bellicas naves, ſeptem additis

Digitized by Google

ditis validioribus onerariis, in fronte ducens. 1693.
Citò utriſque accelerantibus, prope ad juſtum e majoribus tormentis jaculandi ſpatium ventum eſt. Quin & duæ bellicæ Batavorum cum tribus Gallicis, ceteras prægreſſis, pugnam inierant; cùm Rooko ſignum datur, alias ſuper alias e promontorio ſe ſe aperire hoſtium naves. Ad rem inopinatam contrahere vela jubet, compertoque, totam ipſorum claſſem in ſe irruere, tardiores imbecilliores que onerarias monuit ut ad litus, quò poſſent, ſe ſe admoverent. Reliquas, quid agerent, dubias nox oppreſſit, neutrò digreſſas (nam ventus occidente Sole non parum conciderat) & luce prima, quà melius ſalutem quærerent, conſultaturas. Batavæ interea duæ illæ, quæ cum tribus Gallicis ad manus venerant, tormentis laceræ in eorum poteſtatem ſe dediderunt. Et Gabaretus in latus hoſtium, tranſverſum excipiens flatum, nocte provehitur. Quod ubi illuceſcente die, Tourvillumque cum tanto navali robore haud procul ab ſe diſtare, Rookus vidit, navarcos in prætoriam vocatos de re gerenda conſulit. Sententiæ, ut fit in re trepida, variarunt. Oblique increbruerat ventus, quo alii Beticæ Algarbiæque portus petendos arbitrabantur; ſpe, non ita obſeptum ab hoſtibus illuc inter ut fallere ipſorum conatus arte & celeritate naves quaquaverſum diſperſæ non poſſent. Alii proras

 nul-

1693. nulla mora in Hiberniam, remenſo itinere, dirigendas; rati, Gallos non ſequuturos adverſæ claſſis metu, quam facile ſibi occurſuram timere poterant. Hæc Rooko ſententia placuit, in eamque, accelerato quàm maxime curſu, remeandi ſignum dedit. Prætoriam pars major bellicarum, dimidiaque fere onerariarum ſequutæ ſunt. Reliquæ arbitrio ſuo (ut cuique, dum ſalus agitur, liberum ſibi proſpiciendi judicium eſt) celerrima fuga ſe diſſipantes, curſum per medios hoſtes in auſtralem oram continuarunt. Refertum mare vagantibus navigiis erat; Gallica etiam diſſoluta claſſe, ut fugientes arriperet concideretque. Quæ Rookum comitabantur, eas Tourvillus retento ſuarum apud ſe robore perniciter inſectabatur, poſtremaſque aſſequutus feriebat crebris ictibus bellicas aliquot Batavas, quæ agmen cogebant. Maximum diſcrimen aderat nè iis ſuperatis quicquid reliquum, onerariæ præſertim, præda irruentium forent. Verùm non diu fuit, cùm trepidas jam jamque tumultuantes Gallicus prætor hoc metu ſolvit omiſitque, ut vulgò increbruit, abſolvendi facinoris occaſionem; ſeu ſuſpicatus, longius abeunti periculum ab integra ſibi Fœderatorum claſſe imminere; ſeu veritus, dubiam dum inhiaret prædam, certam, quæ ponè ſe erat, dimittere. Itaque circumflexis retro proris hoſtiles plures, quas a tergo reliquerat, in-

invadit ; eas a ſuis jam circumventas, verberataſ- 1693.
que partim arripuit, partim oppreſſit. Bidui ſpatio duæ bellicæ, ſeptem ac viginti onerariæ in ejus poteſtatem venerunt. Quinque quadragenæque incendio aut mari abſorptæ. Ad ſexagies centena ſcutatorum millia hoſtium damnum perveniſſe dicitur. Quatuor Britannicæ unaque Batavorum ditiſſimæ incenſæ memorabili caſu. In Calpes ad fretum Herculeum ſinu ſub arcem ſe ſe abdiderant. Eò cum novem navibus miſſus Coetlongus eques archinavarchus (quippe tutum non erat ad eas feriendas ſe ſe admovere, arce ipſiſque ferociter jaculantibus) eminus ollis incendiariis obrui juſſit. Suo periculo territi fractique, alveis prius immerſis, in continentem evadunt. Iis lembos applicuere Galli &, cum adhuc pars earum aliqua extaret, injecto igne penitus corruperunt. Plures in penitiorem Gaditani portus receſſum penetraverant, quibus fruſtra exitium, ni ſe ſe in deditionem traderent, Tourvillus minitatus, poſtquam decem ante ipſum portum dies in anchoris ſteterat, diſceſſit. Statim deinde præmiſſis manubiis fretum ingreſſus, conjunctiſque ſibi Eſtræi navibus, quæ nondum in illud vento repulſæ penetraverant, Telonem petiit victoria lætus, ſed non integra, ut vulgò ferebatur, cumulatus gloria, quòd capiendæ aut perdendæ penitus hoſtilis claſſis occaſionem dimiſiſſet. Quamquam,

Quanti ſteterit Fœderatis accepta clades.

1693. quam, cujus id vitio accidiſſet, certo argumento decerni haudquaquam poſſet, & quiſque majorum ducum alios culparet, ab ſe ſe amoliretur incuriæ noxam. Nuntius acceptæ cladis Britannos Aſiaticis commerciis implicitos præter modum conſternavit, veritos etiam ne hinc in foro periret fides. Itaque palam liberæ audiebantur voces inclamitantium: tantum impenſum pecuniæ ad augendas maritimas vires, quibus freti negotiatores auderent ditiſſimas pelago merces committere, non alio fructu quàm ut hoſtibus inde belli ſubſidium, extrema ſibi pernicies oriretur. Rumor hic partim dolore partim rerum novandarum ſpe concitatus, mixtus quoque atroci fremitu in claſſis prætores, quòd onerarias in incertam aleam dediſſent, ciebat popularium tumultus; cui ſedando regiæ conjugi ac ſenatui viſum eſt, mercatoribus publicam obligare fidem, calamitatis auctores doli aut negligentiæ pœnas perſoluturos; & in poſterum, ne quid hujuſmodi, proviſum iri. Hoſtibus autem breuem illati damni lætitiam fore, incuſtodito, poſtquam fretum Herculeum intraſſent, Gallico oceani litore & mox Britannicarum procella vapulaturo. Minuit ærumnæ ſenſum vindictæ ſpes, quievitque vulgus, in feliciores eventus intentis animis. Adeo mentes hominum facilè impelluntur, ſi vel tenue, quò inclinant, momen-

Hinc magnæ in Britannia querelæ.

mentum addas. Nihil tamen educta iterum claſſe profectum eſt, vetito ubique in Galliam deſcenſu ſervatoque domi otio procerum cura & civium indole. Quocirca Torbajum regreſſa, cùm in ſocios navales non deſineret graſſari morbus, pluresque intabeſcerent, exarmatur. Ea ſubducta, confeſtim ingenti numero piratæ Macloviopoli, Rupella, Brivateque in altum evecti, quammaxime infeſtam Fœderatis navigationem reddiderunt non ſine magni momenti præda; qua dudum iſtorum commerciis illatum vulnus acerbiſſime recruduit, irritavitque ad ulciſcendam injuriam Britannos adeo ut vel ſub ipſam hyemem duodecim tranſmiſerint bellicæ naves cum quatuor pyrolmophoris, Macloviopolim verberaturæ. Navem ſecum adduxerant ignipotentem, quæ ventre continebat cados centum ſulfurati pulveris, ducenos quadragenoſque globos (pharetras vocant) omni refertos miſſilium genere. Ubi oppidum in conſpectu fuit, primò ad imminentem peſtem proluſum incendiariis ollis, iiſque identidem repetitis occupatæ penitus oppidanorum curæ ne ad exitialem repellendam machinam curas obverterent. Hæc deinde ſubluſtri nocte refluenteque pelago mœnibus admoveri incendique juſſa, domorum hominumque ſtragem, dum vehementiſſime diſcerperetur, editura. Forte fortuna, inſcite illam per tenebras

1693.

Fruſtra a Fœderatis tentatus in Galliam deſcenſus.

Igniuomens machina in Macloviopolim incendiarijs ollis verberatura immittitur exiguo ſucceſſu.

1693. bras moderantibus nautis, cæco illiditur adhæſitque ſcopulo, qui ab urbe non longius pyrobaliſtæ jactu ſub undis mergitur. Admittenti per vulnus aquam navarchus, priuſquam madefactus pulvis corrumperetur, admovit ignem; eaque immenſo ſtrepitu diſſiliens vomenſque conceptam flammam ſic aerem diverberavit ut ædes diffractis ſpecularibus, civibuſque pavore attonitis, ſed nulla cæde, nutaverint. Britanni, cùm res fefelliſſet, confeſtim ſublatis anchoris iter remearunt, metu ne ſibi Gallica impenderet claſſis, quæ paullo ante Brivatem Rupemque fortem Tourvillo duce redux pervenerat. Dum hæc mari geruntur, bellum in Italia ad alpium radices vario Marte pugnatum eſt. Suas ibi Fœderati vires inſtauraverant ſuppleverantque ad quinquies & quadragies, ut ſuperiori anno, hominum millia, eratque idem auxiliorum genus iidemque duces. Quamquam enim Germanis Hiſpaniſque eò mittere ſuarum legionum partem incommodum fuerat, maluere tamen datam Allobrogi ſervare fidem; ne, cum adeo a Gallis ſolicitaretur, mutandæ occaſionem caperet. Non priuſquam æſtas inciperet, undique prope Auguſtam Taurinorum convenerant, ſerò Germanis hibernacula deſerentibus, unde militi laxior annona, præfectis in reliquum annum pecunia. Parum inter majores duces de gerendi belli ratione deliberatum,

Bellum in Italia geſtum deſcribitur.

tum, licèt ſententiis maxime diſcreparent; 1693.
contendentibus Leganeſio & Caprara prius oppugnandum Caſalem finitimis infenſum, Mediolanenſi provinciæ nimis periculoſum; Sabaudo Pinarolium, unde Galli plerumque in Italiam effundebantur. Hujus illi adhæſere dicto, ſed pudore potius quàm voluntate, dubium penſantes facinus, veriti autem Principis querimonias, ſi ſociorum cauſa acceptas ærumnas non e ſua ſaltem ſententia ultum iret. Non tamen relicta penitus Caſalis obtinendi cura. Quinque illic excubare juſſa armatorum millia, qui obſidentes itinera, commeatibus oppidum prohiberent. His aditum caſtellum adhuc aperuerat, ab S. Georgio nuncupatum, quod tenui munitione exiguoque inſeſſum præſidio in proximo ſurgebat. Nunc verò, vix admotis curulibus tormentis, in deditionem acceptum prorſus occluſit. Interim exercitus, militum ſupra tricena millia, iter ingreſſus, fallendo Catinatio Seguſium ire ſimulavit. Caſtra ille poſuerat in Feneſtellæ tumulo, ubi alpes deſinunt, medius inter eam urbem ac Pinarolium. Militum ſecum habuerat quatuordecim haud amplius millia; quorum quatuor ad obſtruendam Barcinonis vallem Larræi Marchioni prolegato dederat; duobus ſuppleverat Pinarolii præſidium; nunc totidem Seguſii, cui timebat; reliquos tuto detinebat loco, ſupplemen-

Caſale a Fœderatis obſidetur.

1693. tum opperiens, quod ſibi mox ingens affuturum, ab Rege perceperat. Victorius Amadeus ubi accepit, ducto in adverſam partem exercitu, nullam Pinarolii negligentiam in Gallos inductam, ad iſtud oppugnandum protinus convertit ſigna. Eſt in alpium finibus ad amnem Chiſonem collis, quà per Peruſæ vallem in Taurinorum planitiem deſcenditur. Lato ſed inæquali extollitur vertice, cujus inferiorem partem Pinarolium tenet. Arx, quæ ipſi ad lævam conjungitur, nonnihil eminet. Nullus e Gallia in Italiam facilior ingreſſus aperitur; eòque non ardua, prout in tanta locorum aſperitate, militaris e Delphinatu via ducit. Oppidum per ea tempora vi ſubactum Galli reſtituerant Allobrogum Duci, pacis, Claraſci anno MDCXXX. conventæ, lege; arcana tamen conditione, ut paullo poſt ad ſe rediret pretio redemptum. Quod ei, rerum humanarum vices non cogitanti, tum quidem haud injucundum accidit; cùm ita ſibi promptum crederet paraſſe ab Gallis auxilium, & ſe non amplius Hiſpanis, quos graves expertus fuerat, obnoxium fore. Nec ſane defuit promiſſo fides. Quippe inſequenti anno illis traditum, noviſque deinceps operibus communitum, ſui momentum ac ſpeciem auxit. Urbs modò roſtratis vigebat majoribus propugnaculis, quibus triangulares interiacebant par-

Pinarolii ſitus & forma deſcribuntur.

Oppidum quando ad Gallos pervenerit.

Digitized by Google

parmæ, circumfundebatur foſſa, munituſque 1693.
lorica tectus agger. Eadem arcem propugnacula protegebant, ſed exterius longe plura diverſi generis opera, quæ totam verticis aream, prout loci patiebatur indoles, occupabant. Alter intra catapultarum conjectum ſupereminet ad ſiniſtram collis D. Birgittæ ſacer, cui quadrata forma caſtellum impoſuerant, junxerantque arci, in promptam invicem opem, continuo vallo. Supremum illic armorum imperium penes Teſſæum Comitem prolegato erat, habebatque militum ad quatuor millia, contractis intra mœnia exiguis præſidiis, quibus adhuc Peruſam aliaque in montium jugis invalida ad reſiſtendum loca obtinuerat. Is filium equitem Hieroſolymitani Ordinis ſejunctæ munitioni cum valido præſidio, quod ex occaſione ſuppleturus erat, præfecit. Huc enim res ipſa admonebat primos hoſtium conatus editum iri. Nec ſecus accidit. Fœderati ſiquidem circumacto exercitu, Peruſaque, militarem inſidente viam quà in Galliam itur, capta, impeditaque proinde obſeſſis ope, vineas ad Birgitteum caſtrum agere inſtituunt. Et quamquam a fronte nulla eſſet machinarum jaculantium quies, ab latere e tribus mapalibus, quibus clam præſidiarii ſe continuerant, ingens telorum procella irrumperet; nihilo ſecius dejectis inſidiis neglectoque miſſilium periculo eas tridui ſpatio prope

Quibus conſtaret munitionibus.

Oppugnatur a Fœderatis.

1693. ad foſſam perducunt; caſtellum ad lævam, quod aggerem interiacentem oppido Birgitteæque munitioni tutabatur, vi & non intermiſſo certamine capiunt. Incenſi enim majorum minorumque ducum ardore milites præcipuo ſtudio ad rei exitum contendebant. Nondum ſtationes firmaverant, cùm decem præſidiariorum centuriæ luce palam erumpentes atrocem illic integrarunt pugnam, quam principiò Fœderati ægre ſuſtinentes, recedebant. Sed compoſito rurſus agmine ac recente aucti milite illam inſtaurantes, hoſtem rurſus loco deturbant. Facilè dein vallo potiti, viam in caſtrum ab arce novis auxiliis interrumpunt. Immoti ſtetere primùm ad frequentiſſima tela e muralibus utrinque catapultis immiſſa, quibus agger patebat; mox erumpentibus mille quingentis oppidanis cedere coacti ſunt. Non ſemel deinde ſeſe intulerunt. Verùm nulla fuit tanta irruentium vis ut iterum Galli detrudi poſſent. Tota igitur in caſtrum obverſa oppugnantium cura. Ductis ad foſſam vineis varia illic pugnæ fortuna bis terque congreſſi ſunt, dejectis primùm oppidanis, mox ipſi promiſcua repulſi cæde. Cùm nihil ferociam remitterent, & ad novum diſcrimen ſe compararent, Teſſæus præfectus præſidiarios prope omnes ſub vexillis eduxit, conſertaque manu tantam improvisò impreſſionem dedit ut qui ad vineas excubabant, deleta ipſarum parte ac mil-

mille deſideratis, fuga ſe ſubripuerint. Id enimvero Fœderatos in acerbum furorem impulit adeo ut non labore non periculo fracti urgere opus ac fœlici abſolvere eventu ſe ſe obfirmaverint. Ira ac pudore extimulantibus reficiunt everſas vineas; in viam tectam deſcendunt; muros catapultis jam antea quaſſatos aperiunt; cuniculo ſubeunt mox congreſſuri. At declinarunt præſidiarii novum pugnæ diſcrimen clam noctu Pinarolium, præmiſſis curulibus tormentis bellicoque apparatu, ſe proripientes, admoto prius igne ad ſulfuratum pulverem, qui paullo poſt exardeſcens aliquam abſtulit mœnium partem. Fœderati caſtrum quatuordecim oppugnatum dies in poteſtatem habuere, bis mille ſuorum interemptis, quos inter Bernexi Marchione inſtructore exercitus; longe minori Gallorum cæde nulloque illuſtri ſanguine nobilitata. Dum laceris ibi ſarciendis mœnibus datur opera, Sabaudus, conſilio cum Leganeſio & Caprara ſæpius habito, Pinarolii oppugnationem procraſtinandam, una in munitione periclitatus, vi ſuperare munitiſſimum oppidum præſentis nec temporis nec virium eſſe; diſcerpendum verò ollis incendiariis tormentorumque telis ac labefactandum ruina ſtatuit. Ex hac ſententia quicquid in rem foret opus, eò convehitur. Diviſis copiis, Leganeſius per ea loca ſuas continuit, coercendo Pi-

1693.

Deſerta oppugnatione Fœderati ſigna circumferunt.

1693. Pinarolii præſidio obſidendiſque itineribus, ne quid illuc penetrare poſſet. Miſſus Parellæ Marchio cum aliquot legionibus ad Sturam amnem, hoſtem ne longius pervaderet interdicturus. Nam Larræus Salutias uſque, Uſſenus per Barcinonis vallem prædatum in ſubalpinam planitiem deſcenderant impleverantque provinciam metu atque ærumnis; quibus, ne longius ſævirent, redimendis promiſſa pecunia a popularibus fuerat datique obſides. Agmen alterum cis Duriam flumen prope Avellanam proceſſit, aditus, ubi anguſti ac difficiles, Seguſio progreſſis Gallis impediturum. Allobrox cum exercitus robore Caprara ſecum adducto primos, peragrata Peruſæ valle, Cottiarum alpium flexus ingreditur, rectà Feneſtellæ tumulum petens eo conſilio ut Catinatium vel intra caſtra, priuſquam adventantibus auxiliis acceſcerent ejus copiæ, invaderet contunderetque.

Ad Catinatium intra vallum aggrediendum pergunt.

Quo profligato certa ſibi quoque affulgeret Pinarolii expugnandi liberandæque provinciæ ſpes. At ubi propiùs confragoſum iter, abruptum collem erectaſque munitiones ſpeculatus vidit, ſi eo loci hoſtem tentaret, manifeſto periculo ſe commiſſurum, retro ad Pinarolium ſigna vertit, ei & circumjacentibus agris perniciem quammaximam poſſet jaculando populandoque illaturus; repudiatis aureorum quadragenis millibus, quibus cives hanc amoliri ab ſe pe-

Deterriti loci munitione ſeſe ad Pinarolium ollis incendiarijs, ac regionem vaſtitate labefactandam vertunt.

peſtem conati ſunt. Itaque diſperſa foris ædificia, in his ex privata animorum alienatione Sacerdotii, quod in Eſtræi Cardinalis tutela erat, ædes ſolo æquatæ, exciſæ arbores, vineta & quicquid frugiferum ferro & igne deletum. Dein triduo mœnia tormentis, quatuor igniferarum ollarum millibus tecta urbis verberata, popularium damnum leniente præfecti liberalitate, qui viritim frumenti modiis duodeviginti millibus diſtributis, non aliud, quàm quod Regi ſtaret, pretium nec niſi poſt ſenos annos relaturus, viliorem ſagaciter annonam fecit. Illud verò per hos ipſos dies Catinatius, reddita cumulate vice, ultus eſt. Ad eum miſſa undique citato gradu auxilia tandem pervenerant. Primus e Provincia quinaſdenas centurias adduxerat Vindocini Dux, Larræus e Barcinonenſi valle vicenas, eòque ex Hiſpania confluxerant militum ſex millia, duodecim ab Rheno, quatuor ab oceani litore, ubi omnia extra diſcrimen poſuerat Aurelianenſium Dux, legionarioſque poſt illatam hoſtibus mari cladem huc & illuc dimiſerat. Cum hoc exercitu Catinatius (peditum ſeptemdecim erant millia, equitum quatuordecim) Seguſium profectus eſt, inde in Taurinos campos. Magna ibi late vel circa urbem ejus imperii caput agrorum ipſorumque arborum vaſtitate ſævitum eſt; ruinis etiam dejectiſque ornamentis fœdata villa Principis

1693.

Galli collectis undique auxiliis vicem reddunt.

cipis

1693. cipis magnificentiſſima, quam ex loci amœnitate Veneriam vocant. Is ad primum vagantium hoſtiliter Gallorum nuntium contractis undique ſuis copiis deletaque nitrati pulveris impetu Birgittei caſtelli, quod antea retinendum ſibi propoſuerat, munitionum parte Pinarolio diſceſſerat, populationem prohibiturus. Ubi comperit, eò progreſsam militum licentiam ut odio & nocendi libidine ruri ſuburbano, quod regiæ domui in deliciis erat, non pepercifset, tanto exarſit animi dolore ut ad pugnam acceleraverit, publice fatus, acceptæ injuriæ ſe brevi pœnas repetiturum & captivorum neminem vivere permiſsurum. Galli ſimul obviam pergebant, nec diu fuit quin alter alteri in conſpectum venerit. Chiſoli rivus in medio erat, quo ſi alteruter pro foſſa uti vellet ac vallum in ripa jacere, apparebat difficilem hoſti fore tranſitum. Rem non aſpernandam Leganeſius Capraraque ſuadebant, nec jam ſeneſcente Autumno, cùm Gallis intra ſuos fines recedendum eſset, ſubalpini Imperii fortunam dubio Marti committendam. Pari ſe quidem haud incompertum habebant vigere legionum numero, robore fortaſse antecellere, debilitatis Gallorum copiis longo citatoque itinere. At diſpar utriusque victoriæ præmium. Siquidem nobis ajebant (quod omen avertant Superi) acie victis noſtro cedendum

Sabaudus contra illos exercitum ducit.

Diſſuadentibus reliquis Fœderatorum ducibus prælium conſerit.

ſolo

ſolò eſt ; Gallis fugatis profligatiſque parum vel nihil admodum perit. Verùm Allobrogum Dux in tanta florentiſſimæ regionis ſuæ clade cunctationem indignatus: Quid, inquit, arma ferimus? Quid undique immenſo ſtudio exquiſitoque apparatu conquiſiti milites, auctus exercitus, exhauſtum ærarium, ſi tantùm otioſe ſpectanda erat meæ gentis calamitas, noſque ludibrio futuri hoſtibus, ferrum flammamque quò velint impunè inferentibus? Placent in alieno malo cauta remedia? At quem morbus abſumit, ea ſalutaria ſolùm putat, quæ celeriter quamquam incerta reſtituendæ valetudini conferre queunt. Igitur deliberandum non utrum, ſed quomodo cum hoſte ſuperbiſſimo conferenda ſigna, quibuſque artibus illicienda in noſtras partes victoria ſit. Ex ejus auctoritate decreta pugna, hoc ordine acies inſtruitur. Lævum cornu cum aliquot Germanorum turmis Hiſpani equites, dextrum Cæſariani claudebant. In medio peditatus aliquot identidem diſtinctus equitum ordinibus, prout loci natura patiebatur. Quicquid Hiſpani Germanique nominis, juxta ſuos equites locatum eſt. Succedebant Sabaudi Hiſpanis; tres Calvinianorum e Gallia exulum legiones Britannica ſtipendia merentes, Germanis. Catinatius ab dextra prætorianos equites conſtituerat, ratus ibi Martem ferocius graſſaturum. Peditatum in medio continua

1693.

Quod deſcribitur.

1693. tinua fronte direxerat; ſiniſtrum cornu ſagittariis equitibus firmaverat, ad eorumque latus propinquam ſylvam inſederat alio peditum globo. Nec minus dextrorſum cavere ſibi ſtuduit, præoccupato, dum eò ſimul tenderent hoſtes, Pioſaco oppido, quod illic alto ſurgebat tumulo, unde ſubjecta late planities infeſtis jaculis aperiebatur. Quo cognito, Fœderati longius ab tumulo declinarunt prope Marſallam uicum, unde huic prælio nomen; & cùm antea ſtatuiſſent, ferociorem ab ſiniſtro cornu impetum in hoſtes dare, quocirca frequentiori illud ala communierant; nunc amiſſa collium opportunitate in dextrum traduxerant, quas ibi prius locaverant, equitum Germanorum legiones. Directa in hunc modum acie, ſilentio noctis rivum tranſmittunt ſe ſeque hoſti propius admovent. Catinatius transfugæ monitu certior factus, equeſtre inimicum robur mutaſſe locum, huic & ipſe prætorianos equites oppoſuit. Dein ſuos paucis hortatus, ut memores cum iis, quos non ſemel adhuc concidiſſent, certandum eſſe, tenerent priſtinæ virtutis propoſitum; machinas extemplo micare ac proludere prælio juſſit. Hæ utrinque per totam frontem diſpoſitæ diu animos corporum laceratione ad certamen irritarunt. Duodevicenis ab dextro latere apte locatis in Hiſpanos Galli jaculabantur. Nec illi, equites præcipue, vi diræ tem-

pe-

peſtatis impulſi, facilè compoſito ſtabant ordine. Quod ubi Catinatius vidit, ſtatim ab ea parte (hanc enim ſibi moderandam ſuſceperat) movit agmen, juſſo peditatu, omiſſis telis armatiſque ſpiculo pyrobaliſtis impreſſionem dare. Et Vindocini Dux, qui læuum ductabat cornu, nullam quin illico irrumperet, accepto ſigno, moram fecit. Inito prælio diverſa primùm forte pugnatum eſt. Ab læva Fœderatorum equitatus permittentem ferociſſimo impetu equos hoſtem parum ſuſtinuit, ad primoſque ictus terga dedit. Quocirca equitum præſidio nudatis Hiſpanis contentis viribus laborandum fuit ne a fronte ab latere perculſi diſſiparentur. Diu veſtigio ſe tenuere. Verùm & ipſi conterriti tandem plurimùm ingraveſcente ſuorum cæde, in pedes ſe conjecerunt. Ab altera parte Germani equites denſato agmine ſe ſe inferentes obnitenteſque non minus perrumpendi obſtinatione quàm equorum mole, prætorianos Gallos moverunt loco; & pedites cum Calvinianorum exulum globo in adverſas hoſtium legiones tela frequenter adeo ingerebant ut hæ jam inclinarent nec facilè ſervarent ordines. Nutantibus præſtò fuit Vindocini Dux, ſubſidiario agmine in primos ſuccedere ordines ac firmare vacillantem aciem juſſo. Ad adventantium conſpectum rediere prætoriani equites ad pugnam, quam & pedites revocatis animis 1693.

1693. eodem fere tempore integrarunt. Utrinque deinde fulti recenti ope bis terque variarunt vices illato relatoque pede, prout in alterutrum inclinaret armorum fortuna. Mars ibi ferociſſimus fuit, & quatuor haud minus horas perſtitit pugna. Finem attulit additus, ut fit, Gallis animus ex inchoata ab dextero cornu victoria; dejectus Germanis, quòd ſe jam prope circumventos conſpicerent, redeunte cum ſuis legionibus ad reliquum certamen Catinatio, poſtquam, quos in fugam conſternaverat, penitus diſſipaſſet. Igitur ſaluti, quà quiſque potuit, alii catervatim, diſperſi alii, pedibus conſuluere; pars major Auguſtam Taurinorum arripuit curſum. Galli non eos multùm inſequuti ſunt, vepretis vineiſque impedito, quà eundum erat, nimium ſolo. In Victoris poteſtatem venere quatuòr ac triginta murales machinæ, ſigna militaria ſex ſupra centum. Fœderatorum in acie aut mox vulneribus occubuere ad octo millia. Præcipua clades Hiſpanos atque exules Gallos perculit; illos, ut ad extremum conarentur, ſuadente inſito genti militari decore; hos rerum ſuarum deſperatione, qua vel acceptas ulciſcendas ærumnas vel morte finiendas proponere ſibi conſueſcit animus. Auxit luctum mors plurium inclyta nobilitate aut præfectura; in his fuit Pimentellus legatus, Emanuel Velaſcus tribunus militum, So-

Marſallenſis pugnæ & itus Gallis fauſtus.

Soleræ Marchio Leganeſii Mediolani prætoris filius, Scombergiique Dux Carolus. Inter ſaucios, quorum ingens numerus, Commercii Princeps, Carellæ Marchio, aliique illuſtri genere recenſiti. Capti militum prope ad duo millia, majorum ducum ſeptem, tribuni militum ſex, protribunis quinque, duo ac ſexaginta centuriones. Nec levi pretio parta Gallis victoria eſt, trium videlicet millium nece; affatim vulnerum plures alii retulere. Nomen inter illos dedit Huquettæ Marchio prolegato; Druiſus prætorianorum equitum inſtructor, Robinus agminis ductor, quatuor tribuni militum, totidem centuriones; inter ſaucios Vindocinus magnæ Crucis eques Hieroſolymitanus. Fœderati non prius fugiendi finem fecerunt quàm ſub Auguſtæ Taurinorum mœnibus poſuerint metum. Ibi collectis animis, & pluribus quaquaverſum diſperſis eò convenientibus, revocatiſque a Caſale obſidendo, quotquot illic manſerant, copiis, caſtra circa Moncalerium tuto loco metati ſunt. Sua Galli, tranſmiſſo Pado, ad Polongheram locarunt, unde per omnem longe lateque provinciam digreſſi, provinciales ad grave biennii tributum coegerunt. Exactum pecunia aut frumento; unoquolibet, ut melius poterat, agros domoſque a ferro ac flamma redimente. Qui non ita induxerunt animum, incendio rapiniſque multati ſunt.

1693.

Qui magna exprimunt a Provincialibus tributa.

Non

1693. Non tamen inulti; ab extrema ſiquidem, ut fit, calamitate in furorem verſi, magnam ex inſidiis cædem graſſantibus incurioſe Gallis intulerunt. Catinatius interea oppugnandum ne Cuneum foret, ab Rege exquiſivit, iſque ad ejus arbitrium rem ob anni tempus ambiguam rejecit. Dum anceps hæret an fatigatum exercitum ſub autumni finem admoveret oppido natura & operibus valido, quò etiam poſt Marſallæ pugnam ad vetus præſidium acceſſerant reliquiæ per devia itinera immiſſæ Gallorum exulum, ſtrenuitatis in ipſo prælio compertus miles, & fide ob deſperatam ab hoſte veniam haudquaquam dubia; ab eo conſilio detinuere continentes imbres, queis auctum Stura flumen, illac præterfluens, late inundaverat. Itaque ad hiberna convertit animum; quæ cum ſubalpina regio penitus expilata præbere nequaquam poſſet, in finitimas Galliæ provincias, inita hyeme ſed nondum obſeſſis nive itineribus, legiones dimiſit; victu prius ac milite recreatis Caſale, Seguſio, Pinarolio, munitaque præſidiis Barcinonenſi valle aliiſque difficilioribus Cottiarum alpium ſaltubus, unde ſibi promptus ac facilis foret, quandocumque vellet, in Italiam reditus. Fœderati, poſtquam Gallos diſceſſiſſe norunt, relictis, quibus adhuc ſe continuerant, ad Moncalerium caſtris, ubi jam equos ſtramenta longius quoque invecta deficiebant, alii aliò

Deinde in hiberna ducuntur.

Itidemque Fœderati.

aliò ad hyemem ſub tectis traducendam digreſſi ſunt; neglectis civium eorumque Italiæ Principum, quos hujuſmodi pernicies degravabat, querimoniis, fruſtra conclamantium pecuniæ commeatibuſque ſubminiſtrandis ſe non amplius ſufficere. Fœlicius quoque Gallis per idem tempus in Belgio res cecidere. Hi cùm non ſatis ad tuendos illic ubique fines, ſimul ad reſiſtendum Vilhelmo Regi, qui ſuis Lovanium ad conveniendum diem edixerat, copiarum haberent, continuum ab Schaldi Ipras uſque duxerant vallum, non multo milite citeriorem ab hoſtium populationibus interdicturi oram; in idque Vallettæ Marchioni quatuor millia armatorum dederant. Reliquum exercitum (ſexagenis conſtabat millibus) Luxemburgius e pabuli opportunitate ſtativis haud ſemel mutatis hoſtili in ſolo retinebat, ſed itaut nunquam ab hoſtibus demitteret oculos, Moſamque amnem a tergo haberet, quà aliquot etiam Fœderatorum legionibus migrandum erat ad conſularem exercitum, iiſque viam obſepiebat. Etenim Vilhelmus Rex, priuſquam e caſtris prope Lovanium prodiret, ſub ſignis habere conſtituerat ad quadragies ſex equitum millia, duo ac tricena peditum; quorum adhuc, præter valida præſidia, quinque fere millia Trajecti ad Moſam, Leodii plures diverſabantur. Qui Trajecti manſerant, in viam ſe dare auſi Tyl-

1693.

Quo numero armatorum Gallicus exercitus in Belgio.

Quo Fœderatorum.

1693. Tyllio duce; vixdum comperto, validum obviam ſibi ab Luxemburgio immiſſum globum, Tungris, quò pervenerant, celeri fuga ad ſuos remigrarunt, carpti tamen ab hoſte amiſſiſque impedimentis. Et Leodienſes iter ingredi non audebant. Itaque Vilhelmus, ne inutilem diutius traheret moram, his non expectatis quidpiam tentare ſtatuit. Decem millium agmen pari equitum peditumque numero, cui proximarum arcium præſidia magnum datura incrementum erant, Virtembergio a tergo dimittit, eoque propinquis præſidiis aucto ire jubet ad ſuperandum interiacentem Schaldi Legiæque amnibus aggerem populandamque intactam adhuc ibi Gallorum oram. Ille ſtatim profectus, militum ad ſexdecim millia trifariam diviſa vallo admovit, ratus hoſtem in plura diſtractum nullo ſatis fore loco ad obnitendum. Nec res conſilium fefellit. Dato impetu ceſſere ubique Galli, relato in proximas arces pede, paucis deſideratis. Tranſmiſſo vallo, quod celeriter æquari ſolo imperavit, florentiſſimum illum Flandriæ Gallicanæ tractum vel ultra Inſulam urbem terrore ac flammis implevit. Ingens ab incolis tributi nomine corrogata pecunia; accepti obſides ad vectigal in poſterum; nec a præda vicorumque ruinis temperatum. Unum vi captum Lenoii oppidum, quod mœnibus cinctum ducenti præſidiarii tutabantur, iique

Horum globus Flandriam Gallicanam populatur.

Lenoium occupat.

iique ad internecionem deleti, cæde haudquaquam inulta. Tentanti in Arteſiam pervadere impedimentum attulit Marques fluvius, cujus interiorem Vallettæ Marchio ripam armaverat legionario milite ac frequenti provincialium agmine, qui ad primum rerum ſuarum diſcrimen arma cœperant. Eò quoque celeriter traducta duo millia armatorum e Normanniæ litore, poſtquam nihil ibi timendum patuit ab hoſtili claſſe. Nec ita multo poſt Virtembergenſis ad reparandum ſuis copiis concuſſum ingenti clade conſularem exercitum revocatus a Vilhelmo Rege, omnem illic ademit curam. Nam Luxemburgius, ut illum novit imminutum Flandrica expeditione, confeſtim Villoregium legatum cum peditum ſeptem millibus, equitum decem pergere ad Huyum oppugnandum, quod ſibi a tergo erat, juſſit. Ipſe retro ad Mehaignam amnem, quo veluti foſſa uteretur, caſtra retulit, Fœderatis iter ad obſeſſos interdicturus. Non enim ambigebat, quin inſtincti pudore & rei momento ſuppetias ferre anniſuri forent. In dextra Moſæ ripa jacet oppidum, cui arx ſupereminet, & huic in edito colle munitio Puicerdæ nomine. Illud unum tenuit diem, portas aperientibus civibus, quibus ut ſuis legibus viverent conceſſum eſt. Milites in arcem ſe retulere. Mille ibi erant; Puicerdæ caſtellum quingentos habebat. Hoc

1693.

Ab Arteſia excluditur.

Galli Huyum invadunt.

1693. prius oppugnari cœptum verberatumque arietibus, ſignum poſt diem alteram deditionis extulit. Liber commeatus & militares honores, ni ſimul arx dederetur, præſidiariis negati; quod cùm præſtare non poſſent, captivi Namurcum deducti ſunt. Impetus illico in arcem verſus, quæ bellico apparatu probe ornata, & vivo inſidens ſaxo, cùm nec perfodi cuniculis nec temere adiri vallo poſſet, non ita facilè in hoſtium poteſtatem conceſſura videbatur; non tamen plus biduo ſe ſe obfirmavit, domita ollis incendiariis, quæ immiſsæ e quatuor pyrolmis confertos anguſta in area præſidiarios fœdiſſime dilaniabant. Abeuntibus, ut omni decore ad ſuorum exercitum ſe reciperent, permiſſum eſt. Is ad primum circumſeſſæ urbis nuntium e caſtris moverat, ei opem laturus. Nimis enim intererat imminentem retinere Moſæ locum, propinquum Leodio (diſtat quindecim paſſuum millia) cui, eo capto, periculum procreabatur. Ubi ad S. Trudonis Fanum perventum eſt, conſtitere ſigna, comperto in Gallorum poteſtatem Huyum ceſſiſſe. Quocirca Vilhelmus Rex, habito prius cum Bojoario majoribuſque ſociorum præfectis conſilio, itinere ad lævam inflexo haud procul inde tutiſſimo loco inter Getam amnem rivumque Landen caſtra poſuit, æque ſibi ac Leodio proſpiciens, quò iturum hoſtem arbitrabatur. Nec falſus fuit.

Eoque potiuntur.

fuit. Ad Leodium ſiquidem Luxemburgius animum primò intenderat; ſententiam verò mutaverat, e proximo ſpeculatus, difficilem exitu oppugnationem fore. Leodienſes enim circa ſuam non ſatis munitam urbem làtiori ſpatio aggerem duxerant diſtinctum propugnaculis, armaverantque curulibus tormentis & omni miſſilium genere. Ipſis quoque ad eum tutandum ſatis militum ſuppetebat, cùm octo ſibi peditum, duo equitum adeſſent millia. Haudquaquam proinde Luxemburgio e re ſua viſum eſt, in conſpectu inimici exercitus deſperatæ prope ſpei facinus aggredi; ſed ejus ſimulatione fallere potius hoſtem, & hujus debilitare conſilium cœpit. Milites lignatum ire duoſque in oppugnationis uſum parare unumquemque ſibi faſces jubet. Quod Vilhelmus ubi novit, nulla mora quinquaginta ad Leodii præſidium peditum centurias addere antevertit, haud dubius hoſtem eò tendere ac mox affuturum. Lætus imminuto ejus exercitu inductaque ad excitandam incuriam falſa opinione Luxemburgius iter ſilentio ad Fœderatos ita præcipere conſtituerat ut ſub lucem (unum & viginti paſſuum aberat millia) imparatos ad pugnam eliceret. Obſtitit conſilio nox fæda imbribus ac perobſcura. Poſtridie mane quadruplici profectus agmine, ad veſperam primas in hoſtium conſpectum legiones objecit. Renuntiato per ante-

1693.

Ab oppugnando Leodio abſtinent.

Ad hoſtem pergunt.

1693. curſores Gallorum adventu, e præoccupata, Leodium eos ituros, opinione vix in animum Rex inducebat, cunctos iſthic adeſſe. Verùm cum aliquo equitatu parum ipſe ac Bojoarius progreſſi, rem non aliter ſe habere, oculis perceperunt. Decretum illico, exercitum in locum natura munitiſſimum, quem in hujuſmodi occaſionem Rex ſecum antea deſignaverat, nonnihil interius reducere ne non integro ſuarum virium robore ad pugnam invitus cogi poſſet. Lenis erat tumulus, quem ab ſiniſtra præruptis ripis Landen rivus, ab tergo tumens per eos dies pluvialibus aquis Geta præterfluebant. Frontem dimidio amplius ſpatio tegebat ſciſſa humus profundo hiatu prope collis radices. Dextrum latus Neervindum vicus, unde poſtea prælio nomen, & ponè ipſum brevi ſpatio vicus alter Laer dictus, ductumque inter eos per noctem ſubitarium vallum; quo & acies a fronte munita fuit, præſertim ubi naturali munimento nuda erat. Octoginta curules machinæ per gyrum intentæ, vulnera ac necem, quibus eò peruadere animus foret, minitabantur. Simul Getam conjunxit pluribus ad tutum receptum pontibus; ripamque ulteriorem, quò traduci graviora impedimenta juſſit, ſagittario inſedit milite poſt virgultorum ſepes, quæ forte illic ſurgebant, ut ſi tranare tentaret hoſtis, ex occulto jaculis confoderetur. Pedi-

Nervindenſis pugnæ locus deſcribitur.

Ordo.

ditatum in acie prima ſecus aggerem, equitatum a tergo diſpoſuit. Neervindum ac Laerem interiacenſque vallum, quà ſolùm interius penetrare poſſe hoſtem, metus erat, duodeviginti fere armatorum millibus inſtruxit. Dextrum cornu Bojoarius moderandum habuit. Nullum Rex ſibi locum delegit, ubique affuturus. Ex altera parte Luxemburgius triplici exercitum, anguſta ſiquidem fronte pugnandum erat, acie diſtinxit. Ad lævam adversùs Neervindum peditum ſeptem millia, parem prope numerum ad dextram ſtatuit. Inter hæc plures diſtendit equitum legiones. Secundam aciem peditum octo millia, poſtremam decem millia tenuere. Turmatim reliquum equitatum huc atque illuc, prout loci ferebat indoles, circùm diviſit. Statim ut ſe ſe dies aperuit, ſpeculatum progreſſus hoſtium aciem, & quo pugna modo periclitanda foret, ad repentinam munitionem una tantùm nocte acceleratam ipſamque (ſic enim erat loci natura) aditu difficillimam vix non contraxit animum ac ſe cohibuit. Veritus deinde ſiniſtram ignaviæ famam (qua nihil in ancipiti bello deterius), reputanſque, armorum fœlicitati plus declinatum quàm obitum diſcrimen detrimenti allaturum; quaſi metu, non conſilio abſtinendum prælio conſtituiſſet; fortunæ aleam, quandoquidem jam prope jacta foret, ſtrenue ſubire ſatiùs 1693.

1693. tius duxit. Itaque inſtructos jam militum ſuorum ordines circumvectus, iis pugnæ deſiderium indidit, oſtentata hoſtium timiditate quòd ſe intra munimenta concluſerant. Illos, dixit, prædamnata vincendi ſpe, latebras, queis periculo ſe ſubtrahant, quæſiſſe; nec tamen, niſi undique ſibi munitiones circumdediſſent atque impeditiſſimo ſtetiſſent loco, ſatis eos cautum ſaluti ſuæ reputaſſe. Verùm abſtruſiora fuiſſe Namurci mœnia, quæ ipſi penetraſſet; difficiliores ad Fleuruſium aggeres, quos tranſiliſſent. Irent magno atque erecto animo, palamque facerent: Gallorum ſtrenuitatem oblatis periculis acui, non retardari. Læti imperatorem ſuum milites audierunt, vultu annuentes, ſe, quò ille duceret, ſequuturos. Par Fœderatos inſederat pugnandi ardor, indignatos, uſque eò ſe deſpici, ut vel protecti vallo munitiſſimoque ſitu, velut impares, peterentur. Tantam verò hoſtium audaciam in ludibrium ſuum vertentes, ad eam puniendam inter ſe invicem conjurabant. Ab hac animorum concertatione concurſum ad arma eſt. Galli utroque ſimul peditum cornu, ut ancipiti terrore hoſtem percellerent, irrupere. Dextrum, cui Villoregius legatus præerat, exiguo nemore, unde ſtatim Fœderati receſſerant, ſuperato ad Landem fluum pervenit. Ibi diu telis certatum; quibus cùm atrociùs Galli aperto ad ictus corpore lacerarentur, moræ

Luxemburgii concio ad ſuos.

Prælij varietas.

per-

pertæſi per altam ripam ad hoſtem ſubeunt. 1693.
Stabat ille denſatis ordinibus in ipſo margine nec dabat urgentibus locum. Hi contra, ut in ſummo periculo, majori tumultu contentiſque ad extremum viribus conabantur. Et quamquam difficilis aſcenſus erat, atque ex alto certiſſimis telis configebantur, plerumque in alveum detruſi; tamen corporum ingenti niſu, animorumque pertinacia alicubi diſtrictis gladiis in mediam aciem ſe ſe immiſerunt, non quidem pœna immunes; capti ſiquidem ad unum omnes aut trucidati. Dum ita frequentiori ſuorum cæde inhorreſcit pugna, Luxemburgius fruſtra periclitatus an aliquà ad ſuſtinendos pedites perrumpere equitatus poſſet, cani demum receptui juſſit, circumſeptoque validiſſimis ſtationibus nemore ac rivo, prælii ſummam tranſtulit in lævum cornu. Joyeuſa legatus Neervindo Laerique illud admoverat, tantoque ſe ſe intulerat impetu ut Fœderatis (Hannoveriani ac Brandeburgenſes primas illic partes agebant) retro cedere opus fuerit. Quamquam brevi collectis animis, recreatique recenti milite, quin & ipſo pudore acuente vires, pepulere invicem Gallos ad extremas ædes. Hoc rerum ſtatu eò Luxemburgius ab dextro cornu advenit. Commotam ſuorum aciem inclinatamque conſpicatus, mente ſimul complexus aut unum illud perfodiendum latus aut tur-

Maxima utriuſque partis ſtrenuitas.

1693. turpiter nec ſine ingenti periculo referenda ſigna; Borbonii Ducem ad ſe vocat. Viden, inquit, ut ferociter propulſum noſtrorum agmen fluctuet. Mox in fugam ſe conſternabit, niſi nova ſuffultus ope inſtauret pugnam ac ſe corroboret. Dignum illud tua virtute defero tibi munus. Alacriter ſecundam, cui præes aciem, infer. Non faces gloriæ cupido ſubijcio nec addo monita. Sed qui te Regis Gallicique decoris tenet amor, una tibi rei gerendæ ſit norma. Ab hac exhortatione impiger adoleſcens legiones movit; quæ triplici agmine ruere in hoſtem juſſæ, illum invicem ad intimas vicorum domos retruſum, longius autem ultra medium aggerem perrumpentes, majori etiam periculo implicuere. Verùm Octoviro primùm, deinde Vilhelmo etiam Rege ſupervenientibus recentemque inducentibus militem, Galli, qui temere hoſtili turbæ ſe ſe immiſcuerant, ſtrage ac vulneribus repreſſi; alii vel extra vicos detruſi; alternante belli fortuna. Quod ubi vidit Luxemburgius, veritus ne proſpero ſucceſſu creſceret Fœderatis animus, ſubiretque ſuos non ita poſtmodum facilè extinguendus metus & cum metu deſidia, extremis viribus conandum ſtatuit. Ab dextro cornu partem peditum ac tertiam aciem accerſi jubet. Et illuc ad bombardarum ſtrepitum, unde commiſſæ pugnæ conjecturam fece-

ceret, Huyo tria equitum millia, maxime ſagittariorum, Harcurtus prolegato adduxerat; totumque ibi prope collectum Gallorum robur. Has Luxemburgius copias trifariam nunc pariter diſtributas in ultimum certaminis diſcrimen dimiſit. Joyeuſa ſiniſtrum, Borbonius medium, ipſe dextrum duxavit agmen. Atrox ubique redintegratum prælium multaque diu cæde pugnatum. Galli tandem, ſuperante numero, prævaluere, hoſtemque interius propulſum atque a latere circumfuſum telis obruebant. Ad tantum ſuorum periculum Vilhelmus non ſe continuit, quin arreptis Anglorum legionibus, ante ſigna, voce ac manu exacuens pugnam, ſe protulerit vitæ prodigus. Quo ſpectaculo efferatus miles extremos in hoſtem conatus edidit. Sed Gallos quadrato jam agmine dimicantes movere loco, vanum fuit. Cùm præſertim equitatus deleto vallo in omnem diffundi partem cœpiſſet. Primus Carnotenſium Dux cum quinque turmis e dextro ad Neervindum aggere ſe ſe immiſerat. Vix autem in aperto campo inſtruxerat ordines, cùm circumventi Germanorum equitatu tantùm non pœnas audaciæ dederunt celeriter ad pedites arrepta fuga, quorum jaculis defenſi ſunt. Plures tamen occiſi. Ipſe Carnotenſium Dux manum conſertus, ne præda hoſtium fieret, gladio teliſque vix tandem ſe explicuit. Rex interea ſini-

1693.

Vilhelmus Rex eximia virtute præcellit.

1693. niſtrum cornu citato ad ſe gradu venire juſſerat. Verùm diſtabat adeo, ut Gallicus equitatus diſſipare alterum cornu anteverterit. Turmatim quippe in medios invectus hoſtes turbavit pedeſtrem aciem; quam ubi commotam trepidantemque vident Luxemburgius, duoque regio ſanguine Principes Contiacus Borboniuſque, & Villoregius Joyeuſaque legati, qui alii aliò turmas induxerant; movent inſtigantque milites, ut ferociter perculſis inſtent nec ſinant aciem reſtitui. Atrox ibi aliquandiu ſtetit pugna, Rege non ſemel ad pedes digreſſo ut novas ipſe obijceret legiones, certantium confirmaret animos, cedentibus redderet. Donec obrutus numero, ac vacillantibus ubique ſignis, Octoviro indicit ut diſiectam illam exercitus partem trans Getam abducat, ſibi de ſiniſtro cornu curæ fore. Dedit ille receptui ſignum. Sed pars major, moderante greſſum metu, cùm diſſoluto pergeret agmine, atque hæreret veſtigiis hoſtis, nonniſi pluribus deſideratis ulteriorem tenuit ripam. In eam nimis infeſtam pyrobaliſtarum jaculis Galli evadere haudquaquam auſi, curſum inflectunt in lævum cornu, rati conterritum alterius clade facilè conciſum iri. Eò Rex pervenerat cum equitum ala, tuto receptui conſulturus. Jam primæ legiones prærepto itinere flumen adversùs Laerum oppidum tranabant, cùm reliquas victor hoſtis

Bellica egregius arte ſuos e prælio reducit.

eſt

Digitized by Google

eſt aſſequutus. Nihil iis tamen inferre damni aut moræ, potis fuit. Rex enim ad objectum diſcrimen impavidus opportuno loco aciem conſtituit cum quatuor curulibus machinis, quas tantùm in eo tumultu licuerat ſecum avehere. Senſim inde recedens ac fruſtra divexatus, incolumi traducto amnem exercitu, in tutum ſe recepit; vera ob id laude ſplendidiſſimaque, quippe vel ab hoſte, condecoratus; bellica virtute ſæpius aliàs, hac tamen pugna, victus licèt, præcipue memorabilis. Munitiſſimum natura delegit locum; operibus una nocte firmavit; adverſæ fortunæ, ſi qua incideret, non immemor, Getam amnem, qui a tergo erat, non uno loco pontibus conjunxit. Apte ad æmulationem mutuamque opem diſtributis legionibus, in minori virium robore par viſus. Ab una parte detruſit hoſtem, ab altera non ſemel repulit. Ille ſubmittendo feſſis integros, præſens inferendis auxiliis, pugnando ante ſigna, obeundoque periculo pugnam integravit; ille ruentem retinuit, quandoque victor. Demum cùm haud dubia Gallorum victoria eſſet, ut inde ſibi detrimenti minus foret, egregie obtinuit. Suos Octovir Tilemontii collegit, Dieſtæ Rex; unde ad Senam fluvium progreſſi, conjunctoque ibi agmine caſtra metati ſunt. Abeuntibus Galli nihil incommodi aut moræ attulerunt, multa & ipſi cæde con-

1693.

Gallis penitus victoria ceſſit.

1693. contuſi. Quot in prælio utrinque ceciderint, quiſque e ſuæ gentis ingenio varie prodidit, ſtuduitque majorem hoſtium cladem reputari. Galli vicena millia Fœderatos amiſiſſe, ſe non plus duobus millibus. Viciſſim, illi incerto licèt numero, plurium nece ac vulneribus atrox facinus hoſti quàm ſibi ſtetiſſe publicis literis conſignarunt. Alteros ipſum pugnæ genus, quæ quatuor amplius, alternante fortuna, deſæviit horas; alteros acies diſperſa, receptuſque fugæ ſimilis, falſi redarguit. Ego præterquamquod nihil e præoccupatis opinionibus hauſtum velim: duodecim Fœderatorum millia, octo Gallici nominis, multos dein viciſſim ex vulneribus occubuiſſe, optimæ fidei auctores habeo. Capta a Gallis ſex ac ſeptuaginta ænea tormenta, octo pyrolmi, ſigna militaria octoginta duo, hominum ad mille trecentos; quos inter Ormondi Dux. Abrepta invicem a Fœderatis aliquot hoſtium ſigna & quidpiam militum, in his Barvici dynaſta. Ab hac pugna, ut ſe ſe utrique reficerent, nonnihil temporis quieti datum. Interea Vilhelmo, revocatis Virtembergenſis copiis, extenuatiſque interioribus præſidiis, & claſſiariorum agmine ad ſe celeriter venire juſſo, par priſtino exercitus coaluit. Et ſuum Galli ſupplerunt reduce, qui ad Rhenum ierat, Beuflerſi globo, & alio e maritima Normanniæ ora illuc tranſgreſſo. Nec ab iſtis otio dein-

Quo utrinque numero cæſi.

Fœderati ſuum exercitum ſupplent, Galli augent.

deinde tempus traductum; immiſſa quinum millium equitum ala in Sylvæ Ducis oppidi agrum, indeque abducta ingenti præda ſponſoribuſque numerandæ pecuniæ, qua incolæ vaſtitatem redemerunt, dederuntque pœnas illatæ dudum Flandriæ provinciæ calamitatis. Per idem tempus contraxere Galli quicquid bellici apparatus ad oppugnandum Caroloregium ſatis foret. Nimis enim eorum intererat potiri oppido, quod medium intra Montes urbem ac Namurcum iiſdem vehementer oppidis incommodabat; & per æſtatem infeſtum fuerat commeatibus ad alendum exercitum in Brabantiam traductis, quorum aliquando decerpſerant partem præſidiarii ſub ſignis illinc educti; & parum abfuit quin ſemel ditiſſima præda potirentur. Maximam commeatuum ſignatique argenti vim ad exercitum tranſuehendam, illos ſexcentis plauſtris, iſtud duobus, Galli Montibus comparaverant. Vertilaccus hujus urbis præfectus, Ximenes Malbodii cum aliquo armatorum præſidio tutum carris iter præbuerant Bellomontium uſque. Namurcum, unde ad ſuos viæ reliquum expeditum, progreſſuri erant prope in conſpectu Caroloregii. Ne quid inde negotii exhiberi poſſet; in occurſum cum alia militum manu Guiſcardus Namurci prætor venerat, collatiſque copiis ita inter ſe convenerant, ut ipſe cum quinque peditum duodecim

1693.

Caroloregi um oppugnare ſtatuunt.

Certatum ibi inter aliquot utriuſque partis legiones, qua occaſione, quo exitu.

1693. cim equitum centuriis præiret vehicula, cum totidem Vertilaccus ſubſequeretur, Ximenes cum aliquot ſagittariorum turmis lævum, hoſtibus obverſum, latus protegeret. Hoc ibant ordine, cùm non procul a Boſſu oppido ex inſidiis erupit Fœderatorum agmen, quod ſylva tectum propiùs anguſta viarum ſe continuerat. Duo millia erant peditum e Caroloregii præſidio, equites ad tria millia, pars major clam in id facinus a Bojoario ſubmiſſa. Hi poſtquam plauſtra arctum iter intraverant, poſtremos Gallos a tergo invadunt. Vertilaccus ad rem inopinatam, ipſo, ut fit, periculo addente animos, ſigna ſiſtere vexillarios jubet, inſtruit aciem; ad primoſque raptim convolans ordines, paucis milites adhortatur ut quandoquidem, obſtruentibus vehiculis intermedium ſpatium, ab ſuis abſciſſi equeſtrem hoſtium impetum ſuſtinere debeant; quod numero deſit, ſuppleant virtute. Primi ferociter permittant equos, poſitiſque telis, gladiis decernant. Fore ut illi non ſe reſpiciant in eo tumultu, noſque ex audacia, non ex virium momento ponderent metuantque. Hæc ubi dederat dicta, ſubdentes equis calcaria, ruunt perniciter, ingruentium ab hoſte jaculorum obliti; quibus, in his Vertilacchus, confoſſi ſunt. Movere tamen ferocia ipſa obverſas turmas, quæ parum conſerta manu in fugam effuſæ non prius quàm peditum ſuc-

Digitized by Google

ſuorum aciem ſint aſſequutæ, inſtauratis ordinibus ſe collegerunt. Nonnihil & in primo agmine pugnatum eſt pari ſucceſſu, diſpari utrobique cæde. Nam Fœderatorum octingenti ceciderunt; periit Gallis eorum non plus dimidio. Plauſtris deinde liberum fuit omnique vacuum moleſtia reliquum iter. Caroloregium Galli oppugnare adorti, copias dividunt. Pars maxima ad Pietonem amnem caſtra locat, opem obſeſſis interdictura. Quatuordecim peditum octo equitum millia Villoregio legato duce ad mœnia ſubeunt. Eſt locus in læva Sabis ripa, ubi quidpiam, ſed brevi gyro, tellus extollitur. Hunc olim Charnojus vicus, modò ab annis vicenis ſeptem arx tenet, quæ ab Hiſpanis condita, ex ipſorum rege, ſecundo Carolo nomen aſcivit. Hexagonum refert, cujus in quolibet angulo majus roſtratum propugnaculum; parmæ intermediam loricam protegunt, & qua parte fluvium excipit, cornutum opus. Hìç ad tumuli radices amnis ipſe objecto muro late ſtagnat; obicem tuetur triquetra munitio, medioque e ſtagno caſtellum ſurgit. Arcem omni bellico apparatu & quatuor millium quingentum præſidio Bojoarius inſtruxerat, jamdiu ſuſpicatus, hoſtes illam oppugnaturos; eòque idcirco paullo ante præmiſerat Franciſcum Caſtilli Marchionem præfectum fabrum, qui arte atque imperio ad vim repellendam, ſi hæc for-

1693.

Caroloregii munitio refertur.

1693. forte ingrueret, uteretur. Nec diu abſuit occaſio. Ineunte autumno mœnibus infeſtas legiones Villoregius admovit, vallo circum haudquaquam jacto, cùm Luxemburgius ad externam prohibendam opem incumberet. Duplices vineas, ab læva ſecus amnem & adversùs medium propugnaculum agi jubet. Non lente proceſſere, quoad propius foſſam adactæ; quamquam *Oppugnatio deſcribitur.* præſidiarii non ſemel ingenti numero ad eas delendas irruiſſent, nec die noctuque jaculari e machinis intermitterent. Ibi conſcius, cuniculis interiora ſuſpendi, inductumque nitratum pulverem, ſi flammam conciperet, ſtragem ruinamque ſubeuntibus minitari, Vaubanus operum moderator, caute & prius tentato ſolo, nec aliò quàm ad lævam progredi molientes imperat, ratus oppidum, ne nimio ſtaret pretio, magis effoſſa terra quàm militum ſanguine in poteſtatem redigendum eſſe. Rem quoque primo aſpectu longe difficillimam, ſed evitando cavearum periculo nimis utilem repente aggreditur. Anguſtum, quod medio erat ſtagnò, caſtellum una coſtodiebat Hiſpanorum cohors. Illuc obvertit e margine curules machinas ac pyrolmos, unde præſidiariorum plures, ut in arcto, abſumpti. Sex deinde lintribus, binis invicem colligatis, Galli ſuccedunt humiliori munimenti muro, quà poſſent, pervaſuri. Hos ubi appropinquare centurio vidit,

nec

Digitized by Google

nec ſibi pluſquam tres ac viginti ſupereſſe milites, lembo in oppidum digreſſus, vacuum advenientibus deſeruit locum. Ferociter inde verberari ſemilunare cœptum opus, quo aquarum clauſtrum tegebatur. Nec ibi diu ſe tenuit cohors altera. Tormentis enim diſcuſſa loricula telis aditum aperuerat, quibus lacerati milites vitam cedendo redemere. Obice diruto, ſtagnantes aquæ naturali curſu in deſidentem amnem fluxerunt, detecto ſolo. Verſa itaque in eam partem ſpes curaque major ſuperandæ arcis. Adversùs cornutum opus, quod primùm ſe ſe offerebat, duodequinquaginta diſpoſitæ curules machinæ celerrima ſtrage ſternunt muros, perque ruinas immiſſi undique pyrochitrophori brevi pugna obnitentem hoſtem detrudunt. Ita ad interiores munitiones perventum eſt; ubi, ut in proximo laborum fine, ferocius utrinque Mars exarſit. Prodiere oppidani ad retardandos hoſtes mille quingenti. Mutua hinc cædes & varii eventus; ſed ille poſtremus, ut inundante multitudine præſidiarii intra mœnia receſſerint. Quamquam iterum mox egreſſi, Gallis recenti agmine ſe ſe inferentibus ad viæ tectæ marginem obviam fiunt. Ter illic bidui ſpatio commiſſum prælium, quod nuſquam per eam oppugnationem atrocius, nec tantum exorbuit ſanguinis. Vicit denique oppidanorum ferociam obſtinata irrumpentium vis, abſtulitque viæ te- 1693.

1693. ctæ aream objectam perculſi roſtro propugnaculi. Inter hæc ſexaginta arietes utramque ejuſdem propugnaculi faciem, finitimique alterius adverſum latus muro nudaverant; in triquetramque munitionem, quo vineæ pariter ducebantur, Galli tranſcenderant. Nihilo ſecius ab deditione alienum præfectus animum oſtentabat; incertum, auxilii ſpe, an juſſus ad extremum obſiſtere, ut hoſti ſua tempora, ne quid per reliquum autumnum poſſet agere, moraretur. Vilhelmus enim, ubi primùm acceperat, Caroloregium oppugnari, contractis undique Fœderatorum copiis conflatoque ſeptuaginta millium exercitu Ninivam caſtra moverat propiùs hoſtem, ſpeculaturus, quo is loco ſua poſuiſſet, & an quiſpiam ſibi ſuppetias ituro pateret, aut fieri poſſet aditus. Cognito, cuncta Gallis ad vim eludendam affatim eſſe, ac temeritati verius quàm audaciæ adſcribendum fore, ſi ſuos nondum ab acceptæ dudum cladis metu confirmatos in anceps diſcrimen rurſus committeret; de ope obſeſſis ferenda abjecerat prorſus animum. Quod proximum auxilio erat, quidpiam in hoſtem moliri ut ad ſua revocaretur, hoc gerendum ſuſceperat. Itaque Bojoarium cum Virtembergenſium Duce, & quindecim armatorum millia, ad quos e propinquis quidpiam addendum præſidiis erat, in Flandriam provinciam dimiſerat, eam Gal-

Fœderati ad opem ferendam inſurgunt.

Quo deſperato ad populandum ſe vertunt.

lici

Jici Imperii oram damno, quo poſſet maximo, 1693.
perculſurum. Quamquam non ita multo poſt
certior factus, Vallettæ Marchionem cum quatuor
millibus, mox cum aliis decem Harcurtium
prolegato illuc iter præripuiſſe, & Luxembur-
gium cum reliquo exercitu ad ſe venire, pu-
gnam provocaturum; ſibi veritus, diſtractas co-
pias, quæ fere ad Schaldim proceſſerant, viam *At repulſi.*
in caſtra redire juſſerat. Paucos ibi moratus
dies ſuffectoque ſibi Maximiliano Octoviro, qui
hoſtium conſilia obſideret, Loum diſceſſerat,
ne ingloriam apud ſigna, nihil agendo, trahe-
ret moram. Quamobrem Luxemburgius prima
in caſtra ſe retulerat, ut ſubmiſſo novo mili-
te obtentaque auxilii deſperatione præſidiarios
ad deditionem perpelleret. Nec abfuit res ab
eventu. Non prius tamen, quàm Galli ſtatio-
nem in foſſa communiſſent, cuniculoque ſub
apertum ariete propugnaculum inducto, diſſi-
pataque vallorum ſepe, crepidini circumducta,
ad tranſgrediendum per mœnium ruinas ſe com-
pararent. Quo viſo præfectus, ne præſidii inter-
necione diutius obniteretur, de arce dedendâ
tranſegit, pactuſque diſcedentibus omne mili-
tare decus & quatuor majora tormenta, ſecum *Caroloregium Gallis deditur.*
abduxit mille ducentos milites, qui adhuc in-
tegri, reliquis interfectis aut vulneratis per
ſex ac viginti dies, quibus obduruit oppugna-
tio. Capto Caroloregio, itum utrinque in hi-

Digitized by Google

1693. berna, quamquam hyems nondum appeteret. Sed milites tot confectos laboribus ac laſſitudine, cui ferendæ amplius non ſufficiebant, maturius quiete reficere opus fuit.

Finis Libri Decimi, &
Tomi Secundi.

IN-

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

A

ABaſſius Michael Tranſylvaniæ Regulus moritur. 148. Ejus Filius a Cæſare ſucceſſor datus. ibid.
Abdua Ferdinandus Londini Legatus Romanus. 8. honorifice dimittitur. 51.
Achmetes in Byzantii ſolium adducitur. 241.
Alba Græca a Turcis oppugnata, & capta. 164. inſigne illhic incendium. 166., & Germanorum clades. 167.
Alexander VIII. Pont. Max. Venetis auxiliatur. 177. moritur, ejus laus. 312.
Alicantes ollis incendiariis a Gallis affligitur. 330.
Anna Neoburgenſis Carolo Regi nubit. 142.
Apulia peſtilentia laborat, & convaleſcit. 333.
Arauſionenſis. *Vide* Vilhelmus Rex.
Atlona deſcribitur. 280.
Avellana in Gallorum poteſtatem venit. 315.
Aulon a Venetis oppugnata, & capta. 182. a Turcis recuperata. 270.

B

BAdenſis Hermanus moritur. 333.
Badenſis Ludovicus pacem cum Turcis diſſuadet. 68. Cæſariani exercitus ductor in Hungaria. 91. Turcas aggreditur. 95. Tertiùm cum Turcis pugnat inſigni victoria. 103. Naiſſum ſuperat. 105. Conſilium gerendi belli proponit, nec probatur. 158. in Tranſylvaniam pergit. 159. ſpe pacis decipitur 245. inſigni victoria pugnat ad Salenchemenum. 249. Supremus exercituum Cæſarianorum Dux renuntiatur. 257. Varadinum oppugnat; 258. infauſto eventu. 260.
Bagnaſchi Marchio Momilianum defendit. 322.
Barcinon a Gallorum claſſe verberatur. 330.
Bellum inter Chriſtianos Principes unde ortum. 2. cur dilatum ad hoc tempus. 4. Sabaudienſis belli cauſa 218.
Belverum in Gallorum ditionem cedit. 329.

Bo-

Boioarius Maximilianus Octovir in Italiam pergit cum aliquot ſuis legionibus. 315. a Victorio Amadeo Auguſtæ Taurinorum excipitur. 318. cum ſuis legionibus in Germaniam remeat, Belgii Prætor renunciatus. 321.
Bonna a Germanis ſubigitur. 124
Britanniæ Comitia de Iacobo Rege conſilium habent. 52. quid & a quibus pro ipſo oratur. ibid. quid contra ipſum 53.
Britannicus tumultus deſcribitur. 38.
Britanni in Galliam deſcendunt exiguo ſucceſſu. 511.
Brixelli mœnia diruuntur. 232.
Budena a Germanis expugnata. 106. a Turcis recuperata 163.

C

CAmenæcum a Polonis fruſtra oppugnatum. 83.
Canina a Venetis relinquitur. 268.
Caniſia in Cæſaris poteſtatem venit. 150.
Caprara Æneas in Italiam copias Germanorum ducit. 341.
Carmaniola Gallis cedit. 315. a Fœderatis recuperatur. 320.
Caroloregium Galli invadunt inani euentu. 371.
Carolus Lotharingiæ Dux. *Vid.* Lotharingius.
Carrata Antonius ad Italicum exercitum miſſus moleſtus Sabaudiæ Duci. 333. Principum ibi quærelis immotus hiberna diſtribuit. 334. A Cæſare in Germaniam revocatur. 340.
Carrafa Gregorius Jeroſolym. Equit. magnus Magiſter moritur. 233.
Caſalis Urbs aſtu a Gallis occupatur. 324.
Castelmainus Romæ Britannicus legatus. 8.
Cataractæ Belgicæ deſcribuntur. 440.
Catinatus Allobrogum Ducem conditionibus illigare ſtudet, & quibus. 224. Salutias oppugnat, & in poteſtatem accipit 228. ingenti Allobrogum ſtrage ad Staffardam pugnat. 229. & vincit. 230 plura occupat loca in ſubalpina regione. 306. Avellanam & Carmaniolam expugnat. 315. Cuneum fruſtra invadit. 316. Subalpinam provinciam acerbe divexat. 519
Chiuperlius Muſtaphus Viſirius Turcas ad bellum illicit 153. Pirotum recipit. 160. Budenam,

Digitized by Google

nam, & Spenderobim expugnat. 163. Albam Græcam aggreditur. 164. & ſuperat. 166 pacem petentibus Germanis Legatis illudit. 237. in Tranſylvaniam irrumpit irrito eventu. 238. ſimulat de pace agere. 242. pugnans moritur. 254. laudatur. 256.
Chriſtina Svecorum Regina Romæ moritur, ejuſque laus. 140.
Clemens Bojoarius Colonienſem Archiepiſcopatum petit. 4. a Pont. Max. confirmatur. 6.
Comitia Britanniæ normam ſtatuunt Regiæ ſucceſſionis 56. pluribus obnitentibus. 57.
Concio Badenſis pacem cum Turcis diſſuadentis. 68. ejuſdem ante Salenchemenſem pugnam. 248. Eugenii Principis ad Leopoldum Cæſarem. 309. Iacobi Regis in primo Regni tumultu. 35. Lotharingii pacem cum Turcis ſuadentis. 63. Mauroceni ad Senatum. 450. de belli ratione gerenda. 476. Rebenachi ad Italiæ Principis. 335. Ruthii ante pugnam. 283. Venetorum caſtrenſium ducum de Cydonia non deferenda. 422. Vilhelmi Regis ad Batavorum Senatum. 291. Viſirii Halii pro bello proſequendo. 400.
Cornelius Hieronymus Bellum in Dalmatiam tranſfert. 181. Aulonem occupat. 182. Dyrrachium fruſtra invadit, & moritur. 183.
Crenantii Marchio callide Caſalis potitur. 324.
Croyæ Dux Sclavoniam recuperat. 257. Albam Græcam fruſtra oppugnat. 457.
Cuneum inani eventu a Gallis invaditur. 316.
Cydonia oppugnata a Venetis deſcribitur. 413.

D

DElphinus Galliæ Regis filius Philippoburgum expugnat. 18. Germaniam invadit magnis populationibus. 215. Germanos urget ad Nicrum amnem 490. & 495.

E

EBredunum in Fœderatorum ditionem venit. 314.
Eberemburgum a Germanis fruſtra invaditur. 388.
Edimburgum Vilhelmitis deditur. 139.

Ele-

Digitized by Google

Electoralis Collegii inſtitutio. 431.
Electorum Imperialium Collegium auctum; quare, & quomodo. 430.
Epidaurus Limera deſcribitur. 86. a Venetis oppugnatur. ibid. in poteſtatem redigitur. 180.
Epiſcopi aliquot Britanni Iacobo Regi obnituntur, & multantur. 11.

F

Federicus Octovir Brandeburgenſis moritur. 60.
Federicus Daniæ Regis Filius varias Europæ regiones peragrat. 434.
Feuquiereſi Marchio ſubalpinam regionem depopulatur. 304. Avellana propellitur. 305.
Furnæ in Gallorum poteſtatem veniunt. 439.
Furſtembergius Card. Vilhelmus Colonienſem Archiepiſcopatum petit. 5. a majori parte Collegii Canonicorum poſtulatur, & a Pont. Max. reiicitur. 6.

G

Galli Sabaudia potiuntur. 227. Seguſium obtinent. 232. Navali pugna cum Britannis congrediuntur inſigni victoria 191. Itidem ad Fleuruſium vincunt. 211. Leodium ollis incendiariis labefactant. 300. Fœderatos aggrediūtur nullo memorabili ſucceſſu 303. Moguntiæ inſidiantur, & deteguntur. 325 Urgelam obtinent. 329. Barcinonem, & Alicantem incendio affligunt. 330. Rhenofeldam aggrediuntur. 435., & deſerunt. 437. Heidelbergam in poteſtatem recipiunt fœdam, & ingenti clade 486. & 488. Huyum in ditionem redigunt. 529. Fœderatos ingenti pugna ſuperant prope Neervindam. 532. Carolo-regium capiunt. 541.
Gallicinus Moſchorum ductor Moſcuæ veluti victor poſt cladem acceptam excipitur. 81.
Galliuam Ghincleus expugnat 286.
Garabuſæ arx a Venetis ad Turcas deficit, & quomodo. 408.
Germani in Servia cladem accipiunt. 145. Sclavoniam deſerunt. Orſovam amittunt. 237.
Ghedicus ſeditiones apud Turcas movet, ubi, & quomodo. 76.

Ghincleus Hibernicum bellum urget. 277. plura occupat loca. 278 Atlonam ſuperat. 280. Oppidis aliis potitur. 286.
Gvilleſtra a Fœderatis occupatur. 373.

H

HAlius Viſirius ob crudelitatem exauthoratur, & punitur. 394.
Halius alter Viſirius ad bellum ſe comparat. 400.
Halia occupatur a Gallis 301.
Hannoveræ Dux in Collegium Electorale cooptatur; quare, & quomodo. 432.
Heidelberga Gallis cedit 486.
Heudeſtorfius Heidelbergæ prætor infamia notatur. 487. a popularibus occiditur. ibid.
Heyslerius legatus cum Tehelio pugnat infelici euentu. 154 Ingenti Germanorum ſtrage capitur. 156.
Hiſpani ærumnis irritati diligentius ad bellum ſe comparant. 331.
Humiereſus Legatus plures arces in Gallorum poteſtatem redigit. 21.
Huyum Galli occupant. 21. pridem dimiſſum rurſus invadunt, & capiunt. 529.

I

IAcobus Britanniæ Rex leges conſtituit Catholicis ſecundas. 7. in eum conjuratur, & a quibus. ibid. Liberum religionis uſum Catholicis, Luteranis, & Calvinianis concedit invito Regni Conventu. 9. inobedientes magiſtratu deiicit. 10. minuit Civitatum jura 11. in illum iterum apertius coniuratur. 13. Claſſem & exercitum auget. 16. recuſat opem ſibi a Ludovico Rege oblatam, & quare. 17. a conjuratis timet, & copias auget. 27. abolet quicquid pro Catholicis decreverat. ibid. ſubdititiæ ſuæ prolis fabulam euertit, & quomodo. 33. ſe opponit primis Regni commotis turbis. 34. inſidiis petitur; a quibus, & quomodo eluſis. 37. Conjugem, & Filium in Galliam mittit inani eventu 41. Arauſionenſem fruſtra placare ſtudet. ibid. Valliæ Principem, & Matrem e Britannia in Galliam iterum tranſmittit. 43. ipſe illuc navigaturus retinetur 44. Londini honorifice excipitur 45. Clam ab Arauſionenſi permittitur e regno abire. 47. in

Digitized by Google

in Galliam appulſus ſummis honoribus recipitur. 49. a Ludovico Rege inviſitur, ac ſperare jubetur. ibid. ejus ex Anglia diſceſſus ratio 50. a Britannicis Comitiis,& Scotis in ordinem redigitur. 55. Hiberniam repetit, & quare. 129. Neolondinum oppugnat. 131., & deſerit. 135. illum in Angliam revocandum plures conjurant irrito eventu; & quare. 186. ſimul in Scotiam. 187. prælium cum Vilhelmo Rege committit exitu infelici. 194. in Galliam redit. 198. cum maximis auxiliis ad traiiciendum in Angliam ſe parat. 344. ſpondet Anglis præteritorum veniam. ibid.

Jacobæorum in Hibernia motus. 273. & in Scotia. 274. Hibernico bello profligantur. 286.

Jenum a Germanis occupatur. 455.

Innocentius XI. Pont. Max. Card. Furſtembergio viam ad Col. Arch. intercipit. 5. Clementi Bojoario illum adjudicat. 6. moritur, ejus elogium. 141.

Innocentius XII. Pont. Max. renuntiatur. 332. fruſtra adversùs Gallos incitatur. 337.

Ioannes Poloniæ Rex pacem Turcis negari adnititur. 82. ad bellum incitatur propoſitis conditionibus. 172. legatum ad Moſchos mittit, eos ad bellum incitaturus, ſed fruſtra, & quare. 263. in Moldaviam exercitum ducit nullo proventu. 264. Soracam deindè expugnat. 265.

Joſeph Auſtriacus Romanorum Rex eligitur. 143.

K

Kaiſervertum a Brandeburgenſibus expugnatur. 120.

L

Lauzuni Comes Gallici auxilij ductor ſtrenue ſe gerit in pugna. 197.

Lenoium a Fœderatis occupatur. 528.

Leopoldus Cæſar pacis conditiones à Turcis oblatas reſpuit. 62. ad pacem cum Turcis æquis conditionibus inclinat inani eventu. 234. pacis inſtaurandæ dat negotium Britannico, & Batavo Pyzantii legatis. 235. Oratores in Poloniam, & Moſcoviam mittit ad bellum exacuendum. 243. Bojoarium ſuadet in Italiam cum ſuis legionibus ire. 314.

Lim-

Limmericum oppugnatum deſcribitur. 200.
Lippa a Germanis deſeritur. 171.
Lotharingius pacem cum Turcis ſuadet. 63. Moguntiam invadit, & ſubigit. 112. Bonnam itidem. 124. moritur, & laudatur. 149.
Ludovicus Badenſis. *Vide* Badenſis Ludovicus.
Ludovicus Galliæ Rex bellum movet adverſus Germanos, & Batavos. 6. ingentem opem Iacobo Regi in Hiberniam mittit. 190. Montes Henoviæ oppidum in poteſtatem redigit. 298. Tourvillo imperat, ut cum adverſa claſſe omnino pugnet, & quare. 345. in Belgium ad exercitum progreſſus Namurcum ſuperat. 355. Novum equeſtrem Ordinem inſtituit; quare, & quibus conditionibus. 485 iterum ad exercitum in Belgium aliquid tentaturus regreſſus, mutato conſilio Verſalias redit. 490.
Luneburgi Dux Racemburgum invadit illhinc abire juſſus, & quare. 498.
Luxemburgius prope Fleuruſium ingenti hoſtium clade vincit. 207. iterum ad Stenocherchum majori diſcrimine quàm cæde. 365.
Lymmericum oppugnatum deſcribitur. 287.

M

MAcloviopolis a Fœderatis verberatur ollis incendiariis. 511.
Maria Aloyſia Hiſpaniæ Regina moritur. 142.
Marianne Galliarum Delphina moritur. 233.
Marianne Neoburgenſis Carolo Regi Vxor in Hiſpaniam ducitur. 188.
Marleborugi Comes auſtralem Hiberniæ oram Vilhelmo Regi acquirit. 202.
Maurocenus Franciſcus Dux Reip. Epidaurum Limeram inani eventu oppugnat. 86. Venetias redit. 89. Armorum imperium iterum ſuſcipit. 449. cum pompa ad claſſem diſcedit. 474. Ægæum navigat nullo proventu 478. moritur, ejuſque elogium. 479.
Menemetes Rex pridem exauthoratus moritur. 453.
Melgari Comes Guzmanus Mediolani prætor controverſias cum Mantuæ Duce componit, & quibus conditionibus. 316.
Mirnienſis Octovir Cæſari iratus, & quare. 381. moritur. 328.
Mocenigus Dominicus Caninam mœnibus nudatam de-

 ſe-

ſerit. 268. Cydoniam invadit, & deſerit. 411. ab armorum præfectura revocatur, & quare. 449.
Moguntia oppugnata deſcribitur. 112. Germanis deditur. 119.
Molinus Alexander Circlutum invadit infauſto ſucceſſu. 90.
Momilianum à Gallis oppugnatur irrito eventu. 305. eius arx deſcribitur. 321. iterum a Gallis invaditur. 322. in poteſtatem redigitur. 324.
Monclarus in Germania plura oppida in deditionem accipit. 22.
Montium Henoviæ oppidi celeberrima oppugnatio. 293.
Moſchi adverſus Scythas exercitum movent, ac Taphras oppugnant. 78. eorum Aula magnis diſcordiis exagitatur. 175.
Murſa a Turcis oppugnatur. 169., & deſeritur. 170.

N

NAiſſum Germanis cedit. 161. a Turcis oppugnatum & captum. 162.
Namurcum deſcribitur. 356. Gallis deditur. 362.
Naupactum a Turcis invaditur, & deſeritur. 426.
Nicæa deſcribitur: a Gallis occupatur. 306. & 308.
Niecmagen Polonis cedit. 175.
Nigrellus prolegato ſuppetias in Tranſylvaniam adducit. 158.
Noallius legatus Cataloniam infeſto exercitu ingreditur, & recedit. 217. Rhodam invadit, & occupat. 500.

O

OPpugnatio deſcribitur Albæ Græcæ a Turcis. 164. a Germanis 459. deſerta 467. Athlonæ a Ghincleo. 280. Aulonis a Venetis 182. Bonnæ a Germanis 122. Bydenæ a Germanis 106. a Turcis 163. Caiſerverti a Brandeburgenſibus. 120 Cameræci a Polonis 83. Caroloregii a Gallis. 554. Carmaniolæ a Gallis 315. Cunei male a Gallis. 316. Cydoniæ inani eventu a Venetis. 413. Epidauri Limeræ a Venetis, deſerta. 86. iterum a Venetis. 179. Gallovidiæ a Vilhelmitis. 286. Haidelbergæ a Gallis. 486. Huyi a Gallis. 529. Jeni a Germanis. 456. Limerici a Vilhelmitis fruſtra. 200. iterum

rum ab iiſdem & capti. 288. Momiliani a Gallis. 322. Montium a Gallis 293. Namurci a Gallis. 357. Naiſſi a Turcis. 162. Neolondini a Jacobæis. 135. Nicææ a Gallis. 306. Peſcaberæ a Turcis. 395. Pinarolij a Fœderatis. 515. & 518. Philippoburgi a Gallis. 18. Rhenofeldæ a Gallis. 435. Sarocæ a Polonis. 265. Taphræ a Moſchis. 78. Varadini fruſtra a Germanis 258. iterum & capti. 391. Urgellæ a Gallis. 329.
Oſmanus Gengien tumultuatur ubi & quomodo. 75.
Othobonus Petrus Pont. Max. eligitur. 142.

P

Palatinus Octovir Philippus moritur. 233.
Palatinatus acerbe a Gallis divexatus. 22. & 109.
Pax a Turcis propoſita, & repudiata a Germanis. 62. iterum infecta re. 144. in Hibernia compoſita memorabili conditione. 289.
Peloponneſus a Turcis invaditur, & ejus Iſthmi deſcriptio. 413.
Petrus Magnus Dux Moſcorum conjuratione petitur, & liberatur. 176.
Philippoburgum in Gallorum poteſtatem venit. 21.
Pinarolium quando in Gallorum poteſtatem ceſſerit. 218. oppugnatur a Fœderatis. 515.
Pirotum a Germanis expugnatum. 107. a Turcis recuperatum. 160.
Poloni pacis conditiones poſtulant. 62. 336. cum Cæſare queruntur de Cepuſio hibernis occupato. 443. legationem ad Scythas decernunt. 446. Male cum Scythis pugnant. 174. Moldaviam ingrediuntur. ibid. Socidavam & Niecmagem capiunt. 175.
Portum Molum Hiſpani fruſtra invadunt. 330.
Portzeimum Gallis cedit. 386.
Pugna Germanorum cum Turcis ad Samandriam. 96. in Tranſylvania 155. prope Moravam. 98. iterum ibi 103. ad Salenchemenum 251. apud Iuliam 471. Venetorum ad Aulonem 269. Navalis cum Turcis. 185. Polonorum cum Scythis. 174. Gallorum ad Fleuruſium. 207. ad Staffardam. 229. ad Stenochercum. 365. ad Marſallam 521. ad Nervindam. 532. Navalis contra Fęderatos 193. 350. 506.
Vil-

Vilhelmitarum contra Jacobæos 139. 194.

R

RAcemburgum a Luneburgio oppugnatum, & deletum 498.

Rebenachi Comes a Ludovico Rege ad Italiæ Principes legatus. 335.

Rechebus Turcarum ductor infeliciter cum Germanis pugnat. 98.

Rhenofelda oppugnata, & deſerta 435.

Ruthius Gallus Jacobæorum in Hibernia ductor quomodo Jacobi Regis conſulit ib rebus 282 quomodo ad pugnam ſe comparat 282. primùm feliciter pugnat, & in pugna moritur. 285.

S

SChombergius in Hiberniam appulſus pugnam detrectat. 136. pugnans moritur. 197.

Scoeningius a Germanis capitur, & quare. 381.

Scultonus conjurationem aperit Jacobo Regi nec auditur. 15. in carcerem conjicitur, & quare 18.

Scythæ Poloniam acerbiſſime depopulantur. 81. 471. 481.

Seditio Britannica, ejuſque cauſæ. 24.

Sigetum a Germanis fame victum. 92.

Slegum a Jacobæis fruſtra oppugnatum. 138.

Socidava in Polonorum poteſtatem venit. 175.

Solymanus Rex magno apparatu ad bellum ſe comparat. 152. ingenti conjuratione petitur, ſed fruſtra. 240. moritur. 241.

Sora a Polonis deditur. 265. a Turcis oppugnatur, & deſeritur. 407.

Sparus Carolus in Aulonis propugnatione occiditur. 269.

Spenderobes a Turcis in poteſtatem redigitur. 163.

Spenſerus Sunderlani Comes in exilium pulſus, & quare. 29. an perfidiæ reus. 30.

Sulficarus, & Maurocordatus Turcarum legati Viennam adducuntur. 61. infecta pace diſcedunt. 144.

T

TEbelius Tranſylvanorum Regulus eligitur a Solymano Rege. 148. Tranſylvania diſcedit. 160. iterum Tran-

Digitized by Google

Tranſylvaniam ingreditur, & cum Germanis pugnat. 155. Tranſylvanos ad ſe illicere fruſtra ſtudet. 157. illhinc raptim diſcedit. 160. a Cæſare Tranſylvaniam petit, irrito eventu. 235. Germanorum legionem trucidat. 239.

Terremotus in Samnio, & Campania. 60. in Sicilia, Melita, magna Græcia. 434.

Toringtonus Britannicæ claſſis præfectus cauſam dicit de infauſto pugnæ eventu, & abſolvitur. 202. ſed exauthoratur, & quare. 203.

Tourvillus ingenti navali prælio pugnat adverſus Fœderatos, & vincitur. 349. inſigui navali victoria, & præda potitur. 506.

Tyrconellus Hiberniæ Prætor in Galliam appulſus ſpem facit Jacobo Regi melioris fortunæ. 272 in Hiberniam adducit magna Gallorum auxilia. 279. moritur. 287.

V

Valerius Sylveſter Dux Reip. Venetæ eligitur. 480.

Varadinum fruſtra oppugnatur. 92. deſcribitur, & iterum oppugnatur. 259. a Germanis iterum invaditur, & in poteſtatem redigitur. 390.

Vaſtalla munitionibus nudatur. 232. Vincentio Gonzagæ traditur. 379.

Veneti Epidaurum Limeram invadunt. 179. Aulonem aggrediuntur. 182. deſertam a Turcis occupant. 183. Dyrrachium fruſtra invadunt. 183. quas pacis conditiones proponunt. 236.

Veteranius Comes Federicus ingens facinus ad Bydenam edit. 106. Tranſylvaniæ tutandæ conſulit. 470.

Victorius Amadeus Allobrogum Dux ad bellum contra Gallos inclinat, & quare. 219. Venetias petit. 220. Clam ibi de bello adverſus Gallos convenit cum Abbate Vincentio Grimano. 221. quibus conditionibus. 222. Bellum Gallis denuntiat. 225 Calvinianis reditum in Cottias valles permittit, & quo conſilio. 226. in Galliam cum exercitu profectus Gvilleſtram occupat. 373. item Ebredunum. 374. morbo correptus in Italiam redit. 377. Pinarolium oppugnat, & deſerit. 515. 516. pugna congreditur adverſus Gallos ad Marſallam infelici eventu. 521. Clam a Gal-

Gallis ad pacem ſolicitatur. 308. Mittit ad Cæſarem Principem Eugenium ſuppetias oratum. 309. Matrem, & Conjugem Vercellas dimittit, Auguſtæ Taurinorum timens. 315. iterum a Ludovico Rege clam ad pacem incenditur oblatis conditionibus. 338. quæ reſpuuntur 339.

Vignancurtus Jer. Equ M Magiſter eligitur. 233.

Vilhelmus Arauſionienſis, Angliæ poſtmodum Rex, Britannicos tumultus fovet. 3. eos Batavis aperit, & conjurationem in Regem. 14. quo apparatu in Britanniam ſolvit. 21. Soceri legatis acerbe reſpondet. 46. Londinum ingreditur. 51. Rex Angliæ eligitur, & quibus conditionibus. 58. itidem Scotiæ. 59 ejus in Hibernia proſperi ſucceſſus. 189. ingens in eum conjuratio diſſipata 191. Dublinum ingreditur. 199. Vaterfordum in poteſtatem redigit. ibid. Limericum fruſtra invadit. 201. iterum in eum conjuratur. 275. in Angliam redit, & conjuratis parcit. 276. in Belgium regreditur. 277. Hiberniæ penitus potitur, & ejus populos clementia ad ſe allicit. 290. ad Batavos regreſſus, eorum Senatum alloquitur. 291. Batavos ad claſſem, & exercitum augendos hortatur. 342. in Britanniam redit, & Concilium alloquitur. ibid. rurſus in Hollandiam tranſmittit. 346. Nervindenſi prælio clarus licèt victus. 537.

Villafranca in Gallorum poteſtatem venit. 306.

Virtembergenſium Dux Gallorum captivus. 386. Honorifice a Ludovico Rege excipitur. 387.

Vormatia a Germanis occupatur. 381.

Urgela a Gallis oppugnatur, & in poteſtatem redigitur 328.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google